Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

43.6.
70
10

# ARISTOTELIS STAGIRITÆ METAPHYSICORVM LIBRI XIIII.

THEOPHRASTI METAphysicorum Liber.

Quorum omnium recognitionem, & additamentum versa pagina ostendit.

Tomus Tertius.

SOCIETATIS JESU BIBLIOTECA COLLEGII LEODIENSIS

*Excudebat Iacobus Berjon Typographus Lugdunensis.*

M. D. LXXX.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

# QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Metaphysicorum Libri XIIII.
Metaphysicorum Theophrasti Lib. vnus
De re Mechanica,
De Mundo,
De Admirandis auditionibus,
Physiognomica,
De Coloribus,
De Spiritu,
De Xenophane, Zenone, & Gorgia,
De Lineis insecabilibus,
De causis prop. elementorum, Libellus,
De causis Libellus.

*Huic volumini nunc primùm accesserunt.*

Eiusdem Aristotelis Theologiæ, seu philosophiæ mysticæ secundum Ægyptios libri XIIII. ecphraste Petro Nicolao ex Castellanis Lauentino Physiosopho ac Medico.



# ARISTOTELIS STAGIRITÆ, PERIPATETICORVM Principis Metaphysicorum,

## *LIBER PRIMVS:*

Bessarione Cardinale Niceno interprete.

### *SVMMAE LIBRI.*

*In Prima agitur de natura, & perfectione huius Diuinæ scientiæ, quæ Sapientia dicitur.*
*In secunda, Antiquorum narrantur opiniones de rerum causis, & principijs.*
*In Tertia, eædem confutantur.*

### *SVMMA PRIMA.*

*Quæ cognitionum perfectior, quæve imperfectior esse dicatur: pariter & cognoscentes. Cap. I.*

OMnes homines natura *scire desiderant. Signum autem est sensuum dilectio. nam & absque vsu propter seipsos amantur. præ cæteris autem, qui per oculos fit. non enim *cognoscevt agamus solum, verùm etiam re.

*Vide principium Epitomes aduerrois.*

nil acturi ipsum videre præ omnibus aliis, vt ita dicam eligimus, causa autem est, quòd sensuum hic vel maxime nos cognoscere quicquam facit, multásque differentias manifestat. Natura itaque animalia sensum habentia fiunt, à sensu vero qui buidam eorum non innascitur memoria, quibusdam vero innascitur, & ob hoc alia prudentia, alia disciplinatum capaciora sunt, quàm illa, quæ memorare non possunt. Prudentia quidem absque eo, quòd discant, quæcunque scilicet audire sonos non possunt, vt apes, & si quod aliud animalium genus simile est. Discunt autem quæcunque vna cum memoria hunc quoque sensum habent. Cætera igitur imaginationibus, ac memoriis viuunt: experientia vero parum participant. humanum autem genus arte etiam ac ratiocinationibus. Fit autem ex memoria experientia hominibus. multæ etenim eiusdem rei memoriæ vnius experiētiæ vim efficiunt. Quare experientia penè simile quid scientiæ, ac arti esse videtur, per experientiam autem ars, & scientia hominibus efficitur: experientia enim, vt recte ait polus, artem effecit, in experientia vero fortunam. Fit autem ars, cum è multis experimentalibus concepti bus vna de similibus vniuersalis opinio fiat. opinari etenim quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conducit similiter Socrati, ac sigillatim aliis multis, experieptiæ: quod autē omnibus huiuscemodi secundum vnam speciem determinatis hoc morbo laborantibus conducit, vtpote pituitosis, aut biliosis aut febre ardente febricitantibus, hoc artis proprium est. Ad agendū itaque nil videtur experientia differre ab arte. quinimo videmus expertos magis id quòd intendunt, consequi quam illos qui rationem absque experientia tenent,

*a.c. addit rerum vide contra Tim. Apes audiri carent.



nent. Causa verò est, quod experientia singularium, ars autem vniuersalium cognitio est. actiones autem ac generatione omnes circa singulare sunt. non enim hominem, nisi per accidens sanat qui medetur, sed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur, cui accidit hominem esse. Si quis itaque rationem absque experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autem sub eo particulare est ignoret, sæpenumero errabit à sanādo. Id enim magis sanabile est, quod singulare est. Nihilominus scire, & cognoscere magis arti, quàm experiētiæ arbitramur inesse: ac eos qui artē tenent quàm eos, qui experientiam habent, sapientiores esse putamus: eò quod sapientia propter scientiam magis omnes sequitur. hoc autē, quoniā illi quidē sciūt causam, hi vero minime, experti etenim sciunt quidem, quod est, propter quid autem nesciunt illi vero propter quid & causam cognoscūt. Quare & eos, qui in quaq; re Architecti sunt, honorabiliores & doctiores, ac eis qui manibus operātur sapiētiores putamus: quoniā causas eorū, quæ fiunt sciūt: Illi vero, sicut & quædam inanimata, faciunt quidem, sed nescientia faciunt ea quæ faciunt, vt ignis comburit. sed inanimata natura quadam horū singula faciunt: manibus laborantes propter consuetudinem, tanquā sapientiores fiunt, non prout actiui sunt, sed prout rationem habent, causasq; cognoscunt. Et prorsus signum sciētis est posse docere. quamobrem magis artem quàm experientiam scientiam esse putamus. Illi enim possunt, hi vero minime possunt docere. Præterea sensum nullum putam? sapientiam esse tametsi singularium hæ maxime propriæ cognitiones sunt, de nullo tamen dicunt propter quid

*Actiones, ac generationes omnes circa singulare sunt.*

*Signū sciētis est posse docere.*

vt propter quid calidus ignis, sed solũ quod calidus. Primus itaque cuiuscunq; artis supra communis sensus inuentorem, non solum quoniã vtile esset, quod inuentum erat, verum etiam vt sapientẽ & cæteris præstantẽ (vt verisimile est) homines admirabantur. Cum autẽ plures artes inuenirentur, quarum aliæ ad necessaria, aliæ ad degendum essent, semper tales sapientiores illis esse putamus, quod eorum scientiæ non ad vtilitatem essent. Quo fit vt huiusmodi iam omnibus institutis, illæ sapientiarum, quæ neq; ad degendum voluptariæ, neque ad necessaria conducunt, inuentæ sint: & in illis locis primo, vbi vacabant: quare circa Aegyptum Mathematicæ artes constitutę sunt. Illic enim gens sacerdotum vacare permissa est. Dictum autem in Moralibus est, quænam sit artis & scientiæ differentia, ac cæterorum, quæ eiusdem generis sunt. Cuius autẽ gratia nunc sermonem facimus illud est, quod appellatam Sapiẽtiam circa primas causas, & principia omnes arbitrantur versari. Quare, vt dictũ est prius expertus quidem sensum quemcunque habentibus sapientior esse videtur: artifex vero expertis: architectus etiam manibus laborante: speculatiui autẽ factiuis. Quod igitur sapientia circa aliquas causas & principia scientia sit patet.

*1. Ethico. cap. 6.*

*Quæ sit Sapientiæ natura: & quæ sit in hac methodo intentio Cap. II.*

QVoniam autem hanc scientiam quærimus, hoc vtique fuerit considerandum circa quales causas & qualia principia scientia sapientia est. Si itaque repetat quisquam quas de sapiente opiniones, habemus fortassis ex hoc magis appareat. Primo igitur opinamur sapientẽ maxime omnia, vt possibile est scire, non habentem

** habuimꝰ conditiones.*



tem singulariter eorum scięti am. Deinde illum, qui difficiliora, neq; scitu facilia homini cognoscere possit, sapięt em existimamus. Sentire enim omnibus cõmune est: quamobrẽ facile, & neuti quam sapiens est. Item illum, qui certior, ac magis docere valens causas reddat, sapientem in omni scientia esse. Scientiarum quoque illam quæ gratia fuiipsius, & propter ipsum scire, quã illã, quæ aliorum gratia eligenda sit, magis sapientiam esse. Et principaliorẽ, quam ei subministrantem, potius sapientiã esse, non enim vt sapienti præcipiatur, sed vt ille præcipiat: nec vtile ab altero, sed vt ab eo minus sapienti suadeatur, decet. Opiniones itaq; tales, ac tot de sapientia, & sapiẽtibus habemus. Horum autem hoc quidẽ, omnia inquam scire, illi, qui maxime vniuersalem scientiam habeat, necesse est inesse. hic enim quodam modo omnia subiecta scit. Fere autẽ & difficillima hominibus cognitu sunt ea, quæ maxime vniuersalia sunt, siquidem remotissima sunt à sensibus. scientiarum autẽ illæ certiores sunt, quæ maxime primorum sunt. nã quæ sunt ex paucioribus certiores iis sunt, quæ ex additione dicũtur: vt Arithmetica quam Geometria. At vero illa magis docet, quæ causas speculatur: ij enim docent, qui causas singularum dicunt. Intelligere autẽ, & scire eorũ ipsorũ gratia, illi præcipue scientiæ inest, quæ eius est: quod maxime scibile est, qui enim scire eius ipsius gratia eligit, eam quæ maxime scientia est, præcipue eliget. talis autem est eius, quod maxime scibile, maxime autẽ scibilia sunt ipsa prima & causæ: propter hæc enim & ex iis cætera cognoscũtur, sed nõ hæc per subiecta. Principalissima autẽ scientiarũ & principalior subministrãte est, quæ cognoscat id, ob quod quodque

*ad sapientẽ requisita.*

*Vniuersalia maxime difficilima cognitu. Vide cõtra Zim.*

agendum fit, hoc autem est bonū cuiusque, & vniuersaliter quod in omni natura optimum est. Ex omnibus itaq; dictis in eādē sciētiam cadit, quod quæritur nomē. oportet etenim primorū principiorum & causarū eā speculatiuā esse. nam & bonum, & cuius gratia vna de causis est. Quod autē non facilia, etiā ex primis philosophantibus patet, propter admirationē enim & nunc, & primo cœperūt homines philosophari. à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant: deinde paulatim vlterius procedentes, etiā de maioribus dubitando, vt de passionibus Lunæ, & eorum, quę circa Solē, & stellas fiūt, ac de generatione vniuersi. Qui vero dubitat & admiratur, putat se ignorare: quare Philosophus amator fabularum quodāmodo est, eo q̄ fabula ex mirandis constat. Quare, si propter fugā ignorantiæ philosophati sunt, patet q̄ causa cognoscēdi, & nullius vsus gratia ipsum scire prosequebātur. Testatur autē id ipsum, quod cōtingit, fere enim omnibus inuētis, quæ ad necessaria & facilitatē, ac ad degendū conducant, huiusmodi prudentia quęsita cœpta est. Patet itaq;, q̄ ob aliā nullam vtilitatem quærimus, sed quemadmodū dicimus, liber homo de eo, qui suipsius, & non alterius gratia est ita & hæc, sola scientiarum libera est: siquidē sola hæc suipsius gratia est. Quare merito non humana eius possessio putabitur. natura etenim hominum in plerisq; serua est. Quapropter secundum Simonidē Deus vtique solus hanc habet dignitatem. Hominē vero indignū non quærere illam. quæ sibi conuenit, scientiā. Quod si quid Poeta dicunt & natura comparatum est vt diuinitas inuideat, in hoc maxime id verisimile est contingere, & infelices omnes esse, qui altiora se quærunt

*Propter admirari homine & nunc & primo cœperunt philosophari. Philosophus amator fabularum.*

*Hominum natura multipliciter serua est.*

Sed



Sed nec diuinā naturam inuidam esse conuenit, Poētæq;, secundū prouerbium, multa mentiūtur. Nec aliā quām huiusmodi decet honorabiliorē putare: quæ enim diuinissima, eadē etiā honorabilissima est. Talis vero bifariā duntaxat vtique fuerit, nā & illa, quāmaxime Deus habeat, diuina scientiarum est, & si qua est, quæ diuinorū sit. hęc autē sola vtrunq; consecuta est. Deus etenim tum causa omnibus esse videtur, tū quoddā principiū: & talē aut solus, aut præcipue Deus habet. Cęteræ itaq; omnes magis ea necessariæ sunt, nulla vero melior. Oportet autē quodā modo eius ordinē in contrariis nobis inquisitionū, quæ à principio fiebāt, cōstitui. incipiunt etenim omnes, vt diximus ab admiratione, an sic se habeat: sicut de præstigiosis, quæ per se ipsa mouētur, illi, qui nō dū speculati sunt causam, aut de solstitiis, aut de diametri incōmensurabilitate. admirabile enim omnibus videtur, si quid, cùm non sit minimū, nō mēsuretur, decet autē in contrariū, & in melius, secundum prouerbiū, consumare, quemadmodū in his fit, cùm discāt, nil enim magis vir Geometricus admiraretur, quàm si diameter cōmensurabilis fieret. Quænam igitur natura eius scientiæ, quæ quæritur, & quæ intentio, quam debet quæstio, &* totus tractatus consequi, dictum est.

*Poetæ multa mentiūtur.*

** tota methodus.*

SVMMA SECVNDA.

Antiquorū opiniões de rerū causis, ac principiis.

*Causarum in modos diuisio: Veterumque opinionei de causa materiali. Cap. I.*

QVm autem manifestum sit quod primarum causarum oportet scientiam accipere (tum enim scire vnūquodq; dicimus, cum primam causam nos nosse arbitramur) causæ vero qua-

drifariam dicantur, quarum Vnam quidem causam dicimus esse substantiam, & ipsum quid erat esse: nam ipsum quare primum refertur ad rationem vltimam, causa autem & principium, ipsum quare primum: Vnam vero materiam, & subiectum: Tertiam autem, vnde principium motus: Quartam vero oppositam ei causam, & cuius gratia, & bonum? hoc enim finis totius motus, & generationis est: de his autem omnibus & si satis inde Naturalibus speculatū sit, nihilominus tamen illos quoq; qui ante nos ad entium perscrutationem venerunt, & de veritate philosophati sunt, ascisca mus. patet enim, quod illi etiam principia aliqua. & causas dicunt. Proderit itaq; profecto huic *tractatui nunc, si illa breuiter repetemus, aut enim aliud causæ genus inueniemus, aut certe magis illis credemus, quæ nunc dicta sunt. Plurimi igitur eorum, qui primo philosophati sunt, solas illas existimarunt omnium esse principia, quæ in materiæ specie sunt. ex quo enim omnia entia sunt, & ex quo primo fiunt, & ad quod vltimum corrumpuntur, substantia quidē permanente, mutata vero passionibus, hoc elementum, & hoc omnium entium esse principiū aiunt, & ob hoc nihil fieri, neque corrumpi opinantur. tanquā huiuscemodi natura semper conseruata. quemadmodum neque Socratem, quando formosus aut musicus efficitur, simpliciter fieri dicimus, neque, cùm istos habitus amittat, corrumpi: eo quod subiectum ipsum Socrates permanet. ita & cæterorū nihil. oportet enim aliquam naturam aut vnam, aut plures esse, è quibus cætera fiunt, illa conseruata. Pluralitatem tamen, & speciem huius principii non eandem omnes dicunt. Sed Thales quidem huiusmodi Philosophiæ

*methodo.

Opiniones circa causam materialem.

Thaletis opinio ponentis aquam principium.



phiæ principeps aquam ait esse: quare terram quoque super aquam asserebat esse. Fortassis hanc habuit opinionem, quia nutrimentū omnium humidum esse videbat, ipsum quoque calidum ex eo factum, eoq; animal viuere. ex quo autem fit, id esse principium omnium propter hoc igitur hanc habuit opinionem. & quoniam cunctorum semina naturam humidam sortita sunt: aqua vero naturæ principium humidis est. Sunt autē quidam, qui etiā Antiquissimos illos, & nimis à præsenti generatione remotos, & primos theologizantes sic arbitrantur de natura sensisse. Oceanum nanque, & Tethyn generationis parentes esse cecinerūt. Iusiurandum quoq; deorum aquā esse, stygem ab ipsis Poëtis appellatam honorabilissimum enim quod antiquissimum est, iusiurandum autem honorabilissimum est. Si igitur antiqua ista & vetusta de natura opinio est. fortasse non est manifestum. Thales tamen hunc in modum de prima causa dicitur asseruisse. Hippo nem etenim nemo dignabitur cum istis cōnumerare, propter intellectus eius* simplicitatē. Anaximenes autem, & Diogenes aërē priorem aqua, & maxime simplicium corporum principiū statuunt. Hippasus autem Metapontinus, & Heraclitus Ephesius ignem. Empedocles autem quatuor, vnà cum prædictis superaddēs etiā terram quartum. hæc enim semper permanere, nec fieri nisi pluralitate, & paucitate coniuncta. & disiuncta in vnū, & ex vno. Anaxagoras autem Clazomenius ætate quidē illo superior operibus vero inferior, infinita dicit esse principia. ferè enim omnia, quæ consimiliū partiū sunt, vt aquā, vel ignē ita fieri, & corrūpi ait* coniunctione & disiunctione solū aliter vero nec fieri neq; corrumpi, sed perpetua perma

Hippo.

*vtilitatē

Anaxime nis, & Diogenis opinio Hippasi & Heracliti

Empedoclis.

Anaxagoræ.

*congregatione, & disgregatione.

permanere. Ex his itaque solam qui causam illam, quæ in materiæ specie dicitur, putabit.

*Veterum opiniones de causa efficiente. Caput II.*

Hoc autem modo procedentibus, ipsa res eos duxit, & cogit vlterius quærere, nam etsi quàm maxime omnis corruptio, & generatio ex aliquo vt ex vno, aut ex pluribus sit, cur hoc accidit, & quæ causa est? Non enim ipsum subiectũ sese mutati facit vt puta dico quod neque lignum neque æs causa est, vt vtrunq; eorum mutetur. neque lignum quid lectum, æs vero statuam facit, sed aliud quippiam mutationis causa est. hoc autem quærere, aliud principium quærere est, perinde atque id, quod nos vnde principium motus dicimus. Qui igitur omnino à principio istam viam attigerunt, vnumque esse subiectum asseruerunt, nil difficultatis sibiipsis reliquerunt. Verum quidam eorum qui vnum constituerunt, quasi deuicti ab hac quæstione, ipsum vnum immobile dicunt esse, naturámq; totam non solum secundũ generationem & corruptionem (hoc enim vetus est, & cui omnes consenserunt) sed etiam secundum reliquam omnem transmutationem. & hoc eorum est propriũ. Illorum igitur, qui vnum solum esse dixerunt ipsum vniuersum, nulli contingit, tale inspicere causam, nisi fortassis Parmenidi, & huic catenus, quatenus non solum vnam, verum etiam duas quodammodo ponit causas esse. Illis vero, qui plura faciũt, magis accidit dicere, vt puta illis, qui calidum, aut frigidum, aut ignem, & terram. vtuntur enim igne, tanquam motiuam habente naturam: aqua vero & terra, & huiusmodi, econtrario. Post hos autem, &



& huiusmodi principia tanquam non sufficientia, vt entium naturam genetarent, rursus ab ipsa veritate, vt diximus coacti, illud quod sequitur, quæ fuerunt principium, vt enim entia bene se partim habeant, partim fiant, nec ignem fortassis, nec terram, nec aliud huiusce modi quicquam verisimile est causam esse: nec illos verisimile est arbitrari: nec rursus casui, & fortunæ tantam attribuere rem probe se habet. Quare, qui vt animalibus, ita in natura intellectum inesse causam mundi, totiusq; ordinis dixerat, quasi sobrius cõparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit. Istas autem rationes qui palam attigit. Anaxagoram fuisse scimus, attamen Hermotimus Clazomenius dicitur causam prius dixisse. Qui igitur ita arbitrati sunt, principium entium posuerunt simul tam causam ipsius bene, quàm illam, vnde motus entibus inest. Suspicaretur autem aliquis Hesiodũ primum hoc quæsiuisse, & si quis alius amorem, aut desiderium in entibus, vt principium posuit, sicuti Parmenides. etenim is vniuersi generationem mõstrando. Primũ quidẽ inter omnes Deos amorem, ait produxit, Hesiodus vero, ante omnia fuisse chaos. Deinde terram spatiosam, atque amorẽ, qui inter omnes immortales eluceat, tanquã oportunũ sit, vt in entibus aliqua causa insit, quæ res ipsas moueat atque coniungat. Hos autem quomodo ordinare oportet, quis scilicet eorum primus sit, licet posterius iudicare. Cum autem contraria quoque bonis inesse naturæ apparerent, nec solum ordo, & pulchrum verum etiam inordinatio. & turpe, pluráque mala quàm bona, & turpia quàm pulchra, ideo alius quidam amicitiam introduxit, & contentionem vtrunque vtriusq; horum causam. siquis enim se-

*Hesiodi opinio.*

quat

quatur, & secundum sententiam accipiat, non secundum ea quæ balbutiens Empedocles dicit, inueniet amicitiam quidem bonorũ causam esse contentionem vero malorũ. Quare si quis dicat quodammodo dicere. & primum Empedoclem dicere malum? & bonum esse principia, fortasse bene inquiet: siquidẽ bonorũ omnium causam ipsum bonũ, ac malorũ ipsum malũ est. Hi quidẽ, vt diximus, & hucusq; duas causas, quas nos in de Naturalibus determinauimus attigerunt materiam, & vnde motus. obscure tamen & non clare sed quemadmodũ inexercitati, in prælio faciunt etenim illi circumeuntes, egregias plerunque plagas infligunt. sed nec illi ex scientia, nec isti videntur scire quid dicant. Fere etenim nullo modo videntur his vti, nisi paulum quiddam. nam & Anaxagoras tanquam machina vtitur intellectu ad mundi generationem. & cum dubitat propter quam causam necessario est, tunc cũm attrahit. in cæteris verò magis cætera omnia, quàm intellectum causam eorũ, quæ fiunt ponit. Et Empedocles plus quidem isto causis vtitur: neque sufficienter tamen, neque in his repetit, quod sequitur. multis enim in locis apud eum amicitia quidem desiungit, contentio vero coniungit. cum enim in elementa per contentionem vniuersum dissoluitur, tunc ignis in vnum coalescit, & cæterorum elementorũ vnumquodque: cũm autẽ rursus per amicitiam in vnum cõueniant, necesse est iterum particulas unius cuiusque separari. Empedocles itaque præter alios Antiquiores, primus hac causam diuidens, introduxit. nec vnum motus principium, sed diuersa fecit, & contraria. & ad hæc elementa, quæ in materiæ specie dicuntur, quatuor esse primus asseruit. non tamen eis vt



vt quatuor vtitur, sed tanquam duo essent sola, igne quidẽ per seipsum oppositis vero terra aere, & aqua tanquam vna natura: comprehẽdat autẽ quilibet idipsum, ex eius carminibus contemplans. Is igitur, vt diximus, ita, & tot principia asseruit. Leusippus vero, ac eius familiaris Democritus elementa quidem plenum, & vacuum esse aiunt, dicentes hoc quidem ens, hoc vero nõ ens: & rursus ens quidẽ plenum & solidum, non ens autẽ vacuũ & rarum. Quare nihilo magis ipsum ens, quàm ipsum non ens esse aiunt, quia neque vacuum quàm corpus. hæc autem causas entium, vt materiam esse. Et quemadmodum qui vnum faciunt subiectam substantiam. cætera passionibus eius generant, rarum, & densum passionũ statuentes principia: simili modo hi quoque differentias causas cæterorum aiunt esse, has autem tres esse dicunt, figuram, ordinem & situ. differre etenim ens aiunt duntaxat rhysmo, diathige, & trope. quorum rhysmus quidem figura, diathige vero ordo, trope autẽ situs est. differt autem A ab N, figura: A N vero à N A, ordine: Z autem ab N, situ De motu vero vnde, vel quomodo existentibus ineſt, & hi, perinde atque alij, per negligentiam omiserunt. Hactenus itaque de duabus causis, vt dicebamus, videtur quæsitum à prioribus fuisse.

*Leucippi & Democriti socius.*

*Pythagoricorum opinio de rerum principiis.*

*Caput III.*

INter hos vero & ante istos, qui appellati Pythagorici, primi Mathematicis operam dederunt, hæc proponebãt, & in eis nutriti, eorũ principia, entium quoque cunctorũ esse putarũt principia. Cũm autẽ numeri priores his natura sint, in numeris etiã plures similitudinẽ tũm ad existentiã, tum ad ea quæ fiunt magis quàm in igne, in

in terra,& in aqua contemplari videbantur. talis etenim,vt puta numerorũ passio iustitia talis vero anima,& intellectus, alia vero tempus.cæterarum quoque vt ita dicam, vnaquæque similiter. Item cum harmoniarum in numeris inspicerent passiones, ac rationes, quoniam cætera quidem viderentur in omnibus numeris assimilari, numeri vero totius naturæ primi,numerorum elementa,entium quoque cunctorum elemẽta esse putarunt,totũmque cælum harmoniam,& numerum esse: & illa quidem, quæ de numeris, & harmoniis consentanea passionibus, & partibus cœli, ac vniuersi dispositioni monstrare poterant, colligentes applicabant. Quod siquid alicui deerat, supplebant, vt totus eius tractatus consentaneus esset,dico autem veluti,quoniam denarius perfectus esse videatur,totámq; numerorum naturam comprehendere,ideo & ea quæ in cœlo feruntur decem esse aiunt. cum vero nouem solummodo sint, quæ manifeste apparent, decimam oppositam terram faciunt. Determinatum autem est à nobis alibi de his magis exquisite. Sed cuius gratia hæc repetimus, hæc est, vt & ab his etiam accipiamus quę ponunt esse principia,& quomodo in dictas causas incidunt. Apparent etenim etiam isti numerum existimare principium esse, vt materiam entibus,& vt passiones ac habitus.numeri autem elementa, par & impar, quorum alterum finitum alterum infinitum,vnum vero ex ambobus his esse, par etenim & impar esse. numerum autem ex vno. numeros vero,vt dictum est, totũ cælum. Horum autem alij decem aiunt, inter se coordinata esse principia finitum, infinitum: impar, par: vnum,plura:dextrum,sinistrum:masculinum, fœmininum: quiescens,motum: rectum, curuum



curuum: lumen, tenebras: bonum,malum: quadratum, longius altero latere. Quemadmodum etiam Alemęo Crotoniates putasse videtur.& aut iste ab illis, aut illi ab isto hanc mutuati sunt opinionem: fuit etenim ætate Alcmæo Pythagoræ iam senioris. Asseruit autẽ istis similiter in duo nanque plerunq; humanas res ait distingui, contrarietates dicens. non tamen, vt illi, distinctas, sed quascunque, vrputa album, & nigrum;dulce, amarum, bonum,malum, paruum,magnum.itaq; indistinctũ de reliquis effudit sermonem. Pythagorici vero quot etiã,& quæ sunt contrarietates, asseruerunt. Ex ambobus igitur his tantũ accipere est, q; cõtraria principia entium sunt. quot autem, & quæ illa sint,ex cæteris solum.verum quo modo illa ad dictas causas applicẽtur, clare quidem ab eis nõ est determinatum, videtur tamen, vt in materiæ specie ponere elemẽta, ex his enim tanquam intrinsecis consistare, ac fingi substantiã aiunt. Verũ itaque,ac plura elementa naturæ dicẽtium mentem ex his satis speculari licet. *Alcmæi.*

*Opiniones ponentium vniuersum esse vnum: nonnullaque iis, quæ antea recitata sunt, opinionibus. Cap. IIII.*

SVnt autem qui de vniuerso, tanquam si vna natura esset,ita asseruerunt,non tamen modo eodem omnes neque eius, quod bene,neque eius, quod secundum naturam est.in præsenti itaque causarum consideratione nullo modo conuenit sermo de eis. Non enim, vt quidam Physicorum, vnum supponentes ipsum ens, nihilominus ex vna tanquam ex materia generant, sed alio modo hi dicunt. illi enim,cum generent vniuersum, addunt tamen motum. hi vero immobile esse aiunt. Attamen aliquatenus præsenti perscruta-

tioni proprium est. Parmenides etenim vnum secundum rationē attigisse videtur: Melissus vero secundū materiā. Quare & id ille quidē finitum, hic vero infinitū alt esse. Xenophanes autē, quā quam prior istis, vnū posuerat (nam Parmenides eius auditor fuisse dicitur) nihil tamē clarū dixit, & neutrius horū naturā attigisse videtur, sed ad totum cælum respiciēs, ipsum vnū ait esse Deum Hi igitur, vt diximus, in præsenti quęstione omittendi. duo quidē, & penitus tanquam paululum agrestiores, Xenophanes, atq; Melissus. Parmenides vero magis inspicies dicere, quoquo modo videtur. quod enim est præter ipsum ens ipsum non ens nihil iudicās esse, necessario vnū putat ipsum ens esse, & nihil aliud, de quo clarius in De naturalibus diximus. Coactus vero illa, quæ appa
Tex.1. rent, sequi, & vnū ratione, plura vero secundum sensum putans esse, duas causas rursum, ac duo principia ponit calidū & frigidū, velut ignem & terram dicēs. Horum autē alterū, calidū scilicet cum ente, alterū vero cum nō ente collocat. ¶ Ex dictis itaque, ac ab illis, qui rationi incubuerunt, sapiētibus, ista accepimus. A primis quidē & corporeum prīncipiū. aqua nanq;, & ignis & similia corpora sunt. & horū, à quibusdam vnū à quibusdam plura corporea principia. vtriusq; tamē ista vt in materiæ specie ponentibus. A cæteris verò & hanc causam, & cum ista etiā eam vnde motus statuentibus. & hanc à quibusdā vnam, à quibusdam duas. ¶ Vsq; ad Italicos igitur, & absque
Tex.2. illis * mediocrius cæteris de eis dixerunt, nisi q; vt diximus, duabus causis vsi sunt. & harum alte
*a.l. mollius. a.l. stultius ram vnde motus quidā vnam, quidā duas faciūt.
Tex.3. ¶ Pythagorici vero duo quidem eodem modo dixerunt principia, tantum autē addiderunt, quod

& pro



& proprium eorum est, q; finitum, & infinitū, & vnū non putarunt vllas alias esse naturas, vtputa ignem, aut terrā, aut aliud simile, sed ipsum infinitū, & ipsum vnū substantiam horū esse, de quibus prędicantur, quare & numerū substantia omTex.4. niū esse. ¶ In hunc itaq; modū & de his asseruerunt, & de ipso quid est incœperūt quidē dicere, & definire, sed valde simpliciter tractarunt. definiebant nanq; * perfunctorie, & cui primo dicta *superficialiter. definitio inesset. hoc esse substātiā rei putauerūt: perinde ac si quis putaret idē esse duplū, & dualitatē, quoniā primū dualitati duplū inest. sed non est idem fortassis duplo, & dualitati esse. quod si nō ipsum vnū erit multa, quod illis quoq; accidebat. A priorib⁹ igitur, & cæteris tot licet accipere.

*De Platonis Philosophia: omniumque recitatarum opinionum epilogus. Cap. V.*

POst dictas vero philosophias disciplina Platonis superuenit, in plerisq; quidem istos seTex.5. cuta, quædā autem etiā propria, vltra Italicorum habēs philosophiam. Cùm Cratillo nanq; ex *tecenti cōuersatus, & Heraclti opinionibus assue*adolescentia. tus, tanquā omnibus sensibilibus semper defluētibus, & de eis non existente scientia, hæc quidem etiam postea ita arbitratus est. Cùm vero Socrates de moralibus quidē tractaret, de tota vero natura nihil. ¶ In his tamen vniuersale quærere, & primus mentē ad definitiones applicaret, illū ob hoc laudans, putauit de aliis, & nō de aliquo sensibiliū hoc fieri. impossibile enim definitionem cōmunem cuiuspiam sensibilium esse, quæ semper mutātur. & sic talia entiū ideas appellauit, sensibilia vero præter hęc, & secūdū hæc, omnia dicisecūdum participationem nanq; hæc multa vniuocorū esse speciebus æquiuoca. participationem

*Socrates circa moralia negotia tus est, & circa naturalia nihil.*
Tex.6.

vero secundū nomen solum mutauit. Pythagorici etenim imitatione numerorū aiunt entia esse: Plato vero, nomē mutando, participatione, participationē vero aut imitationē formarū, quænā sit, cōmuniter quærere omiserūt. Itē præter sensibilia, & formas mathematicas res ait medias esse, à sensibilibus quidē differētes, eò quòd perpetuę & immobiles sūt: à formis vero, eò quòd illæ quidem multæ quædam similes sunt, forma vero ipsa quæq; vna sola, & quoniam formæ causæ cęteris, illarū elementa omniū putauit entium elementa esse, & vt materiam quidem magnum & paruum esse principia, tanquam vero substantiam ipsum Tex.7. vnū. ¶Ex illis enim participatione ipsius vnius formas numeros esse, Ipsum tamen vnum, vt substantiam esse, & non aliquid aliud dici vnū esse, quemadmodum Pythagorici. dicebat quoq; numeros causas cęteris substantiæ esse, similiter atq; Tex.8. illi. ¶Sed pro infinito tanquam vno dualitatem facere, infinitū vero ex magno, & paruo, hoc eius proprium est. Item is quidē numeros præter sensibilia, illi vero numero ipsas res esse aiunt, & mathematica in medio horum non ponebāt. Ipsum igitur vnū, & numeros præter res facere, & nō vt Pythagorici, & introductio specierum, propter eam, quæ in rationibus fit perscrutationē euenit. *Priores Dialecticā non participabant. *quodam figillo.* Priores enim Dialecticæ expertes erant. Dualitatem vero fecisse alteram natura, propterea, q; numeri, præter primos, ex ea aptissime velut ex quadam effigie generatur. Atqui accidit econtra. non enim verisimile est ita fieri. nūc etenim ex materia multa faciūt: formas vero semen generat solum. apparet autem ex vna materia vna mensa. Tex.9. ¶Qui vero formā inducit, quæ vna est, multas facit. Similiter autem & masculus ad fœminam se habet.



habet, hæc etenim ex vno congressu impletur; masculus vero multas implex, at ista imitationes illorū principiorū sunt. Plato igitur de ꝓpositis quæstionibus ita determinauit. Patet autē ex dictis, quòd duabus causis vtitur solū, ea quæ ipsius quid est, & ea, quæ secundū materiā. formæ enim cæteris ipsius quid sunt causæ sunt formis vero ipsum vnū, & quæ subiecta materia, de qua formæ, illæ quidē in sensibilibus, ipsum vero vnum in formis dicitur: quia dualitas hæc est, magnū & paruum. Itē ipsius bene, ipsiusq; male causam elementis attribuit, vtriusq; vtranque: quod etiā primorum quosdam Philosophorū Empedoclem, & Anaxagoram magis dicimus quæsiuisse. ¶ Breuiter igitur, & summatim percurrimus, quinam, & quomodo locuti sunt de principiis, & ipsa veritate. Tantū tamen ex eis habemus, ꝙ eorū, qui de principio & causa dixerūt, nemo quicquā præterea, quę in De naturalibus determinata sunt, dixerit sed omnes obscuræ quidē, illa tamen aliquatenus ausi sunt attingere. Quidā enim vt materiā principiū ponunt, siue vnā, siue plures supponāt. & siue corpus, siue incorpoream ponāt, vt Plato magnū, & paruū dicēs, Italici infinitū, Empedocles ignē, terram, aquam, & aërem, Anaxagoras vero infinitatē similium partiū. Hi igitur omnes talem causam perstrinxerūt. & ad hæc quicūque aerem, aut ignē, aut aquā aut igne quidē densius aëre vero tenuius, etenim tale quidā dixerūt primum elementū esse. hi igitur hanc attigerūt causam solam. Alij vero quidā vnde principiū motus, quicunq; scilicet amicitiam & contentionē, intellectū, aut amorem principiū faciunt. ipsum vero quid erat esse, & substantiā clare quidē nullus assignauit. Maxime vero dicunt, qui formas

Tex.10 *Cōditio re quisita apud quæstionē principiorum.*

*Hæc pars vsque vbi, Quod igitur, non est in textu Auer.*

ponunt. nec enim vt materiam sensibilibus formis, & ea, quæ in formis sunt, neq; tanquã illinc principiũ motus fieret, putãt. immobilitatis enim causa, & quietis magis eis esse aiunt. sed ipsum quid erat esse vnicuiq; cæterorum formas attribuunt, formis autẽ ipsum vnũ. ipsum vero, cuius gratia actiones, mutationes, & motus quodammodo quidẽ dicũt causam, non autẽ ita dicũt, vt aptum esse natũ est. Qui enim intellectũ, aut amicitiam dicunt, tanquam bonũ quoddam hæc ponunt. nõ tamen tanquam horũ causa quicquam entium, aut fit, nut fiat, sed tanquam ex his motus eorũ essent, ita dicũt. Similiter & qui vnũ, vel ens esse hanc naturã aiunt, substantiæ quidẽ causam esse dicũt, nõ tamẽ huius causa, aut esse, aut fieri. Quare cõtingit eius quodãmodo dicere, & negare bonũ esse tale. nõ enim simpliciter, sed secundũ accidẽs dicũt. Quòd igitur de causis, & quot, & quales sint recte determinatũ sit, testari nobis etiã isti oẽs vidẽtur, cum nõ possint aliã attingere causam. & ad hæc q. principia, aut ita omnia, aut Tex.11. horũ aliquo modo quærenda sint, patet. ¶ Quo vero pacto horũ quisq; dixerit, & quomodo de principiis se res habet, dubitationes, quæ contingere possunt de his ipsis de inceps percutramus.

*SVMMA TERTIA.*

Antiquorum de rerum causis, ac principiis opiniones confutantur.

*Aduersus eos, qui principium vnum omnium, idque corporeum statuebant: Aduersusque etiam eos, qui plura principia, & corporea ponebant. Cap. I.*

Vicunque igitur vniuersum vnum, & vnam quandam esse naturam, vt materiam ponunt, & hanc corpoream, & magnitudinem habẽtem, patet quòd multipliciter errant. Corporũ enim elementa solum ponunt, incorporeũ vero minime, cùm etiam incorporea sint. Cùmque de generatione & corruptione causas dicere conarentur, & de natura omnium rationes reddere, motus causam perimunt. Itẽ substantiã nullius causam ponendo, nec ipsum quid est. ¶ Et ad hęc facile simplicium corporum Tex.12. quodcunq; principiũ esse, terra excepta: non cõsiderantes mutuam inter ea generationem, quonã modo ponũt dico autem ignem, terram, aquam, & aërem, quædã enim cõgregatione, quædam vero disgregatione inuicem fiunt, hoc vero vt prius & posterius sit, multum differt. ¶ Id etenim ap- Tex.13. parere possit maxime omnium elemẽtale: ex quo primo congregatione fiunt. tale vero illud fuerit profecto, quod partium minutissimarum, subtilissimumque corporum fit. Quapropter quicunque ignem principium statuunt. maxime conuenienter huic rationi dicent. tale autem cæterorum quoque quisque fatetur elementum corporum esse. ¶ Quare nemo posteriorum, qui vnum po- Tex.14. nebant, terram elementum existimauerat? scilicet propter partium magnitudiuem. Trium vero quodcunque elementorum habuit authorem aliquem. quidam enim ignem, quidam aquam, quidam aerem hoc aiunt esse. At cur non dicunt & terram, vt multi hominũ? omnia etenim terram esse dicunt. Hesiodus quoque primam corporum terram ait esse. tam vulgarem & publicam acridit hanc opinionẽ esse. Secundũ hanc itaq; rationẽ, si quis aut quicquã horum, excepto igne, dicat aut aëre quidem densius, aqua vero tenuius hoc ponat, non recte profecto inquiet. Quod si id generatione posterius, natura prius sit, quod vero *digestum, & congregatum generatione poste-



*concoctũ.

rius sit, contrarium his esse vtique. aqua quidem aër prior, terra vero hae ipsa aqua, ¶De his igitur, qui vnam, qualem diximus causam ponunt, hæc dicta sint. Idipsum autem & si quis hæc plura ponit, vt Empedocles quatuor corpora ait esse materiam. etenim huic partim eadem, partim propria necesse est accidere. Nam & q; insimul fiunt, videmus, tanquam non semper igne, & terra manente eodem corpore. dictum autem de eis in de Naturalibus est. Déq; causa mouentium vtrum vnum, an duo ponenda sint, neq; recte ne que irrationabiliter omnino arbitrandum est dictum fuisse. Et simpliciter alterationem auferant necesse est, qui ita dicunt: non enim ex calido frigidum, nec ex frigido calidum erit. Quid enim ipsa contraria patiuntur, & quænam vna natura sit, quæ ignis & aqua fiat? qđ ille minime inquit.

Tex.15.

*Examinatio opinionis Anaxagoræ Cap. II.*

Anaxagoram vero si quis putauerit duo dicere elementa, maxime secundum rationem arbitrabitur: quam ille quidem ipse non digessit, ne cessario tamen secutus fuisset eos, qui eam inferrent. Quando quidem & aliter cum absurdum sit dicere à principio omnia mista esse, tum quoniã accidit immista oportere antea esse, tum quoniã non est natura aptum quodcunque cuicunq; misceri, & ad hæc, quoniam passiones, & accidentia separentur à substantiis: eorundem enim est mistio, & separatio, siquis tamen sequatur, digerens vnà cum eo quæ dicere vult, fortassis videbitur quædam noua decentius dicere. ¶Quando enim nil erat separatum, patet quod nil erat vere de illa substantia dicendũ. dico autem q; neq; album, neq; nigrum, aut fuscum, aut alium colorem, sed quod colore vacãs necessario esset. alioqui nanque

Tex.16.

Tex.17.



que aliquem horum colorum haberet. similiter etiam sine sapore eadem ratione, nec aliud quic quam similiã: nec enim quale quid possibile est illud esse, neq; quantũ, neq; quid. formarũ enim, quæ in parte dicũtur, aliquæ ei sane inessent. hoc vero impossibile, si mista sint omnia: essent enim iam separata. ¶Ait autem omnia esse mista, intellectu excepto: hũc vero solum impermistum, & purum. Ex his vero accidit principia dicere, & ipsum vnum (hoc enim simplex & impermistum) & alterum tanquam ens, quale indeterminatum ponimus, ante quàm determinetur, & aliqua participet forma. Quare dicit quidem, neque recte, neque clare, vult autem simile quiddam & iis, quę posterius dicũt, & iis, quæ nũc magis apparẽt.

Tex.18.

*Discutiuntur opiniones eorum, qui entia aliqua præter sensibilia ponebant: primumque reprehenduntur Pythagorici, principiis alieniori modo quam Naturales vtentes. Cap. III.*

Verum hæ quidem illarũ, quæ circa generationem & corruptionem, & motum sunt ratiõnum, propriæ sunt solũ. fere enim de tali substantia & principia, & causas inuestigant solum. Quicunq; vero de cunctis quidem entibus speculantur, entium autem quædam sensibilia, quędam nõ sensibilia ponunt, manifestum est, quod de vtrisque generibus perscrutantur. Quare magis immoretur quispiã de iis quid bene, quidue non bene dicãt ad eorum, quæ nobis proposita sunt, inquisitionem. ¶Qui itaque Pythagorici appellantur, principiis quidem, & elementis alieniori modo quàm Physiologi vtũtur. Causa vero est, quoniam ea non ex sensibilibus acceperunt. Entium enim, quæ mathematica sunt sine metu sunt, præter illa, quæ circa Astrologiam sunt, disputant tamen

Tex.19.

& tractant omnia de natura. etenim generant cælum:& circa eius passiones, partes,& opera,obseruant quod accidit, & principia, & causas in his consumunt, tanquam cæteris Physiologis conuenientes:quia ipsum ens hoc est,quodcunque sensibile est,& quod cõtinet id, quod vocatur cælum.

Tex.20 ¶Causas vero, & principia sicut diximus, sufficientia, vt dicunt, etiam vsque ad superiora entium transcendere. & maris quam de natura sermonibus conueniẽtia. Ex quo vero modo motus erit, finito & infinito,& pari & impari solum sup

Tex.21 positis,nihil aiunt. ¶Aut quomodo possibile est sine motu & mutatione generationem & corruptionem esse,aut actiones eorum,quæ in cælo feruntur. Item siue quis eis concedat ex his magnitudinem esse, siue monstretur hoc quomodo tamen quædam corporum leuia, quædam grauitatem habentia erunt? è quibus enim supponunt,& aiunt nil magis quam de mathematicis corporibus, de sensibilibus dicunt: quare de igne, aqua,

Tex.22 aut de huiusmodi cæteris corporibus nihil dixerunt,tanquam nil de sensibilibus proprium dicentes. ¶Item quomodo passiones quidem numeri, & ipsum numerum putandum causas eorum esse,quæ sunt à principio,ac de nouo in cælo fiunt:

Tex.23. numerum vero alium præter hunc numerum, ex quo mundus constat,nullum esse? ¶Cùm enim in hac quidem parte opinio eis,& tempus sit pau

*a.l.inin stum. lulum vero desuper aut deorsum* iniuria, & disiunctio,aut mistio,probationem autẽ afferant, q̃ horũ quidẽ vnũquodq; numerus est, cõtingit autẽ in hũc locũ multitudinẽ iã cõstitutarũ magnitudinẽ esse,eo q̃ passiones hæ sequũtur singula loca,vtrũ iste est idem numerus? qui in cælo, quem oportet accipere, quod horũ vnũquodque est, an præter



præter istũ alter? ¶Plato etenim alium esse ait.at ille quoq; numeros putat, & illa esse, & horum Tex.24. causas, sed intelligibiles quidem causas, hos vero sensibiles.De Pythagoricis itaq; præternittamus modo,sufficit enim tantum eos attigisse.

*Redargutiones aduersus Idearum assertores: quomodoque cuncti Naturalium causas inquirere visi sint. Cap. IIII.*

QVi vero ideas* ponũt primũ quidẽ,cùm quæ Tex.25. retẽt horũ existẽtium causas habere, cætera æquãna his numero attulerũt. velut si quis nume *a.c.addit causas. rare volẽs,cùm quidẽ pauciora existãt,arbitretur nõ posse,plura vero ea faciat,& ita numeret.Ferè etenim formæ æquales, aut nõ pauciores iis sunt ¶Ex quibus,dum de eis causas quærerent ad illas Tex.26. processerunt.nã secundũ vnũquodq; æquiuocum quid est,& præter substantias cæterorũ quoq; in multis est vnũ, & in his,& in sempiternis.¶Item quibus modis ostẽditur q̃ formæ sunt,secundũ Tex.27. nullũ eorũ apparẽt.E quibusdã nãq;,nõ est necesse fieri syllogismũ:è quibusdã vero etiã,quorum nõ putamus, horũ formæ fiunt, secundũ nãq; rationes,quæ ex scientiis,formæ erũt omniũ,quorũ scibilia sunt.secũdũ vero vnũ in multis,& negatio nũ,at secũdũ q̃ intelligitur quippiã eo corrupto,etiã corruptibiliũ:si quidẽ quicquã est horũ phãtasma. ¶Insup rationũ,quę magis certæ sunt,quæ Tex.28. dã quidẽ eorũ, que ad aliquid sunt,ideas faciunt, quorũ nõ dicimus esse per se genus: quædã vero tertiũ hominẽ dicũt.& simpliciter hæ de formis rationes illa perimũt,quæ magis esse quàm ipsas ideas esse volũt, qui dicunt formas.Accidit enim non dualitatẽ esse primã,sed numerũ,& quod ad aliquid eo,quod per se est:& cũcta quæcũq; cum quidam sequerẽtur de ideis opiniones, aduersati

princi

Tex.29. principiis sunt.¶Itē secūdū existimationē secundū quam esse dicimus ideas,non solū substantiarū,sed multorū etiā aliorum formæ erūt.Etenim vnus conceptus nō solū de substātiis,sed de cæteris etiam est,& scientiæ non solum substātiæ, sed etiam aliorum sunt. & cætera huiusmodi accidūt infinita.¶Secundum vero necessitatē & opiniones de eis,si formæ participabiles sunt, necesse est substātiarū solū esse ideas.nō enim secundū accidēs participatio earum est, sed eatenus

Tex.30. oportet vniuscuiusq; participē esse, quatenus* nō de subiecto dicitur. Dico autē, vt si quid ipso duplo participat,hoc etiā æterno participat. sed secundū accidēs, accidit enim duplo, æterno esse, quare formæ substantia erunt,hæ autē hic, & ibi substantiā significāt. An quicquā erit dicere esse aliquid præter has vnū in multis! Et si eadē species est idearū,& participantiū,erit aliquid commune. Cur enim magis in corruptibilibus dualitatibus,& pluribus quidē dualitatibus sed ęternis, dualitatē esse vnū,& idē sit,quàm in hac, & quadā?Et si nō est eadē species, æquiuocatio erit profecto:& simile, ac si quis & Calliā,& lignū hominē appellarit, quorū nullā inspexerit cōmunica-

Tex.31. tionē.¶Potissimū vero dubitabit aliquis, quidnā formæ cōferāt sempiternis sensibilium, aut illis, quæ fiūt & corrūpuntur.nec enim motus,nec alicuius transmutationes eis causæ sunt. At nec ad scientiā aliorū prosunt.nec enim horū illæ substātiæ sunt: in his etenim essent,nec ad esse, cùm nō insint participātibus.ita etenim fortassis causæ putabūtur esse: vt albū mistū albo. Sed ista ratio facile redargui potest, quā Anaxagoras prius, Eudoxus vero posterius, & quidā alij dixerunt.facile enim est multa,& impossibilia ad hanc opinionem

*z.l.de subiecto dicitur.*



tionē cōgerere.At nec ex formis cætera fiunt, secundū vllum illorum modorum,qui dici solent.

Tex.32. ¶Dicere vero exēplaria eas esse, & cætera eis participare vaniloquia,& metaphoras poēticas dicere est.Quod enim est,quod agit, ad ideas inspiciēs? possibile enim est & esse, & fieri quodcunq; simile, etiā nō ad illius imaginē:quare & existēte Socrate,& nō existente,fiet vtiq; qualis Socrates est. similiter autē etiā si Socrates sempiternus esset. At eiusdē erūt plura exēplaria,ergo etiam formæ veluti hominis, animal, & bipes, simul autē &* idealis homo.¶Itē non solū sensibiliū exem-

**ipsi homo*

plaria formæ erūt,verū etiā ipsarū,vtputa genus, tanquā genus specierū,quare idē erit exēplar, & Tex.33. imago. Itē videri possit possibile esse separatam substātiam,& cuius est substātia.quare quomodo ideæ,cùm rerū substātiæ sint,separatæ fuerint. In Phædone autē ita dicitur, q; tum ipsius esse, tum

Tex.34 ipsius fieri formæ causæ sunt. ¶ Quanquam formis existentibus, non tamen participanter fiunt, si non sit,quod moueat.At multa alia fiunt,velut domus,aut annulus quorum nō dicimus esse formas. quare patet posse cōtingere cætera quoque & esse,& fieri,etiam propter tales causas , quales eorum, quæ nunc dicta sunt.¶Item si formæ nu-

Tex.35 meri sunt,quomodo erunt causæ. Vtrū quoniam ipsa entia sunt diuersi numeri , vtpura hic quidē numerus homo, hic vero Socrates,hic autē Callias?Cur igitur illi his causæ sunt? Etenim si hi quidem æteri ni,hi vero non nihil differt. ¶Quòd

**rationes.*

si quoniā* proportiones numerorū ea , quæ hic, Tex.36. aut consonantia,patet quòd vnum quiddā erit quorum proportiones sunt.Si igitur hoc materia est, manifestum est quòd ipsi etiam numeri proportiones cuiusquam alterius ad alterum erunt,

Dico

Dico autē,vt si Callias proportio est in numeris ignis, terræ,aquæ,& aeris, & ipse homo aliquorum aliorum subiectorum erit. & idea numerus ac etiam ipse idealis homo,siue aliquis numerus sit, siue non erit:tamen proportio in numeris aliquorum,& non numerus,& non erit aliquis propterea numerus. ¶Item è multis numeris vnus numerus fit, ex speciebus vero, quomodo species vna? Quòd si nec ex his,sed ex numerabilibus, vt ex decem millibus, quomodo se habēt vnitates? Siue enim eiusdem speciei sunt, multa inconuenientia sequentur.siue nō eiusdē speciei, nec eædem inuicem,nec cæteræ omnes omnibus. ¶Quo nanque differēt, cum impassibiles sint?hæc enim nec rationabilia sunt, nec intellectioni cōsentanea. Item necesse est aliud quiddā numeri genus ponere, circa quod Arithmetica. ¶Et omnia,quæ media dicuntur à quibusdā, quæ quomodo, aut ex quibus principiis sunt,aut cur ista sunt, quæ media illorū, & horum erunt? ¶Itē vnitates, quæ in dualitate sunt, vtraq; ex aliqua priora dualitate, at hoc impossibile est. Item cur vnū est numerus collectus. Item adhæc, quæ dicta sunt,si vnitates * differentes sunt,oportet ita dicere, sicut quicunque quatuor, aut duo dicunt elemēta. Etenim horum singuli non dicunt elementum,quod commune est, vtputa corpus,sed ignē, & terram, siue commune quid sit corpus, siue non.nunc autem dicitur, ac si vnū ita esset(vt ignis,aut aqua) similium partiū.quod si ita sit,numeri non erūt substantiæ.Sed si ipsum vnum aliquid est,& hoc principium est,patet quod vnum multipliciter dicitur: aliter nanque impossibile est.Volētes autem substantiam referre ad principia. ¶ Longitudines quidem ex longo & breui ponunt, ex quodam

Tex.37

Tex.38.

Tex.39.

Tex.40

Tex.41. *a.l. indifferentes.

Tex.42.



quodam paruo & magno:planum vero ex lato & stricto:corpus autem ex alto & humili.

¶At quomodo aut planum habebit lineam, aut solidum lineam atque planum? aliud nanque genus latum & strictum, altum & humile. Quemadmodum igitur neque numerus est in eis, eò quòd multum & paucum ab his aliud est,ita manifestum est, quòd nec aliud quicquam superiorum inferioribus inerit. At vero nec latum genus alti est.etenim corpus esset planum quid. Item puncta, ex quo insunt? At huic generi aduersabatur Plato,tanquam existenti dogmati Geometrico: sed nominabat principium lineæ, hoc vero sæpius ponebat lineas indiuisibiles.atqui necesse est harum aliquem esse terminum: quare ex qua ratione linea est, punctum quoque est. ¶Et omnino cùm Sapientiæ sit de manifestis causam quærere, hanc quidem prætermisimus. nihil enim de causa dicimus, vnde principiū transmutationis. substantiam vero eorum dicere putātes alias substantias esse dicimus.Quomodo vero illæ horum substātiæ incassum dicimus. participare nanque, vt prius diximus*, nihil est.Nec illā etiam, quam sciētiis esse causam videmus, propterquam omnis intellectus, & omnis natura facit:nec illam causam, quā vnā de principiis esse dicimus, ipsæ formæ attingūt. sed qui hac ætate,sunt his* Mathemata facta sunt Philosophia, quamuis dicant aliorū gratia ea oportere tractare. ¶Itē subiectā substātiā, vt materiā magis mathematicam, quis profecto putauerit, ac magis prædicari,& differē tiā substātiæ, ac materię esse,veluti magnū,& parui,ficuti aiūt Physiologi rarū,& densum primas subiecti dicentes has differētias esse. hæc etenim excessius quidā,& defectus sunt. De motu autē si

Tex.43.

Tex.44.

* Discipli-næ.

Tex.45.

hæc

hęc quidē mot⁹ erūt, patet ꝙ formæ mouebūtur
¶ Quòd si nō, vnde euenit totā etenim de natura
Tex.46. cōsideratio perit. Et quod facile probare videtur
quòd omnia vnum non fit. expositione etenim
non fiunt omnia vnum. Sed ipsum vnum si quis
concedat omnia, nec hoc quidē, nisi quis vniuer
sale concedat esse genus. hoc autē in quibusdam
impossibile. Nullam autē rationē habēt, nec illæ,
quæ post numeros, longitudines, plana & solida
sunt, nec quomodo sunt, aut futura sūt, nec siquā
vim habent. hæc enim nec formas possibile est
esse. non enim sunt numeri, nec media (mathema
Tex.47. tica enim illa sunt) nec corruptibilia. ¶ Sed
rursus quartum aliud quoddam hoc genus appa
ret. Et omnino elementa quærere entium nō diui
dēdo, cùm multipliciter dicantur, impossibile est
inuenire: præsertim cū hoc modo quærāt, ex qui
bus elemētis est. ex quibus enim ipsum agere aut
ipsum pati, aut ipsum rectum, non est accipere,
quòd si est, substātiarum solum esse potest: quare
aut quærere, aut putare habere omniū existētium
elemēta non est verū. Quomodo vero aliquis cū
ctorum elemēta discet? Manifestū est enim, quòd
non est possibile quicquā eum cognoscere prius,
quemadmodum enim ille, qui Geometriam di
scit, aliqua quidem præscire contingit: quorum
vero illa scientia est, & quæ docendus est nihil
præscit, ita & in cæteris. Quare si qua cunctorum
est scientia, vt quidā aiunt, nihil profecto is præ-
Tex.48. cognoscere posset. ¶ Atqui omnis disciplina per
præcognita, aut omnia, aut aliqua est: & aut per
demōstrationē, aut per definitiōes. ex quib⁹ enim
definitio est, illa præcognoscere oportet, ac nota
Tex.49. esse, similiter & quæ p inductionē. ¶ At si innata
nobis est, mirū est quomodo nos fugit, optimam
scien



scientiarum habentes. Item quo pacto quis co-
gnoscet, ex quibus est, & quomodo manifestum
erit? etenim hoc habet ambiguitatem. Dubita-
bit enim quispiam, sicuti & de quibusdam syl-
labis. quidam enim syllabam S M A ex S & M
& A aiunt esse: quidam verò alium sonum esse
dicunt, & nullum ex notis. Item quorum sensus
est, ea quomodo quis noscet sensum nō habens?
atqui oporteret. si quidem eadem cunctorum ele-
menta sunt, ex quibus, sicuti compositæ voces, Tex. 50.
ex propriis sunt elementis. ¶ Quòd igitur illas,
quæ in naturalibus dictæ sunt, causas cūcti quæ-
rere videantur, & præter illas nullam aliam di-
cere habeamus, ex illis, quæ dicta sunt, prius
patet. sed eas obscure dixerunt, quodam modo
enim omnes dictæ sunt prius, quodammodo mi-
nimè. Balbutienti enim assimilata fuit prima
Philosophia de omnibus: tanquam in principiis
noua exiſtens. ¶ Nam & Empedocles os ait esse Tex. 51.
ratione. hoc autem est quod quid erat esse, & rei
substantia. At verò similiter necesse est etiam
carnis, cæterorúmque singulorū esse rationem,
aut nihil esse. propter hoc enim & caro, & os,
exterorúmque vnumquodque est & non propter
materiam, quam ille ignem, terram, aquam &
aërem ait. sed & his, altero dicente, necessario
consensisset profecto, clare tamen non dixit.
De his igitur & antea manifestum est, quod-
cunque autem de his quispiam dubita-
uerit, rursus repetamus. fortassis et-
enim ex eis aliquid facultā-
tis habebimus ad fu-
turas dubita-
tiones.

* *
*

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM

## LIBER SECVNDVS

### SVMMAE LIBRI.

*In hac Summa vnica, de veritatis speculatione agitur.*

*Veritatis speculationem tum facilem, tum verò difficilem esse. Quoque pacto Philosophia veritatis scientia rectè appelletur. Cap. I.*

Tex. 1. SPECVLATIO de veritate, partim difficilis, partim facilis est. Signum autem, quòd neque satis eam aliquis consequitur, neque aberrant omnes ab ea, sed quisque aliquid de natura dicit. & singuli quidem nil aut parum ei addunt, ex omnibus verò collectis aliqua magnitudo fit. Quare, si ita se videtur habere, vt in prouerbio dicimus, quis aberrabit à ianua? hoc modo profectò facilis esset. totum autem, & partem habere non posse, hoc eius difficultatem ostendit. Cùm verò difficultas duobus sit modis, fortassis causa eius non rebus, sed nobis ipsis inest. quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent,



ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt. ¶Verum non solum illis agendæ sunt gratiæ quorũ opinionibus quis acquieseret, sed illis, qui superficie tenus dixerunt, conferunt enim aliquid etiam isti. habitum namque nostrum exercuerunt. Si enim Timotheus nõ fuisset, multum melodiæ nequaquam habuissemus. si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus quidem. Simili modo & de illis est, qui de veritate asseruerunt. à quibusdam enim aliquas accepimus opiniones. quidam verò, vt hi fierent, causa fuerunt. ¶Recte autem se habet Philosophiam scientiam veritatis contemplatricem appellasse. speculatiuæ etenim finis veritas, practicæ autẽ opus, etenim si quomodo se habent considerant, non causam per se, sed ad aliquid, & eo intempore practici speculantur. ¶Nescimus autem verum absque causa. vnumquodque verò id ipsum maximè aliorum est secundum quod aliis vniuocatio inest. vt puta ignis calidissimum: etenim cæteris hic est caliditatis causa. Quare verissimum etiam est id, quod posterioribus vt vera sint causa est. Propter quod principia semper existentium necesse est verissima esse. nec enim aliquando vera: nec illis vt sint, aliquid aliud causa est, sed illa cæteris. Quare vt secundum esse vnumquodque se habet. ita etiã secundũ veritatẽ.

Tex. 2.

Tex. 3.

Tex. 4.

Tex. 5.

*In nullo causarũ genere dari processum in infinitum, neque sursum versus, neque deorsum. Cap. II.*

AT verò quod est principium aliquod, neque sunt infinitæ entium causæ, neque in rectum, neque secundum speciem, patet. Nec enim vt ex materia, hoc ex hoc potest ire in infinitũ, vt carnem ex terra, terram ex aëre, aërem ex igne &

hoc non stare. Nec vnde principium motus, velu-
ti hominem quidem ab aëre moueri, hunc verò
à Sole, Solem autem à contentione, & huius nul-
lum esse finem. Similiter nec cuius causa in in-
finitum progredi potest, vt deambulationem qui-
dem sanitatis causa, illā verò felicitatis, felici-
tatem verò alterius, & ita semper aliud alterius
Lex 6. gratia esse. Similiter autem & de ipso quid erat
esse. ¶ Mediorum enim, quorum extra aliquid vl-
timum & primum est, necesse est quod prius est,
causam esse eorum, quæ post illud sunt. Si enim
dicere nos oportuerit quid trium causa est, pri-
mum dicemus, non enim vltimum: nullius enim
quod vltimum est, neque mediū: vnius enim nil
enim differt vnum an plura sint, nec infinita, aut
finita. infinitorum quidem hoc modo & omni-
no infiniti omnes partes mediæ sunt similiter
huiusque. Quare, si primum nihil est, omnino
Tex. 7. nulla causa est. ¶ Et neque deorsum possibile
est in infinitum descendere, cùm id, quod sur-
sum versus principium habet. vt ex igne quidem
aquam, ex hac verò terram, & ita semper aliud
quoddam genus fieri. Dupliciter enim hoc ex
hoc fit non vt hoc post hoc dicitur, vt ex Isthmiis
ludis olympiaci, sed vt aut ex puero mutato
vir, aut vt ex aqua aër. Verum enim verò vt ex
puero quidem virum fieri dicimus, tanquam ex
eo quod fiebat, id quod factū est. aut quod per-
fectum est ex eo quod perficiebatur. semper ete-
nim est aliquid medium, vt inter esse & non es-
se generatio, ita quod fit inter existens & non
existens. qui autem discit, fit sciēs. & hoc est, quod
dicitur, quòd fit ex discente sciens, vt autem, tan-
quā ex aëre aqua, corrupto altero. Quare illa qui
dē non reflectūtur mutuo, nec fit puer ex viro, nō
enim



enim fit ex generatione quod fit, sed post genera
tionem est. sic enim dies ex diluculo, quoniam
post hoc est, quare nec diluculum ex die. cætera
verò reflectuntur. Vtroque tamen modo impos-
sibile est in infinitum progredi. Illorum enim,
cùm media sint, necesse est finē esse. hæc autem
inuicē reflectuntur. alterius enim corruptio alte-
rius generatio est. Simul autem impossibile est
primum corrumpi, cùm sempiternum sit, cùm
enim generatio non sit infinita sursum versus,
necesse est non esse sempiternum illud, quo pri-
mo corrupto quicquam factum est. ¶ Item ipsum Tex. 8.
cuius causa finis. tale autem est, quod non al-
terius gratia, sed eius causa cætera. Quare, si tale
erit vltimum, non erit infinitum. quòd si nihil ta-
le, non erit ipsum huius causa. Sed qui faciunt in-
finitum, latet eos, quòd boni naturam auferunt.
at nullus inciperet agere quicquam, si non esset
peruenturus ad finem. ¶ Nec esset intellectus in Tex. 9.
huiusmodi, alicuius enim causa agit, quicunque
intellectum habet. hoc nanque terminus est, fi-
nis verò ipse terminus. ¶ At verò nec ipsum quid *Intellectū habens alicuius causa agit.*
erat esse reduci ad aliam definit onem ratione
abundantem cōtingit. Semper etenim prior ma-
gis est, posterior verò non est, cuius autem pri-
mum non est, nec quod sequitur est. ¶ Itē ipsum Tex. 10.
scire perimunt, qui ita dicunt. non enim possibi- Tex. 11.
le est scire, antequam ad indiuidua deueniatur.
Et ipsum cognoscere non est, quæ enim ita infi-
nita sunt, quomodo intelligere contingit? Nec
enim simile de linea est, quæ secundum diuisio-
nes quidem non stat, intelligere verò non potest.
nisi istat. quare nō numerabit diuisiones, qui in-
finitā pertransit. ¶ Sed etiam materiā necesse est Tex. 12.
in eo, quod mouetur, intelligere. atque nulli est es-

se infinito. quod si non, non infinitum est infinito esse. ¶ Atqui etiã, si species causarum infinitæ multitudine essent, nec hoc modo esset ipsum cognoscere: tunc enim scire putamus, cum causas cognoscimus. infinitum verò secundum additionem non est in tempore finito pertransire.

Text 13. *Infinitũ nõ est pertransire infinito tempore.*

*Quales debent esse veritatis auditores: quæq; veritatis cognitionem impedire soleant. Cap. III.*

Text. 14. AVsculationes autem secundum consuetudines accidunt. quemadmodum enim cõsueuimus, ita iudicauimus dici debere. & quæ præter hæc non apparent similia: sed quia non consueuimus, ignotiora, & magis peregrina. consuetum etenim notius est. Quantã verò vim cõsuetudo habeat, leges declarant, in quibus fabulosa, ac puerilia plus possunt propter consuetudinem, quam si cognosceremus ea. ¶ Aliqui igitur, nisi mathematice loquentes, non admittunt. Quidã verò non nisi exẽplis vtẽtem. Quidã autẽ dignũ ducunt, vt testis producatur aliquis Poëta. Et quidẽ exacte omnia. Quædã verò tædet certitudinis aut propterea quòd possunt cõsequi aut propter curiositatẽ. habet enim certitudo tale aliquid. quare vt in cõtractibus, ita & in orationibus illiberale esse quibusdã apparet. Quapropter oportet peritum esse quo modo singula admittenda sunt: quoniã absurdũ est simul scientiã, & modũ scientiæ quærere, neutrũ autẽ facile accipere est. ¶ Certitudinem verò sermonis mathematicam non oportet in omnibus quærere, sed in his, quæ non habent materiã. Quare non est naturalis modus, tota enim natura forte habet materiã. Quãobrẽ cõsiderandũ est primum quidnã natura sit. sic enim & de quo Naturalis scientia est minime ũerit & vtrum vnius scientiæ, an plurium est causas, & principia speculari

Text. 14. *Consuetudinis vis.*

Text. 15.

Text. 16.

ARIST



# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER TERTIVS.

## SVMMAE LIBRI.

*In Prima dubitationes multæ proponuntur.*
*In Secunda eædem examinantur dubitationes.*

## SVMMA PRIMA.

*Dubitationis causa exponitur. Cap. I.*

ADiilam, quæ quæritur, scientiam, Text. 1. necesse est in primis nos percurrere de quibus primo dubitandum est. Posteriùs autem quæ sunt, & quæcunque de eis aliter quidam existimarunt, & si quid vltra hæc prætermissum sit. Est autem operæ prætium, aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare. nam posterior facultas solutio eorum est, quæ ante dubitata fuerunt. *Soluere autem non est, cum nodus ignoretur, sed intellectus habitatio manifestum hoc de re fit. quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur. vtroque nanque modo impossibile est ad vlteriora procedere. Quare omnes primo difficultates speculari par est, & horũ gratia, & propterea quòd illi, qui quærunt, nisi primo dubitent, similes illis sunt, qui quonã ire oporteat ignorant, & adhuc neque vtrum in-

*Posteriùs facultas solutio prius dubitatorio.*

*Soluere enim est cum nodus ignoretur.*

C 4

tenerint quod quæritur, an non, cognoscere possunt. finis etenim his quidem non est manifestus: illi autem qui antea dubitauerit, patescit. Item melius se habere necesse est illum ad iudicandum, qui tanquam aduersarios, omnes vtrinque rationes oppositas audiat.

*Melius se habet ad iudicandum, qui vtrinque rationes oppositas audit.*

*Dubitationes variæ ad hanc scientiam pertinentes proponuntur. Caput 1 1.*

Tex. 2. EST autem prima dubitatio de his, quæ in proœmio quoque dubitauimus, vtrũ vnius an multarum scientiarum sit causas speculari. Et vtrum primæ substantiæ principia solũ huius sit scientiæ considerare, an etiam de principiis, ex quibus omnes demõstrant. vt puta vtrum contingit vnũ & idem simul affirmare & negare, an non, & de aliis huiusmodi. Quòd si circa substantiam est, vtrum vna, an plures circa omnes sint. & si plures, vtrum omnes inter se affines, an aliquas earum sapientias, nonnullas aliquid aliud appellandum sit. Et hoc etiam ipsum necessarium est vt quæratur, vtrum sensibiles substantias esse duntaxat dicendum sit, an præter has, etiam alias. Et vtrum vnum, an plura substantiarum genera sint. veluti qui formas, quique mathematica harum & sensibilium media faciunt, & de his igitur, vt dicimus, considerandum est. Et vtrum circa substantias solum speculatio sit, an etiam circa ea, quæ per se substantiis accidunt. Et ad hæc de eodem & diuerso, simili & dissimili, & contrarietate, & de priori & posteriori, & cæteris cunctis huiusmodi, de quibus Dialectici considerare conantur, ex probabilibus solum perscrutantes, cuius est de his omnibus speculari. Item quæcunque per se eiusdem ipsis accidunt, & non solum



solum qnid horum vnumquodque est, sed etiam vtrum vni contrarium. Et vtrum ipsa genera sint principia, & elementa, an illa, in quæ diuidunt, quæ insunt singula. Et si ipsa genera, vtrum quæcunque vltima de indiuiduis prædicantur. an priora. vt puta, vtrum animal, vel homo principio, & magis quàm singularia sit. Potissimum verò quærendum & tractandum est vtrum est aliqua, præter materiam, causa per se, an non. Et hæc separata, an non. Et vtrum vna, an plures numero. Et vtrum est aliquid præter * cunctum (dico autem cunctum, cùm quicquam de materia prædicatur) an nihil. an quorundam quidem sit, quorundam verò non, & quænam entium talia sint. Item principia, vtrum numero, an specie definita sint, & quæ in rationibus, & quæ in subiecto. Et vtrum corruptibilium & incorruptibilium eadem, an diuersa & vtrum incorruptibilia omnia, an corruptibilium corruptibilia. Item, quod omnium difficillimum est, & maximam ambiguitatem habet, vtrum vnum & ens, vt Pythagorici, & Plato dicebant, non est aliud quicquam, sed entium substantia, an non: sed aliud quid subiectum, vt Empedocles amicitiam ait, alius verò quidam ignem, etiam alius aquam, aut aërem. Et vtrum principia vniuersalia sint, an tanquam singularia rerum. Et potentia, an actu. Item vtrum aliter, an secundum motum. & hæc enim multam dubitationem præbere queant. Et ad hæc vtrum numeri, longitudines, figuræ, & puncta substantiæ quædam sint, an non. Et si substantiæ, vtrum separatæ a sensibilibus, an in eis. De his enim omnibus non modo inuenire veritatem, difficile, verum neque bene ratione dubitare facile est.

* totum

## SVMMA SECVNDA.

### Examinantur propositæ difficultates.

*Disputantur difficultates de causarum, principiorum, ac substantiarum cognitione. Cap. I.*

Tex. 3.

*Vtrũ vnius an plurium scientiarũ sit omnia genera causarũ speculari.*

PRimum itaque de quibus primo diximus, vtrum vnius, an plurium scientiarũ sit omnia causarum genera speculari. Vnius enim scientiæ, quomodo essent principia, cùm nõ sint contraria cognoscere? Itẽ multis entium, non omnibus, omnia insunt. Quo nãque modo possibile est motus principium in immobilibus esse, aut boni naturã. si quidẽ omne, quodcunque per se, & propter suam ipsius naturam bonũ sit, finis est, & ita causa, quoniam illius gratia cætera & fiunt, & sunt: finis autẽ & cuius causa actionis cuiusdam finis est, actiones vero omnes cum motu. Quare in immobilibus non contingere quèat hoc principium esse, non autem esse contingat quicquam per se bonum. Vnde in Mathematicis nihil per hanc causam probatur, nec est aliquã demonstratio quare eius, quod melius, aut peius, & omnino alicuius talium, nemo mentionem facit. Quapropter quidam Sophistarũ, vt Aristippus, spernebat eas. in aliis enim artibus, ac ipsis etiam illiberalibus, vt in Fabrili, & Coriaria, inquiebat, cur melius aut peius, de omnibus dici: Mathematicas autem, nullam de bonis, & malis rationem facere. At si plures sunt causarum scientiæ, & alia alius principii, quam earum dicendum, eam esse, quæ quæritur? aut quis illorum, qui eas habent, rem quæ quæritur maximè sciet? contingit enim eidem omnes modos causarum inesse, vt puta domus, vnde quidem motus, ars & fabri-



faber: cuius vero causa, opus materia autem, terra, & lapides: forma vero definitio. Ex his itaque, quæ ab Antiquis determinata sunt, quæ scientiarum appellanda sit Sapientia, rationabile videatur vnamquamque ita appellandã esse. Verum quatenus principalissima & honorabilissima, & cui cæteras scientias tanquã ancillas nõ conuenit contradicere decet, illa est ipsius finis & boni. huius enim causa cætera. Quatenus verò primarum causarum, & eius, quod maximè scibile definita est esse, ipsa vtique substantiæ fuerit. cùm enim mõlip'iciter sit idem scire. magis quidem illũ scire dicimus, qui rem quidnam sit ipso esse cognoscat, quàm illũ qui ipso nõ esse. Istorum autem ipsorũ, alterum altero magis, & maximè illũ, qui quid est, non vero illum, qui quantum, aut quale, aut quid agere, siue quid pati natura apium est. Item & in cæteris tunc scire vnumquodque eorũ etiã, quorum demonstrationes sunt, arbitramur, cũ quid est sciamus, vt puta quid est tetragonismus, q̃ inuentio mediæ. similiter & de cæteris. Circa generationem autem, & actiones totãmque trãsmutationem, cùm sciamus motus principium, hoc autem aliud & fini oppositũm est. Quare *, alterius esse scientiæ videtur harum causarum vnamquãque speculari. ¶ At vero & de principiis demonstratiuis, vtrum vnius scientiæ an plurium sint, ambiguum est. Dico autem demonstratiua, opiniones communes, ex quibus omnes demonstrant, vtputa q̃ necesse est omne, aut affirmare, aut negare. & q̃ impossibile est simul esse & non esse. & quæcũque aliæ similes propositiones sunt. Vtrum vna istarum, ac substantiæ scient a est, an diuersa, quòd si non vna, vtra dicenda est illa esse, quæ nunc quæritur. Vnius itaque non est ra-

* al. non alterius.

Tex 4.

*Vtrũ vnius scientiæ sit de principiis demonstratiuis.*

tionab

tionabile esse. Cur enim Geometriæ magis quàm cuiuscunque propriũ sit de his speculari? Si itaque æqualiter quidẽ cuiuscunque est, de omnibus verò non contingit, sicuti nec cæterarum ita nec illius, quæ cognoscit substantias proprium est de eis cognoscere. Et adhæc, quomodo eorum scientia erit? quid enim horum quodque est nãc quoque cognoscimus. vtuntur nanque eis cæteræ etiam artes, tanquam cognitis. Quòd si demonstratiua de eis est, oportebit aliquod genus subiectum esse, & aliquas passiones, & aliquas eorum dignitates esse. de omnibus enim demonstrationem esse impossibile est. siquidem necesse est ex quibusdam. & circa quippiam, & quorundam demonstrationem esse. Quare accidit cunctorum, quæ demonstrantur, vnum quoddam genus esse. omnes enim demõstratiuæ vtuntur dignitatibus. At verò, si altera, quæ de substãtia, & illa, quæ de his, vtra earũ principalior, & prior est? vniuersaliter enim, & maxime principia omnium dignitates sunt. Et, si non est Philosophi, cuius alterius erit de eis verum, & falsum speculari? ¶ Et omnino, vtrum vna omnium substantiarum, an plures scientiæ sunt. Si igitur non vna, cuius substantiæ hæc scientia erit ponenda? Vnam autem omnium esse non est rationabile, etenim demonstratiua de omnibus accidentibus esset. siquidem omnis demonstratiua ea, quæ per se circa aliquod subiectum accidunt, speculatur ex communibus opinionibus. Circa itaque idem genus per se accidentia eiusdẽ est speculari, & eisdem opinionibus. Circa enim quod est vnius, & ex quibus vnius, siue eiusdẽ, siue alterius, vnde & accidentia aut*hæ speculabuntur, aut ex his vna. ¶ Item, vtrum circa substantias solum speculatio est, an etiam

*De omnibus demonstrationem esse est impossibile.*

Tex. 5. *Vtrũ omnium substantiarum sit vna scientia.*

* a. l. eadẽ Tex. 6. *Vtrũ hæc*



etiam circa accidentia eis. Dico autem, vt puta si *scientia sit solidum* quædam substantia est, ac lineæ & pla- *solum circa* na, vtrum eiusdem scientiæ est ista cognoscere, & *substãtias.* quæ circa vnumquodque genus accidunt, de quibus Mathematicæ demonstrant, an alterius. Si enim eiusdem demonstratiua quædam erit etiam quæ substantiæ. non videtur autem ipsius quid est demonstratio esse. Quod si alterius, quæ erit, quæ speculatur circa substantiam accidentia? hoc enim difficillimum reddere est. ¶ Item vtrum sensibiles solùm substantias esse dicendum est, an præter istas etiam alias. Et vtrum vnũ, an plura substantiarum genera sunt, vt hi, qui dicũt formas & media, circa quæ Mathematicas aiunt scientias esse. Quomodo igitur dicimus formas causas, & substantias per seipsas esse in superioribus sermonibus dictũ est. Cùm verò multiplicẽ difficultatem habeant nõ minus est inconueniens dicere quidem esse quasdam naturas præter eas, quæ in cælo sunt, illas verò easdem, quas & sensibiles ponere, nisi quod illa quidem sempiterna, hæc verò corruptibilia. Idealem nãque hominem & idealem equum, & sanitatẽ aiunt & nihil aliud: simile quid illis facientes, qui dicunt quidem esse Deos, sed formæ similis hominibus. nec enim isti aliud fingebant, nisi homines sempiternos, nec illi formas nisi sensibilia sempiterna. Idem si quis præter formas & sensibilia ponat media, multas dubitationes habebit. Patet enim & similiter, & lineæ præter ipsas sensibiles erunt, & aliorum genera- gula. Quare cùm Astrologia vna earũ sit, erit- vlum aliquod præter sensibile cælũ, & Sol &c. similiter quæ in cælo sunt. At quomodo lendum est talibus? nam immobile non et- onabile esse, mobile autem

Tex. 7. *Vtrũ sola substantiæ sensibiles sint. Quomodo intelligantur.*

& omni

& omnino est impossibile. Similiter & de quibus Perspectiua tractat, & quæ in Mathematicis Harmonica. & hæc enim impossibile est præter sensibilia esse propter similes causas. si enim sensibilia sunt media, & sensus patet q animalia etiã erunt eorum mediorũ, & quidem corruptibilium.

Tex.8. ¶ Dubitauerit autẽ aliquis, circa quæ entia oportet has scientias quærere. si enim in hoc differret solum à Geometria Geodæsia, q hæc quidem eorum est, quæ sentimus, illa vero nõ sensibilium est, patet quod præter medicinã erit aliqua scientia, & præter quamcunque aliarũ inter ipsam Medicinã, & hãc medicinam. At quomodo possibile est? etenim etiam salubria quædam essent, præter sensibilia, & ipsum salubre. Simul autem nec hoc verum est, quod Geodæsia sensibilium, & corruptibilium magnitudinũ sit. corrumperetur enim illis corruptis. At neque sensibiliũ magnitudinũ, neque circa hoc cælũ Astrologia esset. Nec enim sensibiles lineæ tales sunt quales Geometria dicit. nil enim sensibilium ita rectũ atque rotundũ. tangit enim circulus regulã, non secundum punctum, sed sicut Protagoras dicebat, redarguens Geometras. nec motus, nec reuolutiones cæli similes, de quibus Astrologia rationes facit. neque

Tex.9. puncta eandẽ naturã, quam stellæ habent. ¶ Sunt autem quidam dicentes esse quidẽ hæc, quæ formarũ & sensibilũ media dicuntur, non tamen à sensibilibus separata, sed in eis. Quos quæ impossibilia sequuntur, omnia quidẽ enumerare longi sermonis esset. sufficit autem talia speculari. Non enim de his solum, vt ita se habeant, rationabile est, sed patet, q etiam formas cõtingeret in sensibilibus esse. eiusdem enim rationis vtraque hæc sunt. Item duo solida in eodem loco necesse esset

esse,



esse, & non esse immobilia, in sensibilibus existentia motis. Et omnino cuius causa quis ponet quidem esse ea, esse autẽ in sensibilibus? eadem enim quæ prædicta sunt, absurda sequentur. erit nanque aliud quoddam cælum præter cælum: nisi quod non separatum, sed in eodem loco, quod impossibilius est.

*Examinantur quæstiones de Generibus. Cap. II.*

Tex.10. MAgna itaque de his dubitatio est, quonam modo ponendo, veritatem consequemur. Et de principiis, vtrum oporteat genera existimare elementa & principia, an illa magis, ex quibus inexistentibus quicquã primum est. vt vocis elementa, & principia videtur ea esse, ex quibus primo omnes voces compositæ sunt, sed non vox in aliquo quorum demonstrationes in aliarũ aut omnium, aut pluriũ demonstrationibus insunt. Item etiam corporum, & qui plura dicũt elementa esse, & qui vnum, ex quibus componuntur, & ex quibus cõstant, principia esse aiunt. vt Empedocles ignẽ & aquã, & quæ cum eis sunt elementa ait esse, ex quibus inexistentibus entia sunt. sed non ea vt genera entiũ ponit. Et ad hæc, siquis cæterorũ quoque naturam velit cõsiderare, veluti lectũ ex quibus partibus & quomodo compositus est, tunc eius naturã cognoscit. Ex his itaque rationibus non essent principia genera entium. Cum autẽ singula cognoscamus per definitiones: principia vero definitionum genera sint: necesse est definitorum etiam principia genera esse. Et si entium habere scientiã est ipsum habere specierum scientiã, secundum quas etiã dicuntur, specierum principia ipsa genera sunt. Videtur autem quidã etiam eorum, qui elementa entium ipsum vnum, aut ens, aut

*Vtrũ genera & prin-cipia rerũ poni debeãt*

*an ea, ex quo⁹ quicquorum demonstrationes in aliarũ aut omnium, quam pri-mum est.*

magn

magnum aut paruum dicunt, tanquã generibus eis vti. Aut verò non possibile est vtroque modo principia dicere: ratio nanque substantiæ vna. diuersa verò erit, quæ sit per genera, definitio, & quæ dicit, ex quibus inexistentibus. Et ad hæc, & si quàm maximè ipsa genera principia sunt, vtrũ prima generum arbitrandũ sit esse principia, an vltima, quæ de individuis prædicantur. etenim hoc dubitatur. Si enim quoniam vniuersalia, magis principia sunt, patet q̃ suprema generum. hæc enim de omnibus dicuntur. Tot igitur principia entium erũt, quot prima generum sunt. Quare & ipsum ens, & ipsum vnum principia, & substantiæ erunt, hæc enim de omnibus maxime entibus dicuntur. Nõ est autẽ possibile, neque ipsum vnũ entiũ esse genus, neque ipsum ens, necesse etenim est vniuscuiusque generis differentias & esse, & vnamquanque vna esse. impossibile verò est, aut species generis de propriis differentijs prædicaris, aut genus absque suis speciebus. Quare si vnum, vel ens genus est, nulla differentia nec vnum, nec ens erit. at, si non genera, nec principia erunt siquidem genera principia sunt. Item etiam media, cum differentijs collecta, erunt genera vsque ad individua, nunc autem quædam videntur, quædã verò non videntur. Et ad hæc differentiæ magis principia, quàm genera, si igitur istæ etiam principia, infinita, vt ita dicam principia fiunt, & maxime si quis primũ genus principũ ponat. At verò, & si principalis species magis ipsum vnum est: vnum autem est, quod indiuisibile est. omne verò indiuisibile, aut secundum quantum, aut secundum speciem: prius autem, quod secundum speciem est. ger era autem magis diuisibilia in species; vnum erit profecto, quod vltimo prædicat.

*Idem t. huius 17.*

*Vtrum prima genera an vltima ponenda sint principia.*

*Impossibile est aut species generis de propriis differentijs prædicari, aut genus absque suis speciebus.*

Tex. 11.

*Omne indiuisibile, aut quantitate aut specie est.*



dicatur. non enim est homo genus singularium hominũ. Item in quibus prius, & posterius est, nõ est possibile quod de his dicitur, aliquid præter hæc esse, vt puta si dualitas numerorũ est prima, nõ erit aliquis numerus præter species numerorũ similiter neque figuræ præter species figurarũ. Quód si non horũ, multo minus aliorũ erunt genera præter species. horum enim maximè videntur genera esse: in indiuiduis verò non est hoc quidem prius, illud verò posterius. Item vbicunque hoc quidem melius, hoc vero deterius est semper prius est quod melius est. quare nihil horum genus esset. Ex his itaque magis apparẽt, quæ de indiuiduis prædicantur quàm genera, esse principia. Rursus tamen quomodo oporteat ista existimare principia non est facile dictu. Principium enim & causam esse oportet præter res, quarum principium est, & posse esse separatũ ab eis. Tale quid autem esse præter singulare cur quisquam opinaretur, nisi quoniã vniuersaliter & de omnibus prædicatur? At si propter hoc quæ magis vniuersalia sunt, magis ponenda principia sunt, quare prima genera vtique principia sint.

*In indiuiduis non est hoc prius, illud posterius.*

*Quæstiones de vniuersalibus.*

*Cap. III.*

Est autem consequens his, & ad speculandum ommũ difficillima, maximéque necessaria dubitatio, de qua præsens sit sermo. Si etenim nõ est quiequã præter singularia, singularia verò infinita sunt, quomodo possibile est infinitorũ habere scientiam? quatenus enim vnũ quid & idem, & quatenus vniuersale quid est, eatenus omnia cognoscimus. At si hoc necesse est, & oportet aliquid præter singularia esse, necesse erit, vt genera, aut vltima aut prima, sint præter singularia.

Tex. 12.

*Vtrũ vniuersale qc quã sit præter singularia, vel ne.*

hoc autē q̄ impossibile sit, paulo ante dubitauimus. Item si quàm maximè aliquid est præter totum cùm quicquam de materia prædicetur, vtrū si aliqua species est, præter omnia esse aliquid oporteat, an præter aliqua esse, & præter aliqua non esse, an præter nullum. Si igitur nihil præter singularia est, nihil intelligibile erit, sed omnia sensibilia & scientia nullius erit, nisi quis sensum dicat scientiam esse. Item nihil esset sempiternum, nec immobile, sensibilia enim omnia corrumpuntur & in motu sunt. At si nihil est sempiternum, neque generationē esse possibile est necesse est enim aliquid esse id, quod fit, & ex quo fit, & vltimum horum ingenitum esse: siquidem fiat, & ex nō ente fieri impossibile est. Item generatione & motu existente, necesse est, vt finis etiā sit, nec enim infinitus est aliquis motus, sed cuiusq; est finis, & fieri nō est, possibile, quod factum esse impossibile sit, quod autē factum est, necesse est vt sit, cùm primo factū est. Item si materia est, propterea quod ingenita est, multo magis rationabile est ipsam substantiam esse, cùm illa existat, vt hæc sit. Si enim nec hæc erit, nec illa, nihil erit omnino. q̄ si hoc impossibile est, necesse est vt forma, & species aliquid præter totum sit. Si autē rursus hoc aliquis ponet, dubium est de quibus hoc ponet, & de quibus non, quòd enim de omnibus non est possibile, patet. non enim ponemus aliquam esse domum, præter domos singulares. ¶ Et ad hæc vtrum vna erit omnium substantia, vtputa hominum. Sed absurdum est, non enim vnum essent omnia, quorum substantia vna, sed multa atque diuersa. sed hoc etiā inconueniens est. Simul autem quemodo materia vnumquodque horum est, & est totum hæc ambo?

Vtrum



*Vtrum principia sint eadem numero, vel specie. Et an corruptibilium, & incorruptibilium eadem sint principia, v l ne. cap. IIII.*

ITem de principiis hoc etiam aliquis dubitabit, Tex.14.
nā si specie sunt vnū, nihil erit numero vnum, nec ipsum vnū, & ipsum ens, ipsūmque scire quomodo erit, si non aliquod vnū in omnibus erit. At vero si vnum numero, quodve principiorum vnū, & non, vt in sensibilibus, alia aliorum, vtputa huius syllabæ cū specie sit eadem, etiam principia specie eadē sunt. etenim hæc numero alia sunt Quod si non ita, sed principia entium numero sunt vnum, non erit præter elementa aliquid aliud. numero enim vnum dicere, aut singulare, nihil differt. ita enim singulare dicimus, quod vnum numero est: vniuersale vero, quod in his, quemadmodum si vocis elementa, eò quòd vnū numero est, determinata essent, necesse esset tot omnes literas esse, quot elementa, cū non essent duo, aut plura eadē. ¶ Nihilo autē minor dubitatio & Tex.15.
à præsentibus & à prioribus prætermissa est, vtrū eadem corruptibilium & incorruptibilium principia sint, an diuersa. Si enim eadem sunt, quomodo hæc quidem incorruptibilia, hæc vero corruptibilia sunt, & propter quā causam? Quicūq; igitur circa tempora Hesiodi fuerūt & cūcti Theologi, solum quòd sibi persuaderent, curæ habuerunt nos autē contempserūt. Cùm enim principia Deos facere, & ex Diis fuisse dicerent, quæcunque non gustarunt nectar, & ambrosiā, mortalia dicunt fuisse. Manifestum autem est q̄ sibi ipsis hæc nomina cognita dicentes, taléq; afferentes causas, supra vires nostras dixerunt. nam *Egens cibo*
si voluptatis gratia ea attingerunt, neq; aquam *non est sem-*
sunt ipsius esse causas nectar, & ambrosiā, quod si *piternum.*
ipsius esse gratia, quomodo essent sempiterni

cum alimẽto indigerẽt ? Sed de his quæ fabulose & sophistice dicuntur, non est dignum accuratè considerare. Ab illis verò, qui per demonstrationem dicunt, petere oportet, ac interrogare, cur cum ex eisdem sint, hæc quidem entiũ sempiterna natura sunt, hæc verò corrumpuntur ? cum autẽ neque dicãt causã, neque rationabile sit ita se habere, patet q̃ non sunt eorũ eadẽ principia neque causæ. Empe. namque, quẽ quis maxim sibi ipsi putauerit consona dicere, is quoque idẽ passus est. ponit enim quoddã principium corruptionis causam, contentionẽ. nihilominus tamen & hæc videbitur generare, præter Deum dicit enim.

*Ex quibus ita quæ erant, si sunt, quæq; in posterũ erũnt*
*Ac arbores pullularunt, & viri, ac mulieres,*
*Feræ, alitesq;, & pisces in aqua nutriti,*
*Ac Diu longæui.*

At etiã absque his patet. nam si nõ inesse in rebus contentio, vnũ omnia, vt ait, essent. cũ enim conueniãt, tũc extima statuitur contentio. Vnde & accidit ei felicissimũ Deũ minus sapientem cæteris esse. nũ enim cognoscit omnia elemẽta. cõtentionẽ nãque no habet. cognitio autem similis simili.

*Terrã enim, ait, terram aspicimus, aquam vero aquã.*
*Æthere autẽ æther diuus, sed igne ignẽ manifestum*
*Ac amicitia amicitiam, & contentionem contentionẽ*
*perniciosa.*

Vide 1. de Anima. t. 25.

Sed vnde sermo digressus est, hoc est manifestum, quod accidit ei, contentionem non magis corruptionis, quam ipsius esse causam esse. similiter nec amicitiã plus esse. cum enim congreget in vnum, corrumpit cætera. & simul ipsius transmutationis nullam causam dicit, nisi quod ita natura aptum est. ait enim.

*Magna contentio in membris nutrita fuit.*
*Ac ad honores ascendit tempore perfecto.*

Quod



*Quod eis cũ alterũ sit, emplum præcipit iusurandum.*

Tanquam necesse sit quidem trãsmutari, causam tamen necessario nullã manifestat. tantũ tamen sibi ipsi consentanee dicit, q̃ nõ facit hæc quidem entium corruptibilia, hæc verò incorruptibilia, sed omnia corruptibilia, præter elemẽta. Quæ autẽ dicitur nũc dubitatio est, cur si omnia ex eisdẽ sunt. hæc quidem sunt. hæc vero non. Quòd igitur non sint eadẽ principia, hæc demum dicta sint. Quòd si diuersa principia sunt, vna quidem dubitatio est, vtrum incorruptibilia etiam ista erunt, an corruptibilia. Si enim corruptibilia, patet q̃ necesse est ea quoque ex aliquibus esse. omnia enim in illa ex quibus sunt, corrumpũtur. quare accidit principiorum alia esse principia priora. hoc autem impossibi, siue testatur, siue in infinitũ progreditur. Item, si principia adimentur corruptibilia quo modo erunt? Quòd si incorruptibilia sunt, cur ex his quidem cum incorrupt. bilia sint, corruptibilia erunt, ex alteris verò incorruptibilia? hoc enim non est rationabile, sed aut impossibile est, aut multis indiget rationibus. Item nemo conatus est alia ostendere, sed eadem omnium principia dicunt, & quod primo dubitatum est, tanquam paruum quidem putantes, prætereunt.

*Omnia corrumpuntur in ea, ex quibꝰ sunt.*

Ide 1. phy. te. 65, & 9. ph. 45.

*Antens & vnum sint rerum substantia. Cap. V.*

OMnium autem & ad speculandum difficillimum & ad cognoscendam veritatem maximè necessarium est, vtrũ ipsum ens, & ipsum vnũ substantiæ entium sint, & non aliquid aliud vtrũque eorũ sit, sed hoc vnum, illud verò ens sit. aut oporteat quidnam sit ipsum ens, & ipsum vnũ quærere, tanquam altera natura subiecta. Quidam enim illo, quidam verò hoc modo putant naturam habere, Plato nanque, ac Pythagorici non esse aliud

Tex. 16

quid ipsum ens, nec ipsum vnum aiebāt, sed hoc eorum naturam esse tanquam substantia idem vnum, & ens esset. Qui autē de natura tractarunt, vt Empedocles tanquam in magis cognitum reducens, dicit quòd vnum est ens. videri namque posset dicere hoc amicitiam esse, causa enim hæc omnibus est vt vnum sint. Alii vero ignē, & alii aërem aiunt ipsum vnū, & ipsum ens esse, ex quo entia & esse & facta esse. Similiter, & qui plura elementa ponunt. necesse enim & his est tot esse dicere ipsum ens. & ipsum vnū. quot aiunt principia esse. Accidit autem si quis non ponet esse aliquam substantiam ipsum vnum, & ipsum ens, nec aliorum vniuersalium quicquam esse. hæc enim vniuersalia maximè omnium sunt. Quòd si non est aliquid ipsum ens, & ipsum vnum, multo minus quicquam aliorum sit præter ea, quæ singularia dicuntur. Item, si ipsum vnum non sit substantia, patet quòd nec numerus erit tanquam natura alia separata ab entibus. numerus enim vnitates, vnitas vero vnum quid est. Quòd si quid est ipsum vnum & ipsum ens, necesse est eorum substantiam esse vnum & ens, non enim aliquid aliud vniuersaliter prædicatur, sed eadē ipsa. At vero si quid erit ipsum ens, & ipsum vnum magna dubitatio est, quonam modo aliquid aliud præter hæc erit. dico autem quomodo entia erunt plura vno. quod enim aliud ab ente est, non est. quare secūdum Parmenidis rationem necesse est accidere omnia entia esse vnum, & hoc esse ens. Vtroque autem modo difficile est. siue enim vnum non sit substantia, siue ipsum vnum sit, impossibile est numerum esse substantiam. Si igitur non sit, dictum est prius quare. Si autem sit, eadem ac de ente dubitatio est. ex quo enim



enim & præter ipsum vnū erit aliud vnū, necesse profecto est nihil esse. omnia vero entia, aut vnū, aut plura, quorum vnumquodque vnū est. Itē, si ipsum vnū indiuisibile (secundum quidem Zenonis positionē nihil vtique fuerit. Quod enim neque additū, neq; demptum facit aliquid maius, id non esse entium aiunt, tanquā ens magnitudo sit, & si magnitudo corporalis. hæc nanq; omniquaq; ens. cætera vero quodāmodo quidē addita facient maius, quodā modo vero nihil: vt superficies & linea facient. punctū vero & vnitas minime. Sed, cū ipse molestè speculetur, ac contingat aliquid indiuisibile esse, sic ad illum habetur aliqua responsio. huiusce modi nanq; additum non maius, sed plus efficit. Sed quomodo ex vno tali, aut pluribus magnitudo erit? simile nanq; est, ac si dicatur ex punctis lineam esse. Quòd si quis ita putat, vt quemadmodum quidam dicunt, ex ipso vno & alio quodam non vno numerus fiat, nihilominus tamen quæ rendū est, cur, & quomodo quandoque numerus, quandoque magnitudo erit. quod sit, si ipsum non vnum inæqualitas hac eadem natura, erat. Nec enim apparet, quo pacto ex vno, & ista, neque quo pacto ex aliquo numero, & ista magnitudines fieri queant.

*An numerus, & magnitudo substantiæ sint, vel ne. Caput VI.*

Tex. 17. HIs autem consequens dubitatio est, vtrū numeri, & corpora, & superficies: & puncta aliquæ substantiæ sint, an non. Si enim non sunt fugit nos quidnam ipsum ens, & quæ entium substantiæ sint. Passiones enim, & motus, & quæ ad aliquid sunt, ipsæque dispositiones, ac rationes earum substantiam significare videntur. cuncta

Universidad de Deusto Biblioteca

enim de aliquo subiecto dicũtur, nihilque horũ
*hæc aliqd* ipsum quid est. Quæ verò maximè substantiam videantur significare, sunt aqua, terra, & ignis, et quibus composita corpora consistunt. horum autem caliditates quidẽ & frigiditates, & huiusce modi passiones non substantiæ sunt. corpus verò solùm, quod hæc patitur, permanet tanquam aliquod ens, & aliqua existens substantia. At verò corpus minus est substantia quã superficies, & superficies quàm linea, & linea quàm vnitas, & pũctũ. his enim corpus definitur. & hæc quidẽ videtur posse sine corpore esse, corpus verò absque his impossibile esse. Quare plures quidem, & Antiquiores substantiam quidẽ & ens, putabant esse corpus. cætera verò huius passiones: vt & principia corporum entium essent principia. Posteriores verò & illi sapientiores habiti numero. Quemadmodum itaque dicimus, si hæc non sunt substantiæ, nulla substantia, nec aliquod ens omnino est. quæ enim eis accidunt. non conuenit entia nominare. At si hoc quidem conceditur, quòd longitudines, & pũcta magis quàm corpora substantiæ sint, at qualia corpora hæc sint non videmus (in sensibilibus nanque impossibile est esse) non erit profecto vlla substantia. Item videntur hæc omnia dimensiones corporis esse, hoc quidem ad latitudinem, hoc verò ad profunditatem, illud porro ad longitudinem. Et ad hæc similiter inest in solido quæcunque figura. Quare si nec in lapide Mercurius, nec in cubo dimidium cubi, sic vt disterminatum, ergo nec superficies. nam si quæcunque, & ea profecto sit, quæ dimidium disterminat. eadem autem ratio & de linea, puncto, & vnitate est. Quare si corpus maximè substantia est. hæc autem corpore magis, hæc verò non



non sint, neque substantiæ quæ dã sint, fugiet nos profecto quidnam sit ens, quæue entium substantia est. Ad hæc enim, quæ dicta sunt, etiam quæ circa generationem, & corruptionẽ accidunt inconuenientia. Videtur enim substantia, cum ante non existens, nunc sit, aut eũ antea existens, postea non, cũ generatione & corruptione hæc patiãtur. At puncta lineas, & superficies, neque fieri, neque corrũpi cõtingit, cũ quãdóque sint, quãdóque vero non sint. Cùm enim tangant, aut diuidãtur corpora, quãdoque vna, cùm simul tangũt, quãdóque duæ, cũ diuidũtur, fiũt. quare neque iam copositis, sunt, sed corruptæ sunt: & diuisis, sunt, cùm antea non essent. punctũ nanque indiuisibile, non est diuisum in duo. Cæterũ, si generantur, & corrũpuntur, ex aliquo fiunt. Similiter autem se habet & circa nunc, quod est in tempore. nec hoc enim contingit generari, & corrumpi, sed tamẽ aliud esse semper videtur, cùm non substãtia aliqua sit. Patet autem quod etiã circa puncta, lineas, & superficies similiter se habet. eadem enim ratio est. cũcta nãque similiter, aut fines, aut diuisiones sũt. *Hæc nõ habet Auer.*

*Dãbitationes de Ideis. Cap. VII.*

OMnino autem aliquis dubitauit, quare oportet alia quædam præter sensibilia, & media quærere, vt puta eas, quas ponim⁹ formas. Si enim propterea q̃ mathematica quidem ab his, quæ hic sunt alio quodã differunt, in eo sanè q̃ plura eiusdẽ speciei sunt, nihil differunt, & ideo nõ erũt eorum principia, numero determinata, sicut etiã lite rarũ quæ hic, numero quidẽ nõ sunt omniũ principia determinata, sed specie, nisi quis huius syllabæ, & huius vocis accipiat. harum enim numero etiã determinata erunt. similiter etiã de medijs. infinita etenim etiã illic sunt qui eiusdẽ speciei sunt. Tex. 18.

Quare, si præter sensibilia, & mathematica non sunt alia quædã qualia dicũt quida formas esse, nõ erit vno numero, & specie substantia nec entium principia aliqua numero aliquot, sed specie erũt. Si itaq; hoc necessariũ est, & formas, propterea necesse est esse. Etenim quãquã non bene declarẽt q̃ hæc dicũt, hoc tamẽ est, qd volũt: & necesse est eis hoc dicere, q̃ formarũ vnaquæque substantia quædã sit, & nulla sed accidens. At verò si ponemus formas esse, & principia vnũ numero nõ specie esse, dixim9 q̃ impossibilia necesse est accidere.

*Vtrum principia potentia sint, vel alio modo. Et vt. ã vniuersalia an singularia. Cap. VIII.*

Tex. 19. *Vtrũ principia sint in potentia.*

His autẽ, ppẽ est dubitare, vtrũ potẽtia an alio quodãmodo elementa sint. Si enim alio quodãmodo, erit aliquid aliud principiis prius. potẽtia nãq; prior illa causa est. nõ est autẽ necesse, vt omne, qd potẽtia est, illo modo se habeat. Quod si elemẽta potẽtia sunt, cõtingit nihil entium esse. possibile enim est esse. etiã qd nõdũ est. fit enim quod nõ est, sed nihil eorũ fit. quæ esse impossibilia sunt. Et has itaque de principiis dubitationes necesse est dubitare. ¶ Et vtrum vniuersalia sint, an vt dicim9, singularia. Si enim vniuersalia, non erũt substantiæ. nihil enim cõmuniũ qd quid, sed quale quid significant, sed substantia quod quid.

Tex. 20. *Vtrũ principia sint vniuersalia an singularia.*

Quod si quod cõmuniter prædicatur quod quid sit, & exponi possit, multa animalia erũt ipse Socrates, & homo & animal. si singula quidẽ, quod quid & vtrũ significant. Si igitur principia vniuersalia sunt hæc accidunt. Quod si non vniuersalia sint, sed vt ipsa singularia, non erũt scibilia. ipsius enim vniuersalis omniũ scientiæ sunt. quare erunt alia principia priora de principiis vniuersaliter prædicata, si sit quidem eorum futura scientia.





# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER QVARTVS.

## SVMMAE LIBRI.

*In Prima agitur de quibus habeat prima Philosophia pertractare.*

*In Secunda de Principiorum cognitione.*

## SVMMA PRIMA.

*Ens, prout est ens, & primas causas à primo Philosopho considerari. Caput. I.*

Est scientia quædam, que speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt: Hæc autem nulli earum, quæ in parte dicuntur, eadem est. nullæ nanque cæterarum vniuersaliter de ente, prout ens est, considerant, sed eius aliquam partem abscindentes, quod ei accidit speculantur, vt Mathematicæ scientiæ. Cùm autem principia, & supremas causas quæramus, patet quod alicuius naturæ per se necesse est eas esse. Si igitur illi etiam, qui entium elementa quærebant, ista principia quærebant, necesse est etiam elementa entis non secundum accidens esse, sed prout entia sunt. Quare nobis quoque entis, prout entis, primas causas accipiẽdum est,

Tex.1.

Quo

*Quo pacto ens multipliciter dicatur. Ens, & vnum idem sunt. Item de ente, vt ens est, & de eius speciebus, ac consequentibus hanc considerare scientiam.*

*Caput Secundum.*

Tex.2. ENs autem multipliciter quidem dicitur, verum ad vnum vnámque quandam naturam, & non æquiuoce, sed quemadmodum omne salubre ad sanitatem, quoddã eò quòd cõseruat: quoddam, eò quòd facit: quoddam eò quòd signum sanitatis: quoddam verò capax eius est. Et medicinale ad medicinam: quoddam enim, eò quod habet medicinam, medicinale dicitur: quoddam, propterea quòd natura aptum ad eam sit: quoddam propterea quod opus medicinæ sit. eodem modo cætera quoque accipiemus. Ita & ens multipliciter quidẽ dicitur, sed totum ad vnum principium: quædam enim, quoniam substantiæ, entia dicuntur: quædam, quoniam passiones substantiæ: quædam, quoniam via ad substantiam, aut corruptiones aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantiæ, siue eorum quæ ad substantiam dicuntur, aut ad aliquorum exinis negationes aut substantias. Quare & ipsum non ens, esse non ens dicimus. Quemadmodum igitur sanorum omnium vna scientia est, ita & de cæteris est. Non enim solum eorum, quæ secundum vnum dicuntur, verum etiam eorũ, quæ ad vnam naturam dicuntur, vnius scientiæ est speculari. etenim hæc etiam quodãmodo secundum vnum dicuntur. Patet itaque vnius esse, & entis prout ens: tia, speculari. Vbique autẽ propriæ primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur, scientia. Quòd si hoc substantia est, oportet profecto vt substantiarũ principia, & causas Philosophus habeat. Omnis autẽ generis, & sensus vnus vnius, & sci-

*Neq; solum eorum, quæ secundum vnũ sed & ad vnã naturã dicũtur, vnius scientiæ est speculari.*



& scientia: velut grammatica, vna existens, omnes voces speculatur. Quare entia quoque quot species sunt, & species spectcrum speculari vnius scientiæ genere est. Tex.3. ¶ Si itaque ens, & vnum idem ac vna natura sunt, propterea quòd se inuicem sequuntur, quemadmodum principium, & causa, sed non quòd vna ratione significantur, *nihil quidem refert, si etiã similiter putabimus, quinimmo magis proderit. Idem enim vnus homo, & ens homo, ac homines & non significat diuersum aliquid secundum dictionem repetitã, id est homo & homo, & vnus homo. Patet autem quòd non seperatur ens, nec in generatione, nec in corruptione similiter & in vno. Quare manifestum est quod additio in his idem significat, & quòd vnum nihil aliud est præter ens. Item cuiusque substantia vnum est, non secundum accidens: similiter & *ipsum ens quoduis. Quare quod vnius species, totidẽ & entis sunt, de quibus ipsum quid est speculari, eiusdem genere scientiæ est. dico autem, vt puta de eodem, & simili, cæterisque huiusmodi. ferè autem omnia contraria, ad hoc principium reducuntur. Tex. 4. ¶ Considerata sunt autẽ hæc in electione contrariorũ. Atque tot Philosophiæ partes sunt, quod substantiæ quare necesse est vt aliqua earum prima, & alia sequens sit. sunt autem subinde habẽtia genera, ipsum vnum & ens: quare etiam scientiæ sequẽtur ipsa. Philosophus nanque est, vt ille, qui Mathematicus dicitur. & hæc enim habet partes ac prima quædam, & secunda scientia est. cæteræ quoque consequenter in Mathematibus. Cæterũm, cùm vnius sit opposita speculati, vni verò opponitur pluralitas, negationem quoque & priuationem vnius est speculari: propterea quòd vtroque modo vnum speculatur.

*a. l. nihil autem.

*a. l. quod proprie ens quid.*

cuiatur, id cuius est negatio, aut priuatio, siue quæ simpliciter dicitur, quod non inest illi, siue alicui generi. ibi siquidem vni differentia est, præter illud quod in negatione negatio nanque absentia illius est. in priuatione verò & subiecta quædam natura sit, de qua priuatio dicitur. vni autē pluralitas opponitur. quare etiam prædictis opposita, diuersum dissimile, & inæquale, & quæcunque alia quæ aut secundum eadem dicuntur, aut secundum pluralitatem, & vnitatem cognoscere dictæ scientiæ est, ex quibus vnum quidem est. & ipsa contrarietas. contrarietas enim differentia quædam, differentia vero diuersitas. Quare cùm vnum multipliciter dicatur, hæc quoque multipliciter quidem dicentur. Vnius tamen est cuncta cognoscere. non enim si multipliciter, ideo alterius sed si neque secundum vnum, neqi ad vnum rationes reducūtur, tunc alterius. Cùm autem ad primū cuncta reducuntur, vt puta quotcunque vnum dicūtur ad primum vnum similiter de eodem & diuerso & contrariis dicendum se habere. Quapropter diuidendo quoties singula diuuntur, sic attribuendum est ad primum in vnoquoque prædicamento, quomodo ad illud dicitur. quædam enim eò quod habent illud, quædā eò quòd faciunt, quædā secundum alios huiusce modi modos dicentur. Manifestū itaque quod in dubitationibus dictū est, vnius esse tam de his, quam de substantia rationem habere. hoc autem vnum erat eorum, quæ in dubitationibus diximus. ¶ Et Philosophi est de omnibus posse speculari. Si enim non Philosophi, quis erit qui considerabit, si idem Socrates & Socrates sedens? aut si vnum vni contrarium? aut quid est contrariū, aut quoties dicitur similiter de cæteris quoque

Text. 5. *Philosophi est de omnibus posse speculari.*



que huiusce modi? Cùm itaq; vnius, prout vnius, & entis prout entis, hæ per se passiones sint, & nō prout numeri, aut lineæ aut ignis, patet quod illius scientiæ est, & quid est cognoscere, & accidentia eis. Et non in hoc erant, qui de his considerant, tanquam non philosophātes, sed quoniā substātia, de qua nihil sciunt, prior est. Nā quēadmodū & numeri, prout numerus est. propriæ passiones sunt, vt imparitas paritas. commensuratio æqualitas, excessus defectus, & hæc tū absolutis, tum mutuo relatis insunt numeris. similiter solido, & immobili & mobili, & leui & graui aliqua propria sunt, ita & enti, prout ens est, quædam propria sunt. & hæc sunt, de quibus veritatē cōsiderare Philosophi est. Signū autem est, quòd Dialectici. & Sophistæ eandem quidem, quā Philosophus subeunt figuram. Sophistica enim apparens solū Sapientia est. Dialectici quoque de omnibus disputant. ens vero cōmune omnibus est. Disputant autē de his scilicet, eò q; hæc propria Philosophiæ sunt. circa idem enim genus Sophistica, & Dialectica versātur cum Philosophia. verum Philosophia ab hac quidē modo potestatis, ab illa verò electione vitæ differt. Dialectica autē est tētatiua, de quib⁹ Philosophia est cognitiua: Sophistica verò apparens, existens vero minimē. quippē contrariorum altera coordinatio priuatio est, & cuncta ad ens & nō ens, & vnū & pluralitatē reducūtur, vt puta status quidē vnius est motus verò pluralitatis. Entia verò, & substātiā ferè cūcti cōcedūt ex contrariis cōpositā esse. omnes etenim principia aiūt esse cōtraria. quidā par & impar, quidā calidū & frigidū, quidā finē & infinitū, quidā amicitiā & cotentionē. cætera quoque omnia videtur reducta ad vnū & pluralitatem

*Vnius vnum, & ens vt ens eadem sunt passiones.*

*Vnius scientiæ est quid est cognoscere, & accidentia eis.*

*Circa idem genus versatur Dialectica Sophistica, Philosophia.*

Text. 6.

tem. accipiatur enim reductio à nobis, principia verò & omnino, & quæ ab aliis, in hæc tanquam in genera cadunt. Manifestũ itaque ex his etiã est, q̃ vnius scientiæ est ens, prout ens est, speculari. Cũcta etenim, aut contraria aut ex cõtrariis, principia verò contrariorũ, vnũ & pluralitas. hæc autem vnius sciẽtiæ, siue secundũ vnũ dicantur, siue non sicuti fortassis & veritas se habet. Et quãuis vnum multipliciter dicatur, ad primũ tamẽ cætera reducentur, & cõtraria similiter. Ac propterea & si ens, aut vnũ non est vniuersale, & idem in omnibus aut separatum, sicuti fortassis nõ est, hæc nihilominus ad vnum, illa verò consequenter. Et propterea non est Geometræ quid cõtrarium, aut perfectum, aut vnũ, aut ens, aut idẽ, aut diuersum sit, speculari, nisi ex supposito. Quòd igitur vnius scientiæ est ens prout ens est, & quæ ei prout enti insunt speculari, manifestũ est: & quòd nõ solum substantiarũ, verũ etiam eorũ, quæ substantiis insunt eadem speculatiua est, ac illorum, quæ dicta sunt: & de priori & posteriori, & genere & speciẽ, & toto & parte cæterisque huiusce modi.

## SVMMA SECVNDA.

### De Principiorum cognitione.

*Ad Philosophum considerationem de Principiis omnibus communibus pertinere. cap. 1.*

Tex. 7. PRIcẽdum autem est, vtrũ vnius, an alterius sciẽtiæ est de hisce, quæ in Mathematibus dignitates nominantur, & de substãtia speculari. Patet itaque quòd vnius est & eius, quæ Philosophi est consideratio. Omnibus enim entibus insunt, sed non alicui generi separatim ab aliis. & oẽs quidẽ vtũtur, quia entis, prout entis sunt. vnũ quodque



quodque autẽ genus entis, at eatenus vtũtur, quatenus eis satis est hoc autẽ est, quãtũ illud continet genus, de quo demonstrationes afferunt. Quare, cum pateat quòd, prout entia sunt, eis insunt (hoc nãque eis cõmune est) illius de his speculatio est, cuius est de ente, prout ens est cognoscere. Propter quod nemo eorũ, qui particulariter considerant, conatur aliquid de his, siue quatenus vera, siue non, dicere. nec enim Geometra, nec Arithmeticus, sed naturalẽ quidem merito hoc facientes. soli nanque putabãt & de tota natura, & de ente considerare. Cum autem aliquis adhuc superior Naturali sit (natura nanque vnum quoddam entis genus est) illius vniuersalis, & circa primam substantiam speculatiui profectio fuerit de his etiam consideratio. est autem Naturalis sapientia quædam, sed non prima.

¶ Quæcunque vero quidam eorum qui de veritate dicũt quonam modo oportet admitti, dicere conantur, propter ignorantiam Resolutionẽ hoc faciunt. oportet enim accedere hæc edoctum, sed nequaquã, dum audiunt quærere. Quòd itaque philosophi, & eius qui de tota substantia quoad natura fert speculatur etiam de principiis syllogisticis est considerare, manifestum est. Decet autem illum, qui maxime circa quodque genus cognoscat, vt dicere habeat certissima rei principia. quare & illum, qui de entibus, prout entia, omnium certissima, hic autem est Philosophus. Omnium autem certissimum principiũ est, circa quod impossibile est mentiri. Notissimum etenim, vt huiusmodi sit necesse est circa nanque illa, quæ non cognoscunt, decipiuntur omnes. Et non ex suppositione est: quod enim necesse est illum habere, qui quodlibet entium intel- Tex. 8.

*Omnium certissimũ principiũ est circa quod impossibile est mentiri*

ligat, hoc non est suppositio. quod autem cognoscere illum necesse est, qui aliquid cognoscat ne cesse est, vt veniat habens illud. Quòd igitur tale principium omnium certissimum est, patet.

Tex. 9. Quid autem illud sit, deinceps dicamus. ¶ Idem enim simul inesse, & non inesse eidem, & secundum idem, impossibile est. & quæcunque alia annotaremus, sint ad Logicas difficultates annotata. hoc autem omnium est principiorum certissimum. habet etenim dictam annotationem. Impossibile namque est quempiam idem putare esse & non esse, quemadmodum quidam Heraclitũ dicere arbitrabantur. non enim necesse est quæcunque quis dicat, ea etiam putare. Quòd si non contingit inesse eidem contraria: annotentur autem a nobis etiam huic propositioni consueta, contraria verò opinio opinioni est, quæ contradictionis est. Et patet quod impossibile est simul eundem idem arbitrari esse, & non esse. simul etenim haberet opiniones contrarias, qui de ea re haberetur mendax. Quare omnes demonstrantes ad hanc vltimam opinionem reducunt. natura etenim hæc cæterarum quoque dignitatum omnium principium est.

*Disputatio contra eos, qui contingere id. m esse, & non esse dicunt & ita arbitrari. Cap. 11.*

SVnt autem quidam, qui vt diximus ipsi quoque dicunt, contingere idem esse, & non esse, & ita arbitrari. vtuntur autem hac oratione multi quoque eorum, qui de natura tractant. Nos autem nunc accepimus, tanquam impossibile sit, de eodem simul esse & non esse, & per hoc monstrauimus, quòd certissimum hoc cunctorũ principiorum est Conantur autem quidam hoc quoque probare, propter ignorantiam. Est etenim ig-

*Ignorantia quid.*



norantia nescire quorum oportet quærere demonstrationem, & quorum non. etenim omnino impossibile est omnium esse demonstrationem. in infinitum namque progrederetur: quare nec hoc modo esset demonstratio. Si autem aliquorum non oportet quærere demõstrationem quod magis principiũ esse tale iudicaret dicere nõ haberent. Est autem etiã de hoc demonstrare redarguẽdo, q impossibile est, dũmodo aliquid dicat qui dubitat. Quod si nihil, ridiculum est quærere, rationẽ ad eũ qui nullius habet rationem, quatenus nullã habet rationẽ similis nãque plantæ talis est prout talis est. Demõstrare vero redarguẽdo, dico differre à demõstratione: quia qui demõstrat, videretur petere quod à principio. cũ autem alia huiusce causa sit, redargutio, & non demonstratio. ¶ Principium vero ad hæc omnia *non petere vt aut esse aliquid, aut non esse dicat (hoc etenim fortassis aliquis esse putaret quod à principio petere) sed aliquid significare & sibi ipsi & alteri, hoc enim necesse est, siquidem aliquid dicat. Quòd si non, tali non esset sermo, nec sibi ad ipsum, nec ad alium. Si autem aliquis hoc concedat, erit demonstratio. iam enim erit aliquid determinatum. at amen non quid demonstrat, sed qui sustinet, causa est, tollens enim orationem, hoc ipsum sustinet orationem.* Primo igitur manifestũ est, hoc ipsum verũ esse, quòd nomen esse hoc, aut nõ esse significat, quare non vtique omne ita & non ita se habet. Item si homo vnum significat, sit hoc, animal bipes. dico autem vnum significare hoc si hoc est homo, siquid homo sit hoc est homini esse. Nihil autem differt, etiam si plura quis significare dicat, solum autem sint determinata. antepONERETUR etenim cuilibet orationi aliud nomen.

Tex. 10.

** a. l. legit affirmatione, sed melior negatione aut Alexan. *Ex Alex. adde hæc. Præterea q hoc concessit, aliquid verũ esse sine demonstratione, quare non vtique omne ita & non ita se habet. sed non sic se habet.*

dico autem vt puta, si non dicat hominem vnum significare, sed multa, quorum vnius quidem vna oratio, animal bipes. sint autem cæteræ quoque plures, determinatæ vero numero: imponeretur etenim proprium nomen secundum quamque orationem. Quòd si non poneretur, sed infinita significare dicat, manifestum est quod non esset oratio. non vnum enim significare nihil est significare. nominibus vero non significantibus, perit ipsa reuera disputatio, & ad inuicem, & ad seipsum. nihil enim intelligere contingit nihil vnum intelligentes. Quòd si contingit imponeretur nomen huic rei, vnum.

Tex. 11. ¶ Nomen itaque, vt à principio dictum est, sit aliquid significans, & vnum significans. Non potest igitur homini esse significare id quod non esse homini, si homo quidem non solum de vno, sed etiam vnum significat. Non enim hoc dicimus vnum significare, quod de vno, hoc enim modo musicum etiã, & album, & homo vnum significant quare vnum omnia erunt. vniuoca nanque, & non erit esse & non esse idem, nisi secundum æquiuocationem, sicuti si quem nos hominẽ nominamus, alii non hominẽ vocarẽt. Quod autem dubitatur non est hoc, si cõtingit simul idem esse, & non esse hominem nomine, sed re. Si autem non alterum significat homo & non homo, patet, quòd nec non esse homini ab eo, quod est esse homini: quare homini esse erit nõ homini esse. vnum nanque erit. hoc enim significat vnum esse, sicuti tunica & vestis, si ratio vna. Si autem erit vnum, vnum significat homini esse, & non homini. verum monstratum est quòd aliud significat necesse igitur si quid est verum dicere de homo, animal esse bipes, hoc enim erat, quod significabat homo. Si autem necesse est, non potest idem non esse animal bipes. ¶ Hoc nanque signi- Tex. 12.
ficat ipsum necesse esse, quod impossibile est, non esse nominem. non contingit ergo simul verum esse idem dicere hominem esse, & non esse hominẽ. Eadem ratio est & de non esse hominem. homini nanque esse & non esse homini diuersum significat. siquidẽ & album esse & hominem esse diuersum. multo enim magis illud opponitur. quare diuersum significat. Si autem album aliquis dicat vnum & idem significare, rursus idem dicemus quod & antea dictũ est, quòd omnia vnum sunt, & non solum opposita. Quòd si hoc nõ contingit, accidit quod dictũ est, si ob interrogatum respondeat. Si vero simpliciter interrogante, addat etiam negationes, non respondet ad interrogatum, nihil enim prohibet idem & hominem & album, & alia infinita multitudine esse. Attamen interroganti si verè est dicere hoc hominem esse, annon, id respondendum est, quod vnum significat, & non addendum, quòd & album & magnum. impossibile nanque est accidentia, cùm infinita sint, percurrere. aut igitur omnia percurrat, aut nullum. Similiter & si infinities idem esset homo & non homo, interrogatus si homo est, non debet vnà cum eo, quòd simul etiam non homo respõdere, nisi cæterà quoque quæcũque acciderunt, quæcunque est, aut non est respondeat. hoc autem si non fecerit, non disputat. ¶ Et qui hoc Tex. 23.
dicunt, omnino perimunt substantiam, & ipsum quid erat esse. necesse est nanque eis dicere omnia accidere, & ipsum homini esse, aut animali esse. non esse. Si enim quicquam erit ipsum homini esse, hoc non erit non homini esse, aut non esse homini, tametsi hæ sunt eius negationes vnum

*Ad vnum quæsitum vna respõsio.*

nanque erat quod significabat, & hoc erat alicuius subſtanti i. subſtantiam vero ſignificare eſt q̃ non eſt ei eſſe aliud quippiam. Si autem ipſam homini eſſe erit ei ipſum non homini eſſe, aut ipſum non eſſe homini, aliud erit. Quare neceſſe eſt eis dicere q̃ nullius, talis ratio erit, ſed omnia ſecundum accidens. hoc enim ſubſtantia & accidens differunt. albedo enim homini accidit, quoniam eſt quidem albus, ſed non eſt ipſa albedo. ¶ Si autem omnia ſecundum accidens dicuntur, nihil erit primũ vniuerſale. Si autem accidens ſemper de aliquo ſubiecto ſignificat prædicationem, neceſſe eſt in infinitum progredi. ſed impoſſibile eſt, plura enim quàm duo non conueniunt. accidens enim non eſt accidenti accidens, niſi quia vtrunque eidem accidit. dico autem veluti album eſt muſicum, & hoc album, quoniam vtrũque homini accidit ſed non ita Socrates muſicus, quoniam vtrunque alicui alteri accidit. Cum itaque quædam ita, quædam aliter accidentia dicantur, quæcunque ita dicuntur, vt album Socrati, non poſſunt infinita ſurſum verſus eſſe vt Socrati albo alteri m aliquod quoque accidens, non enim ſit aliquod vnum ex omnibus. nec albo aliquid aliud accidens erit, vt puta muſicũ nõ enim magis hoc illi quã illud huic accidit. Et ad hæc diſtinctum eſt, quòd quædam ita accidunt, quædam vt muſicum Socrati. Quodcunque vero hoc modo non accidenti accidit accidens, ſed quocũque illo modo quare non omnia ſecundum accidens dicentur. erit ergo aliquid tanquam ſubſtantiam ſignificans. quod ſi eſt, monſtratum eſt quod impoſſibile eſt ſimul contradictiones prædicari.

Tex. 14.

*Accidẽs nõ eſt accidenti accidẽs, niſi quia vtrunque eidem accidit.*

Tex. 15. ¶ Itẽ, ſi cõtradictiones ſimul veræ de eodẽ omnes, patet q̃ omnia erunt vnũ. erit etenim idẽ & triremis



mis & paries & homo, ſi de omni contingit quicquam affirmare aut negare. ſicuti illis neceſſe qui Protagoræ opinionẽ ſequũtur. ſi enim cuiquã videtur homo nõ eſſe triremis, patet quod nõ erit triremis. ſed etiam eſt, ſi cõtradictio quidem vera eſt. & certè fit quod Anaxagoras aiebat, ſimul omnes res eſſe, ita vt nihil vere vnum ſit. Indefinitũ itaque videtur dicere & putãtes de ente tractare, de non ente dicunt. quod enim potentia, & non actu eſt, illud eſt indefinitum. At vero dicenda eſt eis de omni aut affirmatio, aut negatio inconueniens nanque eſt, ſi cui ſua quidem negatio inerit, alterius vero quod non ineſt ei, non inerit. dico autem vtputa, ſi verũ eſt dicere de homine, q̃ non eſt homo, manifeſtũ eſt quòd etiã nõ triremis eſt. Si affirmatio igitur, neceſſe eſt etiã negationẽ ineſſe quòd ſi affirmatio non ineſt, negatio tamen inerit, magis quàm quæ ipſius eſt. ſi igitur & illa ineſt, inerit triremis negatio. & ſi hæc etiam affirmatio. Hæc igitur eis accidunt, qui hãc orationem dicũt, & quòd non eſt neceſſe, aut affirmare, aut negare nam ſi verũ eſt quòd homo, & non homo, patet quòd nec homo, nec non homo erit. duorũ enim duæ negationes, quòd ſi illa ex vtriſque vna, & hæc vna profecto oppoſita eſſet. ¶ Itẽ aut in omnib⁹ ita ſe habẽt, & eſt albũ, & ens & non ens, & circa cæteras affirmationes & negationes ſimili modo, aut non, ſed circa aliquas, circa vero aliquas nõ. Et ſi nõ circa oẽs illæ vtique certæ eſſent. Quòd ſi circa oẽs, rurſus, aut, de quibuſcũque eſt affirmare, etiã negare eſt, & de quibuſcũque negare etiã affirmare: aut de q̃bus quidẽ eſt affirmare, etiã negare eſt, de q̃buſcũq; vero negare, nõ de oib⁹ eſt affirmare, & ſi ita, eſſet aliquid vtique pro certo nõ ens, & hæc firma opinio, q̃ ſi ipſum non

Tex. 16.

esse, certum quid, & notũ est, notior erit oppositæ affirmatio. Quod si quod cũque est negare, similiter etiã affirmare necesse sit, aut verum est diuidẽdo dicere, vt puta albũ, & rursus qđ nõ album, aut nõ. Et si nõ verũ diuidẽdo dicere, neq; dicit hæc nihilque prorsus sunt illa sanè, quæ non sunt, quo loquẽtur, aut* ambulabunt? Et, vt etiã antea dictũ est, omnia vnũ erunt & homo, Deus, triremis, ac eorũ cõtradictor. a idẽ erũt. Quod si de quocũque similiter, nihil aliud ab alio differet. nam si differet hoc verũ & propriũ erit. Similiter autem & si diuidentem vera dicere cõtingit, quod dictũ est accidit. Et ad hæc, qꝑ omnes vera dicerẽt, omnesque mẽtirẽtur, ipse qui seipsum mẽtiri cõsideret. Simul autem manifestum est, quod de nullo est ad eum cõsideratio. nihil enim dicit. neque enim ita, neque nõ ita ait. sed ita & nõ ita. & rursus his ambobus negationem, qꝑ nec ita, neque nõ ita. nam si nõ, esset aliquid vtique determinatũ. ¶ Ité si cum affirmatio vera sit, negatio falsa, & cum hæc vera sit affirmatio falsa est, nõ erit simul idem affirmare & negare vere. sed dicent fortassis, hoc esse, quod à principio positũ est. Item vtrũ ille quidem, qui quãque rẽ, aut aliquo modo se habere existimat, aut non se habere mentitur, qui vero ambo verum dicit. Nam si verum dicit, quid aliud quod dicitur, est, nisi qꝑ talis natura entium est? Quod si non iste, sed ille magis dicit verum, qui illo modo existimat iam aliquo modo se haberẽt ex istẽtia. & hoc verum esset, & non simul etiam nõ verum. Quod si cuncti similiter mentiuntur, & verum dicũt, nec loqui, nec dicere quicquam tali homini possibile est. simul enim eadem, & non eadem dicit. Quòd si nihil existimat, sed similiter arbitratur & non arbitratur, quidnam differat à plan-

* *vl. intelligent?*

Tex. 17.



plantis? ¶ Vnde & maximè manifestum est, qꝑ nemo nec cæterorum, nec eorũ, qui hanc orationem dicunt, ita affectus est. Cur enim Megara vadit, & non quiescit ire putans? nec mox à diluculo ad puteum, aut ad præcipitiũ aliquod pergit? sed videtur verens, tanquam nõ similiter non bonum, & bonum esse putans cadere in illa. patet itaque qꝑ hoc quidem melius esse putat, illud vero minimè. Si autem hoc necesse est, vt & hoc quidem hominem, illud vero non hominem, & hoc quidem dulce, illud vero nõ dulce putet. non enim æqualiter omnia quærit & putat, cum melius esse bibere aquam, aut hominem* visitare arbitratus, deinde quærat ea attamen oportebat, si similiter eadẽ essent homo & non homo. sed, vt dictum est, nemo est, qui non videatur aliqua verens, aliqua verò non. Quare, vt videtur, omnes arbitrantur simpliciter se habere, etsi non circa omnia, saltem circa melius, & deterius. Quod si non scientes, sed opinantes, multo magis curandũ esset de veritate, sicuti & infirmo existẽti quàm sano, de sanitate. opinans nanque ad scientem, non sanè ad veritatem dispositus est. Item, etsi quam maximè omnia ita, & nõ ita se habeãt, attamen ipsum magis & minus inest entium naturæ. Non enim similiter paria esse duo ac tria dicemus. nec eodẽ modo mẽtitus est, qui quatuor esse putet quinque aut qui mille. Si itaque non similiter, patet quod alter, minus quare magis verũ dicit. Si igitur quod magis est, propinquius est, profectò erit aliquid verũ, cui propinquius est, quod magis verum est. Quod si non est, at iam saltẽ aliquid est certius, & verius. & ita ab illa intemperata oratione remoti erimus, quæ ꝓhibet quicquam mẽte determinare.

* *videret.*

Tex. 18.

*Contra Protagorã, asserentem omne quod opinamur,*

*& nobis apparet, verum esse. Caput III.*

Tex.19. EX eadem vero opinione Protagoræ quoque oratio est, & similiter est necesse ipsas ambas aut esse, aut nō esse. Si enim omnia de quibus opinantur, quæque apparent, vera sint necesse est omnia simul vera & falsa esse. siquidem multi cōtraria inuicem opinantur, ac eos qui non opinantur eadem, quæ ipsi mentiri putant. quare necesse est idem esse & nō esse. ꝙ si est, necesse est omnia de quibus opinantur vera esse. opposita nanque opinantur qui mentiuntur, & qui verum dicunt. si igitur ea, quæ sunt, ita se habent, verum omnes dicunt. Quòd itaque ambæ orationes ex eadem mente sint, patet. Non est autem idem omnes cōueniendi modus. Quidam enim persuasione, quidam verò vi indigent. Quicunque nanque, propterea quod dubitent, ita existimarūt, horū ignorantia sanabilis est. non enim ad sermonem, sed ad mentem eorum obuiatio est. Quicunque vero sermonis gratia dicunt, horum sanatio redarguitio est, & eius sermonis, qui in voce, & eius, qui in nominibus. Aduenit autem illis, qui dubitant, hæc opinio à sensibilibus, illa quidem, qua dicitur simul contradictoria & contraria esse, videntibus ex eodem contraria fieri. si igitur non est possibile quod non est fieri, præextitit similiter vtrunque ens: sicut & Anaxagoras omne in omni misceri ait. atque Democritus etenim hic quoque vacuum & plenum similiter in quacunque parte esse: atqui horum hoc quidem ens, hoc verò non ens esse. ¶ Ad illos itaque qui ex his ita arbitrantur, dicemus quòd quodāmodo quidem vere dicunt, quodammodo verò ignorant, ens nanque dupliciter dicitur, quare aliquo modo quidem possibile est aliquid ex non ente fieri, ali-

Tex.20.



aliquo vero modo non est, simúlque idem ens & non ens esse, sed non secundum idem ens. potentia nanque contingit simul idem contraria esse, actu vero minimè. Item eos efflagitabimus aliam quoque substantiam entium existimare, cui neque motus neque corruptio, neque omnino generatio insit. ¶ Similiter autem veritas in his quoque, quæ apparent, quibusdam ex sensibilibus aduenit. At enim verum non pluralitate neque paucitate iudicari censere debent. idem autem quibusdam gustantibus dulce, quibusdam amarum esse videtur. quare si omnes ægrotarent, aut omnes insanirent, duo vero, vel tres sani, aut mentis compotes essent, hi vtique videri possent ægrotare, ac insanire, cæteri vero minimè. Item multis aliorum animalium contrario apparent quàm nobis, ac nostrum cuique non eadem ad seipsum semper secundum sensum apparent. Qualia igitur horum verā vel falsa, non est manifestum. nihilominus enim magis hæc quàm illa vera sunt, sed aqualiter propter quod Democritus, aut nihil esse verum aut nobis ignotum ait. Et simpliciter propterea quòd sensum quidem prudentiam putant, hanc vero alterationem esse, quod secundum sensum apparet, necessario verum esse aiunt. Ex his enim & Empedocles, & Democritus cæterorum quoque singulis talibus opinionibus irretiti fuere. Empedocles etenim habitu mutato, prudentiam quoque mutari ait.

*Ad præsens nanque prudentia hominibus augetur.*

In aliis quoque dicit.

*Quatenus mutantur, eatenus semper etiam altera sapere eis affluit.*

Parmenides quoque eodem asserit modo.

Tex.21.

Vt

*Vt enim cuiq; cõplexio membrorũ flexibiliũ se habet. Ita intellectus hominibus adest.*

Idem nanque est, quod sapit mẽbrorũ natura hominibus, & omnibus, & omni. quod enim plus est, intelligentia est. Anaxagoræ autem sententia ipsa quoque à quodam suorũ necessariorum memoriæ tradita est, quod talia eis entia erũt, qualia ea esse putarint Homerũ etiã talem aiunt opinionem habere videri: quippe qui faciat Hectorem, cum à vulnere insaniret, iacere aliud sapiente, tanquam & insanientes saperent quidem, sed non eadẽ. Patet itaque quod si vtraque prudẽtia est, entia quoque simul ita, & nõ ita se habẽt. Qua ex re difficillimum quod sequitur est. si enim qui maximè possibile verũ vident, hi autem sunt, qui maximè illud quærunt, & amant, hi tales opiniones habent, & talem de veritate sententiam ferunt, quomodo non secordia illis sit, qui philosophari conantur? nam quærere veritatem non esset nisi

Tex.22. volucres persequi. ¶ Causa verò huius opinionis hæc fuit, quia veritatem quidẽ de entibus considerabant. entia verò sola arbitrati sunt sensibilia esse. In his autem magna determinati natura inest, & eius, quod ita ens est, vt prædiximus. quare verisimiliter quidem, sed nõ verè dicũt. ita enim magis conuenit dicere, quàm vt Epicharmus in Xenophanem. Item cùm hanc omnem naturam moueri viderent, de eo autem, quod mutatur, nihil verificari, circa illud, quod omnino mutatur, nihil verificari posse putabant. Ex hac enim existimatione summa illa eorum opinio pullulauit, qui se Heraclitum sequi affirmabant, qualẽ & Cratylus habebat, qui tandem nihil putabat dicere oportere, sed solum digitũ mouebant, & Heraclitum, quòd bis dixisset in eũdem fluuium non esse intra



intrare, reprehendebat. ipse enim existimabat ne semel quidem. Nos autem ad hanc etiam rationem dicemus, quòd id quod mutatur, cùm mutatur habet aliquã veritatẽ non esse putare, quanquam etiam ambiguum est. Abiiciens enim habet aliquid eius, quod abiicit. ac necesse est aliquid etiã eius, quod fit, esse. & simpliciter, si corrũpitur, erit aliquid ens. & si fit, necesse est esse, ex quo fit, & à quo generatur, & hoc non esse in infinitũ. Sed his omissis, illa dicamus, quòd nõ est idẽ secundum quãtitatẽ & secundum qualitatem transmutari. detur itaq; nõ permanere secundum quantitatẽ. attamẽ secundũ formã omnia cognoscimus. ¶ Itẽ dignum est reprehendere eos, qui ita Tex.23. arbitrãtur, quoniã cùm & ipsorũ sensibilium pauciora numero ita se habere viderent, de toto tamen cælo similiter senserunt. hic enim qui circa nos est, solum sensibilium locus in corruptione & generatione est, qui nulla, vt ita dicam, vniuersi pars est. Vnde iustius fuisset propter illa, ista etiã absoluisse, quàm propter ista, illa condemnasse. Itẽ manifestum est quòd & ad istos eadem dicemus, quæ olim dicta sunt. quòd enim est immobilis quædã natura ostendendum, & persuadẽdum est eis. at accidit eis, qui simul dicunt esse, & non esse, magis dicere quiescere cuncta, quàm moueri. nõ enim est in quo quicquam moueretur, nam omnia omnibus insunt. ¶ De veritate verò, quòd Tex.24. nõ omne, quod apparet, verum sit. Primo quidem neque sensus proprii fallax est. sed imaginatio non est idem, quod sensus. Deinde admiratione dignum est, si hoc dubitant vtrum tantæ sint magnitudines taléſque colores, quales emimus, an quales cominus appãrẽt & vtrum qualia sanis, an qualia ægrotantibus, & grauiora, vtrum qualia debil

debilibus, an qualia robustis. & vera, vtrum qualia dormientibus, an qualia vigilantibus. Quod enim non arbitrantur, patet. nemo etenim, si noctu existimet se Athenis esse cùm in Libya sit, ad Areopagum vadit. Item de futuro (vt Plato quoque ait) nõ est profecto similiter certa Medici, & ignari opinio: vt puta de futuro sano, aut non futuro. Tex.25.

¶ Item in ipsismet sensibus non est similiter certus, qui alien est, & qui proprii, nec illius, qui propè est. & ipsiusmet: sed de colore quidem visus, non gustus de sapore gustus, & non visus, quorum nullus vnquam ait eodem tempore circa idem simul sita, & non ita se habere. At nec in alio tempore circa passionem dubitauerint, sed circa illud, cui passio accidit. dico autem veluti idem quidem vinum, aut ipsum mutatum aut corpore mutato, videri posse quandoque dulce, quãdoque non dulce, sed non ipsum dulce, cùm quale est sit, vnquam mutatum est, sed semper verificatur de eo, & quod futurũ est dulce necessario tale est. Attamen omnes illæ orationes hoc perimunt. & quemadmodum substantiam non esse vllus, ita nec qui quam necessario esse. necessarium enim non contingit aliter, & aliter se habere. quare si quid necessario est, non ita, & non ito habebit. Et simpliciter, si sensibile solum esse, nihil esset profecto, cùm animata non essent. sensus nanque non esset neque sensibilia itaque, neque sensiones esse fortassis vtrum esset sentientis enim hæc passio est. ipsa vero subiecta, quæ sensum faciunt, non esse, etiã absque sensu; hoc impossibile est. Sensus nanque non ipse est sui ipsius, sed est aliquid a sensu etiam præter sensum, quod necesse est prius sensu esse. mouens enim natura prius est moto & si ad se inuicem dicũtur hæc ipsa, nihil minus:

Contra



*Contra eos qui vel contr. dicendi studio, vel alia quapiam de causa in dictam opinionem deuenerunt. Item contraria simul eidẽ inesse nõ posse. Cap. IIII.*

SVnt autem quidam eorũ quibus de his persuasum est, quinque has orationes solũ dicunt, qui dubitant, quærunt etenim, quis eum, qui sanus est, & omnino qui circa singula recte iudicarit, examinet. Tales autem dubitationes similes sunt, ac si quis dubitaret, vtrum dormimus nunc, an vigilamus. tales nanque cũctæ dubitationes idẽ possunt. de omnibus etenim hi dignam ducunt rationem esse. principium nanque (& hoc per demõstrationem) accipere quærunt. Quod autẽ nõ est eis persuasum, ex eorum actionibus manifestè appareret: sed vt diximus, iste eorum affectus est. rationem nanque eorũ quærunt, quorũ non est ratio. demõstrationis enim principium non est demonstratio. His quidẽ facile hoc persuadebitur. non enim est difficile percepru. Qui vero in oratione solum vim quærunt impossibile quærunt, cõtraria nanque dicere dignum censent, mox contraria dicentes. Si autem non sunt omnia ad aliquid, sed quædam ipsa per seipsa sunt, non erit vtique verum omne, quod apparet. apparens enim alicui est apparens. quare qui dicit multa vera, quæ apparent esse, omnia entia facit ad aliquid. Quare obseruandum est his, qui vim in oratione quærunt, simulque reddere orationes dignum ducunt, quòd non quod apparet, est, sed quod apparet, cui apparet, & quando apparet, & quatenus, & quomodo. Quòd si reddant quidem orationem, non tamen ita reddant, accidet eis quandoque contraria dicere. potest etenim ei dem, secundum visum quidem mel apparere, gustu autem non, & cum oculi duo sint. si sint

Tex.26.

*Demõstrationis principium non est demonstratio.*

*Qui dicit omnia vera quæ apparent esse, omnia entia facit ad aliquid.*

sint dissimiles,non eadem vtrique visui. Cæterũ ad eos, qui propter olim dictas causas, quod apparet verum esse dicunt, & ob hoc omnia similiter esse falsa & vera, nec sanè omnibus eadẽ apparere, nec eidem semper eadẽ,sed plerunq; cõtraria, etiam eodẽ tẽpore. tactus etenim duo dicit in digitorũ variatione, visus autẽ vnum : sed neq; eodẽ sensu , & secundũ idẽ,& eodẽ modo & in eodẽ tẽpore.Quare hoc esset verum profectò.

Sed ob hoc fortassis his , qui non propter dubitationẽ, sed orationis gratia dicunt,necesse est dicere quòd hoc non sit verum, sed huic verũ ,& vt antea dictum est, necesse est aliquid, & ad opinionẽ,& ad sensum omnia facere. Quare nec tactum est , nec erit quicquã, si nemo prius opinatus sit.Quòd si factũ fuit,aut erit , patet quòd non ad opinionem omnia sunt. Itẽ si vnum ad vnum, aut ad determinatum, & si idem est dimidium, & æquale non tamen ad duplum , quod æquale est.ad opinionem itaq;,si idem est homo,& quod opinatũ est , non est homo , quòd opinatur , sed quod opinatũ est. Quòd si vnumquodq; ad aliud erit , quod opinatur , infinita specie quod opinatur erit. Quòd igitur omnium certissima opinio est non esse simul veras oppositas dictiones , & quid illis, qui sic dicunt accidat,& cur ita dicunt, hæc demum dicta sint. Cùm verò impossibile sit contradictionem simul de eodẽ verificari, patet quòd neque contraria simul eidem inesse contingit.contrariorum enim alterũ nõ minus priuatio est, substantiæ verò priuatio negatio à quodam determinato genere est.Si impossibile itaque est simul affirmare, & negare verè impossibile est etiã cõtraria simul inesse,sed aut ambo secũ dũ aliqd,aut alterũ secundũ aliquid alterũ simpliciter.

Inter



*Inter contradictionem non dari medium.*

*Cap. V.*

AT verò nec inter contradictionem possibile est quicquam medium esse, sed necesse est dicere, aut negare vnumquodq; de vno.Manifestum autem est primo quidem definientibus quid verum, quidve falsum est.dicere nãq;ens non esse,aut hoc esse falsum:ens autẽ esse,& nõ ens esse nõ verum est:quare & qui dicit esse,aut non esse,verum dicet , aut mentietur. sed nec ens dicitur non esse, aut esse nec non ens. Item medium inter contradictionem,aut erit quemadmodum fuscum inter album & nigrum, aut quemadmodum neutrũ inter hominem & equum. Si itaq; ita est,non mutabitur profectò.ex non bono nanq; in bonum mutatur, aut ex hoc in nõ bonum. nunc verò semper apparet. non enim est mutatio , nisi ad opposita & media. quòd si est medium , etiam sic aliqua erit in album non ex non albo generatio. nunc autem non videtur.Item omne intellectuale , aut intelligibile mens aut affirmat,aut negat:hoc verò ex definitione patet, cùm verũ dicat,aut mentiatur.Cùm enim sic componens dicat,aut neget, verum dicit:cum vero sic,mẽtitur. Item in omnibus contradictionibus esse oportet nisi orationis gratia dicatur, quare neque verum dicet aliquis, neque nõ verum,& præter ens & non ens. quare etiam præter generationem & corruptionẽ transmutatio aliqua erit Item in quibuscunque generibus negatio contrarium inducit , in his etiã erit, vt putà in numeris,nec impar, nec nõ impar, numerus sed impossibile est. ex definitione autem est manifestũ. Itẽ in infinitum procedet , & entia nõ solũ sex quia altera,sed etiã plura erũt.rursus nãque hoc negare erit ad affirmationẽ & negatio-

nem & hoc quicquã erit. substantia nanq; eius est alia quædã. Item, cùm aliquo interrogante, an album est dicat quòd non, nihil aliud negauit nisi ipsum esse, ipsum vero nõ esse negatio est. ¶ Aduenit autem quibusdam opinio ista, sicuti cæteris quoque præter cõmunem opinionem sunt. cùm enim nõ possint cõtentiosas rationes soluere, cedunt rationi, assentiuntq; verũ esse quod syllogizatum est. Quidam itaq; ob talem causam dicunt quidã vero, propterea quòd omniũ causam quærunt, principiũ vero ad hos omnes ex definitione fit. est autem definitio ex eo, quòd necessarium est aliquid eos significare. ratio enim cuius signũ est nomen, definitio fit. Videtur autẽ Heraclitus quidẽ opinio, omnia esse, & nõ esse dicens, vera omnia facere. Anaxagoræ vero, esse aliquod contradictionis medium. quare omnia falsa. cùm enim mixtum sit, neque bonum, neque non bonum est illud mistum: quare nihil est dicere verum.

*Ratio, cuius signum est nomen, est definitio.*

Text. 28.

*Contra eos, qui omnia falsa aut qui omnia vera esse dicebant. Et contra eos etiam, qui omnia quiescere, aut mouere dicebant. Cap. VI.*

His autẽ determinatis, manifestum est quod illa quoque, quæ vno modo, & de omnibus dicuntur, impossibile est esse, vt quidam aiunt. quidam quidem, nullum decentes verum esse, nihil enim prohibere ita cuncta esse aiunt, vt diametrum cõmensurabilem esse: quidam vero omnia vera. fere enim rationes eorũ eædem quæ & Heraclitj sunt. Qui enim dicit q̃ omnia vera omnia falsa, etiam separatim vtranque harũ orationum dicit. quare, si hæc impossibilia sunt, illa quoque impossibilia esse necesse est. Item patet quòd contradictiones sunt, quas nõ possibile est simul veras esse, neque falsas esse. id videri posset magis cõ-



cõtingere ex iam dictis. Verũ ad omnes tales orationes petere oportet, vt in superioribus sermonibus dictũ est, nõ si sit aliquid aut non sit, sed si aliquid significat. quare ex definitione disputãdum est accipientibus quid verũ quidve falsum significat. ¶* (Si autem nihil aliud est quam quod verum est affirmare, aut quod negare falsum est,) impossibile est omnia falsa esse. necesse est. n. alteram contradictionis partẽ veram esse. Itẽ, si omne aut affirmare, aut negare necesse est impossibile est vtraq; falsa esse. altera enim contradictionis pars falsa est. Accidit aũt, quod etiam publicè fertur, his omnibus orationibus eas seipsas peri mere, quæ enim omnia vera dicit, cõtrariã quoq; sibi orationẽ verã facit: quare suã ipsius nõ veram. contraria nanque, dicit eã non esse veram. quæ vero omnia falsa? & hæc seipsam. Quòd si excipiat illa quidẽ contrariã, quod sola non vera est, hæc vero seipsam, quod sola non falsa, nihilominus infinitas accidit eis petere orationes veras, & falsas. qui enim dicit veram orationem esse veram, consentit huic quod vera est. hoc vero in infinitum procedet. Clarum autem est, quod nec illi, qui omnia quiescere dicunt, verũ dicunt, nec qui omnia moueri. Etenim, si omnia quidem quiescunt, semper eadẽ vera, & falsa erunt. apparet autẽ hoc transmutari. qui enim hoc dicit, aliquando ipse non erat & rursus non erit. Si vero omnia mouentur, nihil erit verũ. cuncta ergo falsa. sed demonstratum est hoc impossibile esse. Item necesse est ens transmutari. ex aliquo nanq; ad aliquid tranimutatio. At vero nec omnia quiescunt, aut mouentur aliquando, semper vero nihil. Est enim quiddam, quod semper mouet ea, quæ mouentur. & primum mouens, ipsum immobile est.

* *Si autem nihil aliud est quam verum significat, quam affirmare, vel etiam negare & falsum similiter.*

Text. 29.

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER QVINTVS.

## SVMMAE LIBRI I.

*In hac Summa vnica nonnullorum nominum multipliciter dictorum significationes distinguuntur.*

### De Principio. Caput I.

Tex. 1. *Vide auer. 2 Epit. Tract. 5. primo.*

PRincipium hoc quidem dicitur illud rei à quo quis primum mouetur, vtputa magnitudinis, & viæ, hinc quidem hoc principium est. Ex opposito vero aliud principium est, illud, vnde quodque optimè fiat, vt doctrinæ, non à primo, ac rei principio aliquando inchoandum est, sed vnde quis facilius discat. Aliud autem, à quo primo inexistente fit vt nauis carina, & domus fundamentum. animalium quoque quidam cor, quidam cerebrum, quidam quodcunque tale contingit, putant. Aliud vero, à quo primo non inexistente fit, & à quo primo natura aptus est motus, & transmutatio inchoari. vt proles ex patre & matre, & bellum ex contumelia. Aliud porro id, ad cuius electionem mouentur quæ mouentur & mutantur quæ mutantur, quemadmodum ciuitatum, principatus, potentiæ, regna, & tyrannides principia dicuntur etiam artes, & ex his maximè architectonicæ. Item vnde primum

*Non à primo aliquando inchoandũ, sed vnde quis facilius discat.*



res cognita est, illud quoque principium rei dicitur vtputa demõstrationum suppositiones. Toties autem causæ quoque dicuntur. omnes namque causæ principia. Omnibus igitur principiis commune est esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur. Horum vero quædã intrinsecus, quædam extrinsecus sunt. Quare natura quoque principium, & elementum. mens etiam & electio, & substantia, & quod cuius causa. multis etenim & cognitionis, & motus principium ipsum bonum, & malum.

### De causis. Cap. II.

Tex. 2. *Vide hæc eadẽ. 2. Ph. text. 28. & inde. Vide Auer. in Epi. trac. 1.*

CAusa vero vno modo dicitur, ex qua inexistẽte aliquid fit, vt æs statuæ, & argẽtum patere & horum genera. Alio vero forma, & exẽplar. hæc autẽ est ratio ipsius quid erat esse, & horũ genera. vt ipsius diapason, duo ad vnum, & simpliciter numerus, & partes, quæ in ratione sunt. Itẽ vnde principium mutationis primum, aut quietis, vt qui cõsulit causa, & pater prolis & simpliciter faciens eius, quod factum est, & trãsmutatiuum trãsmutari. Item vt finis. hæc autem est cuius causa. vt ambulandi, sanitas. propter quid enim ambulat, dicimus vt sanetur, & cum ita dicamus, putamus causam reddidisse, & quæcunque inter illud mouens, & finem media fiunt. vt sanitatis, attenuatio, purgatio, medicamenta, aut instrumenta. omnia etenim hæc finis gratia sunt. differunt vero abinuicem, eò quòd hæc quidem instrumenta, illa vero vt opera sunt. Causæ itaque ferè toties dicuntur. At cùm multifariam causæ dicantur, accidit multas quoq; eiusdem non secundũ accidẽs causas esse, vt statuæ & ars statuaria, & ipsum æs, non secundũ aliud quippiã, sed prout statua est. nõ tamen eodẽ modo, sed hoc quidẽ vt materia, illa vero

*Causis accidit sibi inuicē causas esse. Itē aliquādo cōtrariorum causa est.*

vt vnde motus. Et inuicem causas esse, vt laborare bonæ habitudinis, hæc vero laborandi. non tamen eodem modo. sed hæc quidem, vt finis, illud vero vt principium motus. Item idem aliquando contrariorum causa est. quod enim cum adsit, alicuius causa est, idem cum abest causam contrarii nonnunquam dicimus. vt absentiam gubernatoris, naufragii, cuius præsentia salutis causa erat. ambæ autem, & præsentia, & priuatio, tanquam mouentes causæ sunt. ¶ Omnes autem nunc dictæ

Tex. 3.

causæ in quatuor modi ferè manifestissimos modos: elementa etenim syllabarū, & materia factibilium, & ignis, & terra, & omnia huiuscemodi corporum partes quoque totius, & suppositiones conclusionis causæ sunt, vt ex quo. Harum vero hæc quidem tanquam subiectum, vt partes, hæc vero tanquam ipsum quid erat esse, vt totum, & compositio, & forma. Semen vero, & medicus, & conciliator, & simpliciter efficiens, omnia vnde transmutationis, aut status principium. Cætera vero tanquam finis, & bonum aliorum, ipsum enim cuius causa optimū, & finis aliorū vult esse. nil autem differat, bonū id, an apparēs bonū dicatur. Hæ itaque causæ, ac tot specie sunt. Modi autē causarum numero quidē multi sunt, in pauciores autē reducuntur. Dicūtur etenim causæ etiā earū, quæ eiusdem speciei sunt multipliciter prius videlicet, & posterius alia, quam alia, vt sanitatis medicus, & artifex & ipsius diapason duplum, & numerus & illā semper quæ continent quodcunque particularium. Itē vt ipsum accidens, & eorum genera, vt statuæ aliter Polycletus, & aliter statuarius, quia accidit statuario Polycleto esse. Et ea, quæ continēt accidēs. vt homo causa statuæ, aut simpliciter animal, quoniā Polycletus homo, homo autem



animal est. Est autē accidentiū quoq; aliud alio remotius, & propinquius. vt puta, si albus, & musicus dicātur statuæ causa, & non solū Polycletus, aut homo. Præter omnes autem, quæ proprie dicuntur, quæve secundū accidens, aliæ vt potentia dicuntur, aliæ vt agentes. vt ædificii extruendi ædificator, aut ædificans ædificator. Similiter autē illæ quoq; dicuntur de his, quorum causæ sunt. vt huius statuæ, aut statuæ, aut simpliciter imaginis. aut huius æris, aut æris, aut simpliciter materiæ. & de accidentibus similiter. Item hæ, & illæ coniunctæ dicentur. vtputa non Polycletus, nec statuarius sed Polycletus statuarius. Attamē hæ omnes multitudine quidē sex sunt: dicuntur autē dupliciter. aut enim vt singulare, aut vt genus eius: aut vt accidens, aut vt genus accidētis: aut vt coniunctæ, aut simpliciter dictæ. item tanquam agentes, aut secundum potentiam. Differunt autem, eò quòd agentes quidem, & singulares simul sunt, & non sunt tam ipsæ, quam illa, quorum causæ sunt. veluti hic medicans huic conualescenti, & hic ædificator huic, quod ædificatur. Quòd vero secundum potentiam, non semper: corrumpitur enim non simul domus, & ædificator.

*De Elemento. Cap. III.*

ELementum dicitur, ex quo componitur primo Tex. 4. meriſtenti indiuisibili specie in aliam speciem. *Vide auer.* vt vocis elementa, ex quibus componitur vox, & *in Epito.* in quæ vltima diuiditur: illa vero non amplius *tract. 2.* in alias voces ab ipsis specie diuersas. sed & si dividantur, particulæ, tamen eorum eiusdem speciei sunt: vt aquæ particula, aqua, sed non syllabæ. Similiter etiam corporum elementa dicunt, ea dicentes vltima in quæ corpora diuiduntur, illa vero non amplius in alia specie differentia cor-

pora, & siue vnum, siue plura huiusce modi sint hæc elemẽta aiunt. Similiter autem * figurationi quoq; elementa dicuntur: ac simpliciter demonstrationum. primæ enim demonstrationes, quæ in pluribus demonstrationibus insunt, hæc elementa demonstrationum dicuntur. sunt autem tales primi * ex tribus per vnum medium syllogismi. Hinc autem transferentes appellant etiam elemẽtũ, quod vnum & parvum existens, ad plura vtile sit. Quare & paruum, & simplex, & indiuisibile, elementum dicitur. Vnde euenit, quæ maxime vniuersalia sunt elementa esse. quoniam cùm vtrumquodq; aut eorum vnum & simplex sit, in multis, aut omnibus, aut quàm plurimis inest. Et vnum, & punctum principia quibusdam esse videtur. Cum itaq; illa, quæ genera vocantur vniuersalia, & indiuisibilia sint (vna enim est ipsorum ratio) genera quidã dicunt elementa & magis quàm differentiam, quoniam genus magis vniuersale est. cuicunque enim differentia inest, genus quoq; sequitur illud: non vero genus, non vtique differentia. Omnibus vero commune est, illud cuiusque esse elementum quod primum cuique inest.

* *designationum.*

* *al. trium med. orum.*

*De Natura. Cap. IIII.*

Tex. 5. *Vide auct. in Epito. tract. 4.*

NAtura vero dicitur, vno quidem modo nascentium generatio, vt si quis producta voce dicat Y. Alio vero, ex quo primo inexistente generatur quod gignitur. Item vnde primus motus in vnoquoq eorum quæ natura sunt, in eo secundum quod ipsum est. nasci autem dicuntur, quæcunque incrementũ per aliud habent, tangẽdo & connascendo, aut adnascendo, sicuti embryones. Differt autem cõnascentia à tactu. hic enim nihil aliud præter tactũ necesse est esse. in connascentibus vero est quiddã vnum in ambobus idẽ, quod propter



propter id, quod se cõtingãt, facit vt cõnascantur, & vnum secundũ continuationẽ & quantitatem, nõ secundũ qualitatem sint. Itẽ natura dicitur, ex quo primo inordinato existente, & immobili ex sua potẽtia, aut est aut fit aliquid eorum, quæ natura sũt, vt statuæ vasorũmq; aheneorũ æs natura dicitur, ligneorũ vero lignum. similiter autẽ & de cæteris. ex his enim vnũquodque est, prima materia salua. hoc enim modo & eorum, quæ natura sunt, elementa dicunt esse naturam, quidã ignem, quidam terram, quidam aerem, quidam aquam, quidam aliquid aliud tale dicentes, & quidam aliqua horum, quidam vero hæc omnia. Alio item modo natura dicitur substãtia eorum, quæ natura sunt, sicuti qui dicunt naturam esse primam, compositionem aut, sicut Empedocles dicit, quòd nullius entiũ natura est, sed mistio solũ, & mixtorum permutatio est natura vero ab hominibus nominatur. Quare & quæcũq; natura sunt, aut fiũt, iam existente, ex quo aptum est fieri, aut esse, nondum dicimus naturã habere, si speciẽ, & formam non habeant. Natura igitur, quod ex ambobus his est, vt animalia, & partes eorum. Natura vero hæc, prima materia. & hæc dupliciter, aut quæ ad ipsum primã, aut simpliciter prima. vtputa operũ aheneorum ad ipsa quidem æs primũ, simpliciter autem aqua fortasis, si omnia quidem liquabilia aqua. Et forma, & substantia, hæc autem est generationis finis. Metaphorice vero omnino omnis substantia natura propter hanc dicitur, quoniam & natura est aliqua substantia. Ex dictis itaque prima, & quæ proprie dicitur natura, est substantia eorum, quæ in seipsis, vt ipsa sunt, motus principiũ habẽt. materia enim, eò quòd huius est susceptiua, dicitur natura. generationes autem, ac

ipsum nasci, eò q ab hac motus sunt. principium quoque motus eorum, quæ natura sunt, hæc est, inexistens quodammodo aut potentia, aut actu.

*De Necessario. Cap. V.*

Tex.6. *Vide auer. in Epito. tract.1.*

NEcessarium dicitur, sine quo non contingit viuere tanquam concausa. vt respirare, & alimentum animali necessarium est. impossibile enim est absque his animal esse. Et sine quibus bonum non contingit aut esse, aut fieri, siue aliquid mali repellere, aut eo priuari. vt bibere potionem medicatam necessarium est, vt non ægrotet, & in Aeginam nauigari, vt pecuniam recipiat. Item violentum, & vis. hoc autem est, quod præter propositum & electionem obstat, & prohibet. violentum enim necessarium dicitur, quare etiam triste, vt Euentus quoque ait. omnis namque necessaria res tristis est, & vis necessitas quædam est. quemadmodum Sophocles dicit.

*Etiam vis me cogit hæc facere.*

Et recte necessitas videtur ineuitabile quiddam esse. contrarium enim voluntario, & secundum cogitationem motui est. Item quod non contingit aliter se habere, necesse dicimus ita se habere. & secundum hoc necessarium cætera quoque omnia dicuntur quodammodo necessaria. nam & ipsum necessarium aut agere, aut pati tunc dicitur, cùm non contingat propter illud, quod vim infert secundum propositum fieri, tanquam illa existente necessitate, propter quam non contingit aliter. Et in eis, quæ concausæ viuendi, & boni sunt, similiter. cum enim non contingat hic quidem ipsum bonum hic vero ipsum viuere & esse sine quibusdam, hæc necessaria, & hæc causa necessitas quædam est. Item demonstratio necessariorum est. quoniã non contingit aliter se habere, si



si simpliciter demõstratum est. Huius vero causæ ipsa prima, si impossibile est aliter se habere, ex quibus fit syllogismus. Quorundam itaq; alia est causa, vt necessaria sint. quorundã vero nihil, sed propter hæc, alia necessario sunt. Quare & proprie necessarium est, quod simplex est. hoc enim nõ potest multipliciter se habere. quapropter nec aliter & aliter. etenim multipliciter se haberet. Sunt igitur aliqua perpetua & immobilia sunt, nihil in eis violentum, aut præter naturam est.

*De Vno. Cap. VI.*

Tex.7. *Vide auer. in Epito. tra.1. Zim. elicit ex tex. propositione super contrad.*

VNũ dicitur vno modo secundũ accidẽs, altero per se. Secundum accidens quidẽ, vt Coriscus & musicũ, & Coriscus musicus idẽ enim est dicere Coriscus & musicũ, & Coriscus musicus: & musicũ & iustũ, & musicus iustus Coriscus. Cuncta etenim hæc vnũ dicũtur secundum accidẽs: iustũ quidẽ & musicũ, & quoniã vni subsũtiæ accidũt: musicũ vere & Coriscus, quoniã alterũ alteri accidit. similiter etiã quodammodo musicus Coriscus cum Coriseo vnũ est, quoniã altera partiũ earum quæ in oratione sunt, alteri accidit. vtputa musicũ Coriseo & musicus Coriscus iusto Coriseo, quoniã vtriusq; pars vna eidẽ vni accidit. nihil enim differt, aut Coriseo musicum accidere, aut isti hoc. Similiter autem, tam si de genere quam si de aliquo vniuersalium nominum accidens dicatur. vtputa quod idẽ homo, & musicus homo. aut enim homini, qui vna est subsũtia, musicũ accidit. aut quoniam ambo alicui singularium accidit, veluti Coriseo. non tamẽ eodẽ modo ambo insunt: sed hoc quidẽ vt genus differentiis, & vt in subsũtia. illud vero vt habitus, aut passio subsũtiæ. Quæcunque itaque secundum accidens vnum dicuntur, hoc modo dicuntur. ¶ Illorũ vero, quæ per se vnũ Tex.8.

dicũtur, hæc quidem dicuntur, eò quòd continua sunt, vt fascis vinculo. & ligna visco. linea quoque etiam, si curua sit, sed continua, vna dicitur, sicut partium etiam vnaquæque crus. & brachium. Ex his autem ipsis illa magis vnum sunt, quæ naturâ, quàm arte continua sunt. Continuum vero dicitur, cuius vnus per se motus, & non potest aliter esse. vnus vero, qui indiuisibilis. indiuisibilis autem secundum tempus. Secundum se autem continua, quæcunque nõ tactu vnum sunt. si enim ponnes inuicem tangentia ligna, non dices ea vnum, neque lignum neque corpus, nec aliquid continuum esse. Igitur & illa quæcunque omnino continua sunt, vnum dicuntur, etiam si habeant flexionem & adhuc magis, quæ non habent, vt tibia, aut femur, quàm crus: quoniam contingit vnum non esse motum cruris. & recta magis, quàm curua, vnum est, curuam vero, & angulum habentem & vnam, & non vnam dicimus quoniam contingit & non simul eius, motum, & simul esse. rectæ vero semper simul, nullâque particula magnitudinem habens, hæc quidem quiescit, hæc vero mouetur, Tex. 9. quemadmodum curuæ. ¶ Alio item modo vnum dicitur, cùm subiectum sit forma indifferens. Indifferens autem, quorum forma indiuisibilis secundum sensum est. subiectum vero, aut primum, aut vltimum ad finem. etenim vinum vnum, & aqua vna dicitur, quatenus indiuisibilis secundum formam est: liquoréque omnes, vt oleum, vinum, & liquabilia vnum dicuntur, quoniam omnium Tex. 10. vltimum subiectum idem est, aqua nanque & aer hæc omnia sunt. ¶ Dicuntur autem vnum, & quorum vnum genus differens oppositis differentiis. ac cuncta hæc vnum dicuntur, quoniã vnũ est genus subiectũ differentiis. vt homo, equus, canis

vnum



vnum quid, quoniam omnia animalia, & quodam simili modo sicuti materia vna. Hæc autem quandoque quidem ita vnum dicuntur quandoque vero superiore genere quod idem dicitur si vltimæ generis species sunt, illa autem superiora ipsis: vt puta triangulus duorum æqualium laterum vna & eadem figura cum triangulo trium æqualium laterum est. ambo etenim trianguli, sed nõ iidem trianguli. ¶ Item vnum ea dicuntur, quorum ratio, quod quid erat esse dicens, indiuisibilis ad aliã Tex. 11. est, quod quid erat esse rei significantem. ipsa enim per seipsam omnis ratio diuisibilis. sic enim & auctum, & diminutum vnum est, quoniam ratio vna: quemadmodũ in superficiebus est ipsius speciei vna. Et omnino quorumcunque intellectio, quæ quod quid erat esse intelligit, indiuisibilis est, neque separari potest nec tempore, nec loco, nec ratione. hæc maximè vnum sunt. & horum, quæcunque substantiæ sunt. Vniuersaliter nanque quotcunque non habent diuisionem quatenus nõ habent, eatenus vnum dicuntur, vt puta si prout homo nõ habet diuisionem, vnus est homo: quòd si prout animal, vnum animal: quòd si prout magnitudo, vna magnitudo. Plurima itaque vnum dicuntur, eò quòd aliquid vnum aut agunt, aut patiuntur aut habent, aut ad aliquid vnũ sunt. Quæ vero primo vnum dicuntur, illa sunt. quorum substantia vna: vna vero aut continuatione, aut forma, aut ratione. numeramus etenim tanquam plura, aut quæ non continua sunt, aut quorum forma non est vna, aut quorum ratio non est vna. Item est quidem, vt quodcunque dicamus continuitate vnum esse, modo quantum & continuum sit. est autem vt non aliquid totum sit. hoc autem si non habeant formam vnam. non enim dicemus.

similiter vnum, cū viderimus partes calceamētū quomodocūque cōpositas, propter cōtinuitatem: sed si ita vt calceamentum sit, ac quandā formam habeat, tunc vnum. Quare maximē linearū circuli linea vna est, quoniam tota & perfecta est. Tex.11.

¶ Vni autem esse, principiū est alicui numero esse. prima enim mēsura principiū est. quod nāque primo cognoscimus, hoc prima cuiusque generis mensura. Principium itaque scibilis circa vnum quodque ipsum vnū. non est autē idē in cunctis generibus vnū. sed hic quidem diesis, hic vero vocalis aut muta grauitatis autem aliud, & motus aliud. Vbique autē ipsum vnū, aut qua entitate, aut forma indiuisibile. Illud igitur, quod secundum quantū prout quantū indiuisibile est, quod quidē omnino & sine positione est, dicitur vnitas. quod vero omnino & positionē habens, punctum: quod autem secundū vnum, linea: quod vero secundum duo, superficies: quod autē omnino, & in tria secundū quātum diuisibile, corpus, & ecōuerso. in duo quidē diuisibile, superficies est: quod vero in vnum, linea: quod autem nequaquam secundum quantitatem diuisibile est punctum, & vnitas est. quæ quidem sine positione, vnitas: quod vero habet positionem, punctum. Item alia numero, alia genere, alia specie, alia analogia vnum sunt. Numero quidem, quorum materia vna. Specie vero quorum ratio vna. Genere autem, quorum eadē prædicationis figura. Secundum analogiam vero, quæcunque se habent, vt ad aliud. Semper autem posteriora sequuntur præcedentia. vt puta quæcunque numero, specie quoque vnum sunt: quæcunque vero species, non etiam numero, sed genere cuncta vnum sunt? quæcunque etiam species: quæcunque autem genere, non omnia specie. sed secun-



secundum analogiam: quæcunque vero analogia vnum, non omnia genere. manifestum autem etiam est, quòd multa quoque vni oppositè dicuntur. quædam enim, eò quod non sint continua, quædam vero, eò quòd diuisibilem secundum speciem materiam habeant, aut primam, aut vltimam, quædam autem, eò quod rationes, quod quid erat esse dicentes plures sint. *Multa quo tuplicitor*

*De Ente. Cap. VII.*

ENs dicitur, aliud secundum accidens, aliud per se. Secundum accidens quidem, vt iustum musicum esse dicimus, & hominem musicum, ac musicum hominem. similiter dicentes vt cum dicimus musicum ædificare, quia accidit ædificatori musico esse, aut musico ædificatori. hoc etenim hoc esse dicere significat hoc huic accidere. Ita igitur de his, quæ dicta sunt, cum hominem dicimus musicum esse, & musicum hominem, aut album musicum, siue hunc album, hoc quidem, quoniam ambo eidem accidunt: illud vero, quoniam eui accidit. Hoc autem musicum hominem, quoniam huic musicum accidit. Ita etiam dicitur album esse, quoniam cui accidit, aliud est. Quæ igitur secundum accidens esse dicuntur, ita dicuntur, aut quoniam eidem eui ambo insunt, aut quoniam illud eui inest, aut quoniam ipsum est, cui inest, de quo ipsum prædicatur. ¶ Per se vero esse dicūtur, quæcumque significant prædicationis figuras. quot es enim dicuntur, toties ipsum esse significant. Cum ergo eorum, quæ prædicantur, quædam ipsum quid est significant, quædam quale, quædam quantū, quædam ad aliquid, quædam facere, aut pati, quædam vbi, quædam quando, horum cuique idem ipsum esse significat. nihil enim differt, homo cōualescēs est, aut homo conualescit. Tex.13. *Vide auer. in Epito. tract.1.* Tex.14.

ualescit: & homo ambulans vel incedens est, aut homo ambulat vel incedit. similiter in aliis quoque. Item ipsum esse, & ipsum est significat quod verum est, ipsum vero non esse, quod non verum. sed falsum similiter, tam in affirmatione quàm in negatione. vtputa, quòd Socrates musicus est, quoniam verum hoc est aut quod Socrates nõ albus, quoniam verum. quòd autem diameter non sit incõmẽsurabilis, quoniam falsum est. Item ipsum esse, & ipsum ens, quoddam eorũ, quæ dicta sunt, potentia dici posse significat, quoddam actu. videmus etenim dicimus esse, & quod potentia, vt dicitur videt, & quod actu. ipsum quoque sciens similiter, & quod potest vti scientia, & quod iam vtitur. ac etiam quiescens, tum illud, cui iam inest quies, tum quod quiescere potest. Similiter autẽ in substantiis. etenim Mercurium in lapide dicimus esse, & lineæ medietatem, ac triticum, quod nondum maturum est. quando vero possibile, & quando non, in aliis determinandum est.

*De Substantia. Cap. VIII.*

Tex. 15. *Vide auer. in Epito. tract. 1. Vide cõm. Zim.*

SVbstantia dicuntur & simplicia corpora vt terra, ignis, aqua, & quæ talia sunt & vniuersaliter corpora, & quæ ex his consistunt animalia, & dæmonia, ac eorum particulæ. hæc vero omnia dicuntur subsstantia quoniam non dicuntur de subiecto, sed de eis cætera. Alio vero modo quodcũq; fuerit causa existentiæ talibúsque inexistens, quæ non dicuntur de subiecto, vt anima animali. Item quæcũq; particulæ inexistentes sunt in talibus definientes, & quod quid significantes, quibus perceptis, totum perimitur. vt superficie, corpus, vt quidã aiunt, & linea superficies. & vniuersaliter numerus videtur quibusdã talis esse. eo etenim perempto nihil esse, & omnia terminare. Itẽ quod quid erat esse, cuius ratio definitio est, & hoc vniuscuiusque substantia dicitur. Accidit igitur duobus modis substantiam dici, & ipsum vltimum subiectum, quod non dicitur de alio: & id, quod cùm *quod quid sit, etiam separabile fuerit. tale verò cuiusque forma & species.



**hoc aliquid.*

*De Eodem, Diuerso, Differenti, Simil, & Dissimili. Caput. IX.*

Tex. 16. *Hæc duæ quæstia Capita. 9. & 10. Auer. nõ habet in hac cõmentatione. Vide ipsum in Epistra. 1.*

EAdem verò, quædam secundum accidens dicuntur, vt album & musicum idem, quoniam eidem accidunt: ac homo & musicum, quoniam alterum alteri accidit. musicus verò homo, quoniam musicum homini accidit. vtrique vero hoc, & huic vtrunque illorum. etenim homini musico & homo, & musicum idem dicitur, & his illud. Quare omnia hæc vniuersaliter non dicuntur. non enim est verum dicere quòd omnis homo idem & musicum, vniuersalia nanque per se existunt, accidentia verò nõ per se, sed de singularibus simpliciter dicuntur. idem enim videtur Socrates, & Socrates musicus esse. Socrates enim non de multis. quare non dicitur omnis Socrates sicuti omnis homo, quædam igitur ita dicuntur eadem. Quædam verò per se, sicuti & vnum. etenim quorum materia, aut specie, aut numero vna eadem dicuntur: & quorum substantia vna Quare patet, quòd identitas vnitas quædam essentiæ est, aut plurium, aut cùm vt pluribus vtatur. vtputa cùm dicat ipsum sibi ipsi idẽ, vt duobus enim ipso vtitur. Diuersa vero dicuntur, quorum aut *Diuersa.* species plures aut materia, aut ratio substantiæ. & omnino diuersum dicitur oppositæ ad id, quod idem dicitur. Differentia verò dicuntur, quæcunque diuersa sunt, cum idem quid sint, modo non *Differẽtia.* sint idem numero, sed aut specie, aut genere, aut

proportione. Item quorum diuersum genus,& contraria,& quæcunque diuersitatem in substantia habent. Similia dicuntur, & quæ idem passa sunt,& quæ plura eadem quam diuersa passa sunt, & quorum qualitas vna.ac secundum quæcunque contrariorum alterari contingit id, quod plura his,aut magis propria habet simile illi est. Oppositè verò similibus dissimilia dicuntur.

*Similia.*

*Dissimilia.*

*De Oppositis,Contrariis,Diuersis,& eisdem specie. Cap. X.*

*Vide auct. in Epi. tradat.*

OPposita dicuntur, contradictio, contraria ad aliquid priuatio & habitus, & ea, ex quibus, & in quæ vltima. vt generationes & corruptiones,& quæcunque susceptiuo amborum non contingit simul adesse, hæc opponi dicūtur, aut ipsa, aut ex quibus sunt. fusti nanque & album simul eidem non insunt. quare ea ex quibus sunt, opponuntur ipsi.Contraria dicuntur, quæ non possunt simul eidem adesse. cum eorum sint, quæ secundum genus differunt.& quæ plurimum differunt, cùm in eodem genere sint. quæue plurimum differunt.cùm in eodem susceptiuo sint. ac etiã quæ plurimum differunt,cum eorum sint. quæ sub eadem potentia sunt, & quorum differentia maxima aut simpliciter, aut secundum genus aut secundum speciem. Cætera vero contratia dicuntur, quædam, eo quòd talia habent: quædam eò quod susceptiua talium sunt: quædam, eò quòd actiua aut passiua talium.iunt, aut agentia, aut patientia, aut abiectiones, aut sumptiones, aut habitus. aut priuationes sunt horum, ac talium. Cùm autem vnum & ens multipliciter dicatur, necesse est,vt cætera quoque, quæcunque secundum hæc dicuntur sequantur. quare & idem & diuersum,& contrarium vt secundum vnum quodque-

*Contraria.*



quodque prædicamẽtũ diuersum sit. Diuersa verò specie dicuntur quæcunque cùm eiusdẽ sint generis, non sunt subalterna, & quæcunque cũ in eodẽ genere sint,differentiam habent. & quæcũque in substantia contrarietatem habent Cõtraria quoque diuersa specie inuicem sunt, aut omnia, aut quæ primo dicuntur, & quorum in vltima generis specie rationes diuersæ. vt homo & equus in diuidua genere rationes verò eorum diuersæ, & quæcunque,cum in eadem substantia sint, differentiam habent. Eadem verò specie sunt,quæcũque his oppositè dicuntur.

*Diuersa specie.*

*Eadem specie.*

*De Priori & Posteriori. Caput. XI.*

*Vide auct. in Epi. tradat.*

PRiora,& posteriora dicuntur,vno quidem modo tanquam aliquo primo & principio in quoque genere existente, quod propinquius est principio cuidã determinato aut simpliciter & natura,aut ad aliquid, aut vbi,aut ab aliquib⁹. Vt puta quædam secundũ locũ eò q⁹ propinquiora sunt alicui loco natura determinato medio videlicet, aut vltimo,aut ad quoduis. Quod verò remotius, est posterius. Quædam secundum tempus.aliqua enim eò q⁹ remotiora à nũc sunt.vt de eis,quæ fuerunt. & ea sunt.quæ enim in Troia fuerunt, priora sunt his,quæ apud Mediam facta sunt.quoniam remotius à nunc distant.aliqua vero, eo quòd propinquiora ipsi nunc sunt: vt de futuris. prius enim festum, quod apud Nemeam futurum est, quàm quod apud Delphos, quoniam propinquius ipsi nunc est, vt principio, & primo ipso nunc posito. Quædam secundum motum. quod enim propinquius primo mouenti est prius est vt puer viro. etenim quoddam & hoc simpliciter principium est. Quædam secundum potentiam. quod enim excellit potentia,& fortius est,prius est, tale verò

est, cuius electionem, vt alterum, & quod posterius est sequatur necesse est, vt non mouente illo, nõ moueatur. & mouente moueatur. electio enim principium est. Quædam secundum ordinem, hæc verò sunt, quæ cuique ab aliquo vno determinato proportionaliter distant, vt in tripudiis qui secundum locum obtinet prior est eo, qui tertium tenet, & *paranete, quàm nete. illic enim tripudii ductor, hic verò media principium est. Hæc itaq; hoc modo priora dicuntur. Alio verò modo quod cognitione prius, tanquam & simpliciter prius. Horum autem aliter ea, quæ secũdum rationem, atque ea quæ secundum sensum. Secundum enim rationem vniuersalia priora, secundũ verò sensum singularia. Et secundum rationem accidens toto prius. vt musicum homine musico. non enim erit ratio tota absque parte, tametsi non contingit musicum esse, si non sit aliquis musicus. Item priores dicuntur passiones priorum, vt rectitudo læuitate. ista enim lineæ per se passio. hæc vero superficiei. quædam igitur ita priora & posteriora dicuntur. Quædam vero secundum naturam & substantiam, quæcunque contingunt absque aliis esse, ista vero sine illis minime: qua diuisione vsus est Plato. Cùm autem ipsum esse multipliciter dicatur, primo quidem subiectum est prius, propter quod substantia prior. Deinde aliter quæ secundum potentiam, & quæ secundum actum. quædam enim secundũ potentiã priora sunt, quædam vero secundum actum, veluti secundum potentiam quidem dimidia quàm tota, & particula quàm totum, & materia quàm substantia. secundum actum vero posterior dissolutio etenim secundũ actum erit. Quodammodo igitur omnia quæcũq; prius & posterius, dicuntur, secundũ hæc dicun-

*penultima quàm vltima.



dicuntur. Quædam enim secundũ generationem contingit absque aliis esse, vt totũ partibus quædam vero secundum corruptionem, vt pars toto similiter etiam cætera.

*De Potentia & Impotentia. Caput XII.*

Tex.17. *Vide aut. in Epit. tra Ctat.*

POtentia dicitur, quædam quidem principium motus, aut transmutationis in altero, aut prout alterum est. vt ædificatiua potẽtia est, quæ non inest in ædificato sed ars medendi cùm sit potentia inerit vtique in eo, qui sanatur, sed nõ prout sanatur. Quedam igitur omnino principiũ transmutationis, aut motus dicitur potentia in altero aut prout alterum est. Quædam vero ab altero, aut prout alterum est: secundum quam profecto quo patitur, aliquid patitur. Quandoque igitur si quodcunque pati possibile est, dicimus illud posse pati: quãdoque vero non secundũ omnẽ passi nẽ, sed si ad melius. Item qua eius quod bene quippiam efficiatur, aut secundum electionem. aliquãdo enim eos, qui solum ambularunt, aut dixerũt. non autem bene, nec vt proposuerunt, non dicimus posse dicere, aut ambulare. similiter quoque de pati. Itẽ quicũque habitus, secũdũ quos impassibilia omnino aut immutabilia sint, aut non facile ad deterius moueantur, potentiæ dicuntur. franguntur nanque, & conterũtur, & flectuntur, & omnino corrumpũtur, nõ propter posse, sed propter non posse, & in aliquo deficere. impossibilia vero à talibus sunt, quæ propter potentiam & posse, & aliquatenus se habere vix & parum patiuntur. Cùm autem potentia tot modis dicatur, potẽs quoque vno quidem modo dicetur, quod motus, aut, trãsmutationis principium habet. etenim secundũ potens quid est in altero, aut prout alterũ est. Alio vero, si quid eius aliud talem potẽ-

*De Possibile.*

tiam habet. Alio vero, si quid ad quodcunque transmutetur, siue in peius, siue in melius potentiam habeat. etenim quod corrumpitur, videtur posibile esse corrumpi. aliter non corrũperetur si impossibile esset. nunc autem habet quandam dispositionem, causam, & principiũ huiuscemodi passionis. quãdoque enim propterea quod habet, quã loquit propterea & priuatur tale videtur esse. Quod si priuatio habitus quodãmodo est, omnia, propterea quòd habent, profecto aliquid erunt. æquinoce autem dicimus ipsum ens. Quare propterea quòd habet habitũ quendã, & principium, posibile est & propterea & habet huius priuationem, si posibile est priuationẽ habere. Alio autẽ modo propterea quòd nõ habet eius potentiã, aut principium in altero, aut prout alterũ. corruptiuam. Item hæc omnia aut eò quòd solũ cõtingãt hæc fieri aut non fieri aut eò & bene etenim inanimatis etiam talis potentia inest, vt instrumentis aliquã enim posse sonare liram aiunt, aliquam minime, si non bene sonans est. impotentia vero potẽtiæ priuatio est. & quædam talis principii oblatio quale diximus, aut omnino, aut ab eo, qui natura aptus est habere. aut & cum natura aptus sit iam habere. non enim similiter dicẽt impossibile esse puerum generare, & virum eunuchum. Itẽ vtrique potentiæ est impotentia opposita. & ei quæ solum motiua, & ei, quæ bene motiua est. Impossibilia quoque quædã secundũ hanc impotẽtiã dicũtur, quædã alio modo, vti posibile & impossibile. impossibile quidẽ. cuius contrariũ necessario verũ est. veluti diametrũ cõmensurabilẽ esse impossibile est. quoniã falsum huiuscemodi est. & cuius contrariũ nõ solum verũ, sed necessarium quoque est, vt incõmensurabilis sit. commensurabile igitur non solum falsum, sed necessario etiã falsum est. Ipsum verò posibile huic contrarium, cùm non sit necessarium contrarium falsum esse vt sedere hominem. posibile est. non enim necessario nõ sedere falsum est. posibile itaque vno quidem modo significat, vt dictum est, quod non necessario falsum est alio verò, ipsum verum esse. alio autem, contingens verum esse. Metaphorice autem quæ in Geometria, potentia dicitur. Hæc igitur posibilia, non secundum potentiam. Quæ autem dicuntur, secundum potẽtiam omnia ad primam vnam dicuntur. hæc autem est principium transmutationis in altero, prout alterũ est. cætera nãque posibilia dicuntur, quædã eo quod eorum aliquid talem potentiam habet: quædam, eò quod nõ habẽt, quædã eò quò sic habent. Similiter etiã impossibilia. Quare propria primæ potentiæ definitio profecto erit, principium transmutatiuum in altero, prout alterum est.

*De impotentia.*



*De quanto. Caput XIII.*

QVantum dicitur, quod est in ea quæ insunt Tex. 18.
diuisibile, quorum vtrunque aut singulum vnum quid & quicquid aptum est esse: Multitudo igitur quantum quid, si numerabilis est. magnitudo vero si mensurabilis. Dicitur autem multitudo quidem, quæ potentia diuisibilis est in non continua: magnitudo vero, quæ in continua. Magnitudinis autem, quæ quidem ad vnum continua est, longitudo: quæ vero ad duo, latitudo: quæ autem ad tria, profunditas est. Horum autem multitudo quidem finita numerus, longitudo vero linea, latitudo autem superficies, profunditas vero corpus est. Item alia per se quanta quædam dicuntur, alia secundum accidens, vt puta linea quidem quantũ quiddam per

*Vide auer. in Epit. tract. 1. sub cap. de accidente.*

*Vide cõtra dictiones. Zim.*

**hoc aliqd*

se est, musicum verò secundum accidens. Eorum vero quæ per se sunt: quædam secundum substantiam sunt: vt linea quantum quiddam in definitione nanque, quod quid est dicenti, quantum quiddam inest, quædam passiones, & habitus huiusce modi substantiæ sunt: vt multum & paucum, longum & breue, latum & strictum, profundum & humile, graue & leue, & cætera quoque huiusce modi. Sunt autem magnum etiam & paruum, maius & minus, tam secundum se, quàm ad se invicem dicta quanti per se passiones, transferantur autem & ad alia ista nomina. Eorum autem quæ secundum accidens dicuntur quanta, quoddam ita dicitur, vt prædictum est quod musicum, & album quantum est: eo quòd illud cui insunt, quantum quid est. Quædã vt motus & tempus. & hæc enim quanta quædam & continua dicuntur, eò quòd illa diuisibilia sunt, quorum hæc sunt passiones. dico autem non quod mouetur, sed quo motum est. etenim quoniam illud quantum est, & motio est quanta, tempus autem propter illam.

Tex. 19. *Vide auer. in Epit. tract. 1. sub cap. de Ad aliq.*

*De qua i. Caput. XIIII.*

QVale dicitur vno modo differẽtia substantiæ vt puta quale animal homo, quoniam bipes; equus vero quadrupes. & circulus qualis quædam figura, quoniam absque angulis est, tanquam differentia quæ secundum substantiam qualitas sit, vno itaque modo qualitas dicitur substantiæ differentia. Alio, vt immobilia, & mathematica, veluti numeri quales quidam sunt, vt qui compositi: & non solum, qui ad vnum sunt, sed hi, quorum imitatio superficies & solidum. hi autem sunt, qui quoties quanti aut quoties quanti quoties. & omnino quod in substantia, præter quantum existit: substantia nanque cuiusque



iusque est quod semel vtputa ipsorũ sex. nõ qui bis vel ter, sed qui semel. sex enim semel sex sunt. Itẽ quæcũque substantiarũ, quæ mouentur passiones, vt caliditas & frigiditas, albedo & nigredo, grauitas & leuitas, & quæcunque similia, secundum quæ dicũtur alterari corpora ipsis mutatis. Item, secundum virtutem & malitiã, & omnino bonum & malũ. Ferè itaque secundum duos modos dicit posit ipsum quale, & horum vnum maximè proprium. prima etenim qualitas substantiæ differẽtia est. huius autem pars, & quæ in numeris qualitas est. etenim differentia quædam substantiarum est. sed non aut eorũ, quæ mouentur, aut non mouentur, hæc autem passiones eorũ, quæ mouentur, prout mouentur sunt, & motuum differentiæ. Virtus autem & malitia passionum quædam partes sunt. differentias enim motus, & actionis quasdam manifestant secundum quas bene, vel malè agunt, aut patiuntur ea, quæ in motu sunt. Quod enim hoc modo potest moueri, aut agere, bonum: quod verò illo modo & contrario, praui. Maximè autem bonum & malum significant qualitatem in illis quæ animata sunt, & in illis maximè, quæ habent electionem.

*Semel*

*Sex sunt.*

*De Ad Aliquid. Cap. XV.*

AD aliquid dicuntur quædam, vt duplum ad dimidiam, & triplum ad tertiam partem, & omnino multiplex ad multiplicati partem, & excedens ad excessum. Quædam vt calefactiuum ad calefactibile, & secuum ad secabile, & omnino actiuum ad passiuum. Quædam, vt mensur bile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum. Dicuntur autem prima quidẽ secundum numerũ, aut simpliciter, aut determinate ad eos, aut ad vnum, vtputa duplum quidem ad vnũ nu-

Tex. 20. *Vide auer. in Epit. tract. 1. sub cap. de Ad aliq.*

merus determinatus multiplex vero secundū numerū ad vnum, non tamen determinatū, vt hunc vel hūc. sexquialterum verò ad subsexquialterum secūdum numerum ad numerum determinatum, superpatiens autē ad suppartiētem secundū indeterminatum, sicuti multiplex ad vnum. excedens autem ad excessum omnino indeterminatum secundum numerum. numerus enim commensurabilis. secundum vero incommēsurabilem numerum dicitur. excedens enim ad excessum tantum est, & vltra hoc vero indeterminatum est: quodcunque enim contingit, est aut æquale, aut non æquale. Hæc itaque ad aliquid omnia secundum numerum dicuntur, & numeri passiones sunt. Et adhuc æquale, simile & idem secundum aliquem modum, secundum vnum etenim omnia dicuntur. Eadem enim sunt, quorum substantia vna. Similia vero, quorū qualitas vna. Æqualia autem quorum quantitas vna. ipsum vero vnum numeri principium & mensura. vnde hæc omnia ad aliquid dicuntur, secundum numerum quidem, non tamen eodem modo. Actiua vero, & passiua secundum actiuam & passiuam potētiam, & potentiarum actiones. vtputa calefactiuum ad calefactibile quoniam possunt. & rursus calefaciens ad id quod calefit, & secans ad id, quod secatur, vt agentia. Eorum autem, quæ secundum numerum sunt, non sunt actiones, nisi quemadmodum in aliis dictum est, sed secundū motum actiones non existunt. Eorum vero, quæ secundum potentiam, etiam secundum tempora iam dicuntur ad aliquid. veluti quod fecit, ad id, quod factum est: & id, quod facturum est, ad id quod faciendum est. sic enim pater quoq; filii pater dicitur. hoc enim fecit, at illud passum quid est. Itē quædā secundum pri



priuationē potentiæ, vt impossibile. & quæcunque ita dicūtur, vt inuisibile. Quæcunque igitur secūdū numerum, & potentiam ad aliquid dicuntur, cuncta sunt ad aliquid, eò q̄ ipsum quod est alterius dicitur ipsum. quod est, sed non eò q̄ aliud ad illud. Mensurabile autem & scibile, & intelligibile, eò quòd aliud ad illud dicitur. Nam intelligibile significat quòd eius est intellectus. Nō est autē intellectus ad illud, cuius intellectus est. idem enim profecto bis dictū esset similiter & visus cuiusdam est visus, nō cuius est visus (etsi verum est hoc dicere) sed ad colorem, aut aliquid aliud tale. illo verò modo bis idē diceretur, quod visus est, cuius est visus. eorum igitur, quæ per-se ad aliquid dicuntur, quædā ita dicuntur, quædam si genera eorum talia sunt. vt puta Medēdi ars eorum est, quæ ad aliquid sunt, quoniam genus eius scientia videtur eorum esse, quæ ad aliquid sunt. Itē secundum, quæ ad aliquid dicuntur ea, quæ illa habent. vt æqualitas, quoniam ipsum æquale. & similitudo, quoniā & ipsum simile. Aliqua verò secundū accidēs dicuntur. vt homo aliquid quoniam accidit ei duplo esse. hocautem eorum est, quæ ad aliquid sunt, aut albū, si eidem accidit duplo, & albo esse.

*De Perfecto. Caput. XVI.*

PErfectum dicitur vno quidem modo, extra quod nulla est vllam accipere particulam. *Vide auer.* vtputa tempus ipsum, vniuscuiusque perfectum est, extra quod non est vllum accipere tempus, quod pars huius temporis sit. Et quod secundum virtutem, & quod est eius, quod bene, non habens excessum ad genus, vt perfectus musicus, & perfectum tibicen, cum secundum propriæ virtutis speciem in nullo deficiant. ita etiam in malis transferentes dicimus calumniatorem perfect

Tex. 21. *vtputa* *in Epi. tra.* *cta.* 1.

perfectum, & furem perfectũ, quoniam etiã bonos eos appellamus, vtputa furem bonum, & calumniatorẽ bonũ. Virtus quoque quædã perfectio est, vnum quodq; nanque tunc perfectum est cuncta quæ substantia tunc perfecta, cùm secundũ speciem propriæ virtutis nulla desit particula magnitudinis naturalis. Item quibus finis studiosus est, ea perfecta dicuntur. etenim secundum quod habent finem perfecta dicuntur. Quare cùm finis vltimorũ quippiam est, ad praua quoque transferentes, dicimus perfectè interemptũ esse, & perfectè corruptũ esse, cùm nil corruptionis, aut mali desit, sed in vltimo sit. propter quod & mors metaphorice dicitur finis, quoniam vltima. finis autem & quod cuius gratia vltimũ. Quæcunque igitur per se perfecta dicuntur, toties dicuntur Quædam, eò q̃ secundũ bene in nullo deficiunt, nec habent in aliquo genere excessum, nec est quicquam extra. Quædam eò q̃ omnino in vnoquoq; genere excessum non habent, nec quicquam est extra. Cætera vero iam secundũ ipsa, eò q̃ aut tale faciunt: aut habent, aut conueniunt, aut tali aut aliquo alio modo ad ea, quæ primo dicta sunt, perfecta dicuntur.

*Nota hic bari magnitudinẽ virtutis. idem 10. huius tex. 13.*

*D. Termino. Cap. XVII.*

Tex. 22. **Extremũ.*

TErminus *dicitur quod vltimum cuiusque est, extra quod nihil est accipere primũ, & intra quod omni primum. Et quod magnitudinis forma, aut magnitudinẽ habẽtis. Et cuiusque finis, tale vero est, ad quod motus & actus, & non à quo quãdoque autẽ ambo, & à quo, & ad quod. Et cuius causa. Et substantia vniuscuiusque, ac quod quid erat esse vnicuique cognitionis enim hoc terminus est, q̃ si cognitionis, rei quoque est. Quare patet quòd quoties dicitur principium, toties etiam



etiam terminus, & adhuc amplius. principium nanque terminus quidam: sed non omnis terminus principium.

*De Secundum quod. Cap. XVIII.*

SEcundum quod multipliciter dicitur. Vno modo forma & substantia cuiusque rei, vt secundũ quod bonus, ipsum bonum. Alio in quo primo fieri aptum est, vt color in superficie. Quod igitur primo dictum est secundum quod ipsa forma est. secundo vero, tanquam cuiusque materia, & primum cuiusque subiectum Et omnino ipsum secundum quod, toties dictum erit, quoties dicitur causa, secundum quod enim venit, aut qua causa venit dicitur, & secundum quod paralogizatum, siue syllogizatum est, & quæ syllogismi, siue paralogismi causa est. Item secundum quod dicitur, quod secundum positionem est. secundum quod stetit, aut secundum quod vadit. etenim hæc omnia positionem & locum significant. Quare & secundum se multipliciter vt dicatur necesse est. Vno nanque modo secundum se est quod erat esse cuilibet. vt Callias, & quod quid erat esse Calliam. Alio vero, quæcunque in eo quod quid est insunt, vtputa Callias, secundum se animal est in ratione enim animal inest. Callias enim quoddam animal est. Item si in seipso primo susceptit, aut in aliquo sui. vtputa superficies alba secundum se, & homo secundum se viuens. anima nanque pars quædam hominis est, in qua prima ipsum viuere est. Item cuius non est aliqua alia causa. hominis nanque multæ causæ sunt, animal bipes. attamen secundum se homo est homo. Item quæcunque soli, prout soli insunt. quare quod *separatum est, secundum se est.

Tex. 23.

*Vide auer. in Epit. tra. 1. sui cap. de Essentia.*

** a. l. colo ratum.*

De

*De Dispositione. Cap. XIX.*

Tex. 24. DIspositio dicitur ordo partes habentis, aut secundum locum, aut secundum potentiam, aut secundum formam. positionem enim quandam esse oportet, sicut ipsum etiam dispositionis nomen significat.

*De Habitu. Cap. XX.*

Tex. 25. HAbitus autem dicitur vno modo, tanquam quidam habentis, & habiti actus. sicuti actio quædam aut motus. nam cùm hoc quidem efficit, illud verò sit, est media effectio. ita & habentis vestem & vestis habitæ est medius habitus. Hunc itaque habitum, quòd non contingit habere manifestum est. in infinitum enim progrederetur, si habiti esset habitum habere. Alio modo habitus dicitur dispositio, secundum quam bene vel male disponitur, dispositum, & aut secundum se, aut ad aliud, vt sanitas quidam habitus est, dispositio etenim talis est Item habitus dicitur, si particula talis dispositionis sit. quare partium quoque virtus quidam habitus est.

*De Passione. Cap. XXI.*

Tex. 26. PAssio dicitur vno quidem modo qualitas, secundum quam alterari contingit, vt album & nigrum, dulce & amarum, grauitas & lenitas, & quæcunque alia similia. Alio modo horum actiones & iam alterationes. Item harum magis, quæ noxiæ alterationes, & motus, & maxime quæ tristes & noxiæ sunt. Item calamitatum & tristium magnitudines passiones dicuntur.

*De Priuatione. Cap. XXII.*

*Vide auer. in 4. Phy. tex. 3. prime.* PRiuatio dicitur vno modo, si non habeat aliquid eorum, quæ apta sunt haberi, etiam si ipsum non sit natura aptum habere. vt planta dicitur



citur oculis priuari. Alio modo, si cum aut ipsum, aut genus eius aptum habere sit, non habeat, vt puta alter cæcus homo visu priuatur, & alter talpa: hæc quidem secundum genus, ille vero secundum se. Item si cum aptum sit, & quando sit aptum habere, non habeat. cæcitas nanque priuatio quædam est. cæcus autem non secundum omnem ætatem, sed si, in qua aptus est habere, non habet. Similiter si in quo, & secundum quod, & ad quod, & quemadmodum natura aptus sit, non habeat. Item violenta cuiusque ablatio priuatio dicitur. Et quoties negationes ab IN, vel simili negatione incipientes dicuntur, toties etiam priuationes dicentur. Inæquale nanque dicitur, eò quòd non habeat æqualitatem, aptum existens habere. inuisibile vero, eo quòd non habeat omnino colorem, & quod exiguo. & impes, eò quòd & non habeat omnino pedes, & quòd debiles. item cum parum quid habeat. vt cum dicimus* exoffem. hoc autem est, eò quod exile quidam habet. Item, cum non facile, aut non bene. vt insecabile, non solum eò quòd nō secetur, sed etiam, eò quod non facilè, nec bene. Item, cum ommno non habeat. cæcus nanque dicitur non qui vnoculus est, sed qui vtrinque oculi visu caret. Quare non omnis, bonus vel malus, aut iustus vel iniustus, sed etiam intermedium est.

* *innucleo-sum.*

*De Habere. Capit. XXIII.*

HAbere multipliciter dicitur. Vno modo, cum quid secundum suam naturam, aut suam inclinationem agat: quare dicitur quod febris hominem habet & tyranni ciuitates, & induti vestem. Alio modo, in quo quid tanquam susceptiuo exilii, vt æs habet statuæ formam, & corpus Tex. 28.

ægrit

ægritudinem. Alio modo, vt continens ea, quæ contenta sunt. in quo nanque contentũ quiddam est, haberi ab eo dicitur, vt vas habere humidum dicimus, & vrbem homines, & nauem nautas, sic & totum partes habet. Item quod prohibet aliquid secundum suam inclinationem moueri, autagere, habere dicitur hoc ipsum, vt & columnæ impositæ onera. & vt Poëtæ Atlantẽ faciunt cælum habere, tanquã nisi ipse teneret, cælum super terram, vt quidam Physiologorum tradunt. Hoc autem modo & continens dicitur. quæ continet habere, tanquam separaretur secundum suam inclinationem vnum quodque. In aliquo etiam esse similiter & consequenter, sicuti habere dicitur.

*De Ex aliquo. Cap. XXIII.*

Tex. 29. EX aliquo esse vno modo dicitur ex quo, vt ex materia est. & hoc dupliciter, aut secundum primum genus, aut secundum vltimã speciem. vt puta omnia liquabilia quodammodo quidem ex aqua sunt, quodam modo vero ex ære statua est. Vno modo dicitur ex primo mouente principio. vt ex quo pugna? ex conuicio. quia hoc pugnæ principium. Vno modo ex compositio ex materia, & forma sicuti ex toto partes, & versus ex Iliade, & lapides ex domo. finis nanque ex forma: perfectum vero, quod habet finem. Quædã vero tanquam ex parte forma, vt homo ex b pede, & syllaba ex elemento. aliter nanque hoc, atque statua ex ære. ex sensibili nanque materia cõposita substantia est formia quoque ex materia. Quædam itaque ita dicuntur. quædã, siquis horum modorum secũdũ aliquam partem sit. vt ex patre & matre proles, & ex terra plantæ, quia ex aliqua eorũ parte. Vno modo post quod tempore, vt ex die nox, & ex sereno tempestas, quoniam hoc post illud. Horum autem quædam, eò quòd habent mutuam transmutationem, ita dicuntur, sicuti & quæ nunc dicta sunt. quædam, eò quòd solum secundum tempus consequentur. vt ex æquinoctio facta est nauigatio, quoniam post æquinoctium facta est. & ex Bacchanalibus Thargelia, quia post Bacchanalia.



*Thargelia, ludi in honorem Apollinis.*

*De Parte. Cap. XXV.*

PArs dicitur vno quidem modo, in quod quoquo modo quantum diuidi potest. semper enim quod à quanto prout quantum, aufertur, pars illius dicitur, vt duo pars trium quodam modo dicitur. Alio modo, ex his ea dũtaxat, quæ metiuntur. quare duo quodam modo quidem sunt pars trium, quodam modo vero non. Item in quæ forma absque quanto diuidi potest, hæc quoque partes eius dicuntur. quare species generis aiunt partes esse. Item in quæ aliquid diuiditur, aut ex quibus totum componitur, aut ipsa forma, aut quod formã habet. vt sphæræ aheneæ, aut ahenei cubi & ipsum æs pars, hoc autẽ est materia, in qua forma, & angulus pars. Item quæ in ratione vnumquodque significante sunt, hæc quoque pars totius sunt. quare genus pars etiam speciei dicitur. aliter vero species generis pars est.

Tex. 30. *Vide auer. in Epito. tract. 2.*

*De Toto. Cap. XXVI.*

TOtum dicitur, cuius nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura dicitur. Et quod continet contenta, vt vnum quid illa sint. hoc autem dupliciter. aut enim vt vnumquodque vnum, aut ex his illud vnum. ipsum enim vniuersale, & quod omnino vt totũ quippiam ens dicitur, sic est vniuersale, vt multa continens. eò quòd de singulis prædicatur, vt vnum omnia sunt singula. vt homo, equus, Deus, quoniam omnia animalia. Cæte-

Tex. 31. *Vide auer. in Epito. tract. 2.*

rum continuum & finitum, cùm è pluribus inexistentibus vnum quid sit, maxime quidem potentia, non actu. horũ autem ipsorũ, magis quæ natura, quàm arte talia sunt: sicut & de vno dicimus, tanquam totalitas vnitas quædam sit. Item, cùm quantum habeat principium mediũ, & vltimum, quorum cũq; posit'o nõ facit differentiam, omne dicitur quorumcunq; vero facit totum. quæ autẽ ambo facere contingit, & omne, & totũ. Sunt autem hæc, quorum natura quidem eadem manet in transpositione, forma vero minime, vt cera, & vestis. etenim totum & omne dicuntur, ambo nanque habent. Aqua vero & quæcunque humida ac numerus, omne quidem dicuntur: totus vero numerus totaque aqua non dicuntur, nisi transfiatione. Omnia vero dicuntur, de quibus omne tanquàm de vno, de his omnia, vt de diuisis, omnis hic numerus, omnes hæ vnitates.

*D. Mutilo. Cap. XXVII.*

Tex.32. *Vide inter. in Epistra. primo sub nomine de imperfecto.*

MVtilum dicitur quantorũ non quodcunque, sed & diuisibile, & totum illud sit oportet. Duo etiam non sunt mutila, altero ablato vno. non enim æquale mutilamen & reliquum vnquã est. nec omnino numerus vllus. substantia nanq; manere oportet si calix mutilus, adhuc oportet esse calicem, numerus vero non amplius idem. Et ad hæc etiam, si partũ dissimilariũ sint, nec hæc omnia, numerus etenim est, vt etiam dissimilares habeat partes, vtputa binariũ & ternariũ. Cæterum nihil omnino eorũ, quorum positio differentiam non facit, mutilum est, vt aqua, vel ignis: sed oportet talia esse, quæ secundum substantiam positionem habent. Item continua, harmonia nanque & ex partibus dissimilaribus est, & positionem habet, mutila autem non sit. Et ad hæc nec illa



illa, quæ tota sunt cuiuscunq; particulæ priuatione, mutila sunt. nõ enim oportet, nec quæ principales ipsius substantiæ, nec vbicunque existentes. vt si perforetur calix, non mutilus, sed si ansa, aut extremum aliquod: homo quoque. non si carnem, aut splenem, sed si extremitatem: & hanc non omnem, sed quæ tota ablata non habeat generationem: quare calui, non mutili.

*De Genere. Cap. XXVIII.*

Tex.33. *Vide contra Zim.*

GEnus dicitur, hoc quidem, si generatio eorum quæ eandẽ speciẽ habent, continua sit, vtputa dicitur quousque genus hominum sit, quia donec eorũ generatio continua sit. Hoc vero, a quo sint primo adesse mouẽte. ita enim Græci genere, alii vero Iones dicuntur. eò quòd illi quidẽ à Græco, hi vero ab Ione primo generante sunt, & magis qui à generante, quàm qui à materia dicuntur, etenim à fœmina genere, vt à Pyrrha. Itẽ vt superficies figuram superficialium genus, & solidum solidarũ, quæq; enim figurarum, hæc quidem superficies talis, alla vero solidum tale. hoc autem est, quod subiectum differentiis est. Item, vt in rationibus, quod primum inest, quod dicitur in eo, quod quid est hoc genus, cuius differentiæ dicuntur qualitates. Genus itaq; toties dicitur, hoc quidem secundũ generationẽ cõtinuam eiusdẽ speciei, hoc vero secundũ primũ mouens eiusdẽ speciei, hoc autẽ vt materia cuius enim differentia, & qualitas est. hoc est subiectũ quod dicimus materiam. Diuersa autẽ genere, quorũ primũ subiectũ diuersum est, & nõ reflectuntur alterum in alterum nec ambo in idem, vtputa forma, & materia diuersa genere. Et quæcunq; secundũ diuersam figuram prædicationis entis dicuntur, quædã enim entium quid est significant, quædam autem quale

*Diuersa genere.*

quid, quædã vero vt est prius diuisum. nec enim hæc resoluuntur in inuicẽ, nec in vnum quiddam.

*De Falso. Cap. XXIX.*

Text. 34. FAlsum dicitur vno modo, vt res falsa. & huius, hoc quidem eò quòd non componitur, aut quòd impossibile sit cõponi. quemadmodum dicitur diametrum esse cõmensurabilem, aut te sedere. horum enim illud quidem semper, hoc vero aliquando falsum est. sic enim non entia hæc. Alio vero, quæcunque sunt quidem entia, apta tamen natura sunt apparere, aut nõ qualia sunt, aut quæ non sunt, vt vmbra picturæ, & insomnia. hæc enim sunt quidem aliquid, sed non sunt ea, quorũ faciunt imaginationẽ. res itaq; falsæ sic dicuntur, aut eò q̃ non sunt, aut eò q̃ imaginatio ab eis facta non entis est. Oratio vero falsa prout falsa est, quæ non entium est. vnde omnis oratio falsa alterius est, quàm eius, cuius est vera, vtputa quæ circuli, falsa trianguli. Cuiusq; vero oratio quodam modo quidem vna, quæ est ipsius quid erat esse, quodam modo vero multæ, quoniam idem quodam modo est ipsum, & ipsum passum. vt Socrates, & Socrates musicus. falsa vero oratio nullius est simpliciter oratio. Quare Antisthenes inscite putabat, nihil ducens dignũ dici, nisi propria ratione vnũ de re vna ex quibus accidebat non esse cõtradicere. fere autem, neque mentiri. est autem vnumquodque dicere, non solum sua ratione, sed etiam ea, quæ alterius est, & falsè quidem omnino, quodam autem modo etiam verè: quemadmodum octo dupla sunt, ratione dualitatis. Quædam igitur ita falsa dicuntur. Homo vero falsus, qui promptus tales eligit orationes, non propter aliquid aliud, sed propter ipsum, & qui aliis talium orationũ causa. quemadmodum res falsas esse dicimus.



cimus, quæ falsam imaginationem faciunt. Vnde oratio, quæ apud Hippiã est, sophistica est, q̃ idem sit mendax & verax. Eum nanque, qui potest mentiri, accipit vt mẽdacem. hic vero sapiens & prudens est itẽ eũ, qui sponte prauus est; meliore aũt. hoc autẽ falsum per inductionẽ accipit. qui enim spõte claudicat, melior est eo, qui inuitus, claudẽcare dicens, pro imitatiõne si claudus sponte, esset peior fortassis, quemadmodũ in moribus & hoc.

*De Accidente. Cap. XXX.*

ACcidens dicitur, quod ineſt alicui, & quod verum est dicere, non tamen neque ex necessario, nec vt plurimũ. vtputa si quis pro planta fodiens fossam, inuenit thesaurum hoc itaq; accidens fuit fodiendi fossam, thesaurum inuenire, nec enim necessario hoc ex hoc, aut post hoc, nec vt plurimum, si quis plantet, thesaurum inuenit. musicus quoq; fuerit quispiam albus: sed cùm nec necessario, nec vt plurimũ hoc fiat, accidens ipsum dicimus. Cùm igitur sit existens aliquid, & alicui, & horum quædam etiam alicubi, & quandoq; quidẽ vtcunque existit quidem, sed non propter id hoc, aut nunc, aut hic accidens erit. nec itaque vlla certa determinata accidentis est, sed quæcunque cõtingit. hæc autẽ indeterminata, vt abire in Aeginam accidit, si non propter hoc euenit, vt illuc iret, sed à tẽpestate pulsus, aut à latronibus captus. factum fuit igitur. & est ipsum accidens, sed secundum se, sed non secundum alterum. tẽpestas enim causa, vt iret, quò non nauigabat. hoc autem erat Aegina. Dicitur etiam aliter accidens: vt quæcunque existunt in vnoquoque secundum se, non existentia in substantia, vt triangulo duos rectos habere, & hæc quidem contingit sempiterna esse, illorum vero nihil. ratio autem huius in aliis.

Text. 35. *Vide annot. in Epit. tract.*

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER SEXTVS.

## SVMMAE LIBRI.

*In prima declaratur, de quo ente prima Philosophia cōsideret. ex distinctione cōsiderationis, & modo definiendi aliarū scientiarū, quarum hic fit diuisio.*
*In secunda declarantur quædam entis species, quæ ab hac scientia excludantur.*

## SVMMA PRIMA.

Tex. 1. PRincipia, & causæ entium quærūntur, & patet, quòd prout entia sunt. Est etenim aliqua sanitatis, bonæqui habitudinis causa. mathematicorum quoque principia elementa & causæ sunt, & simpliciter omnis intellectualis scientia, siue aliquo modo intellectu participans circa causas, & principia aut certiora, aut simpliciora est. Attamen hæ omnes circa vnum quid, & quoddam genus circunscribentes, de eo tractant, sed non de ente simpliciter, nec prout ens est, neque ipsius quid est vllam rationem faciunt: sed ex hoc quædam sensui illud manifestum facientes, quædam suppositione ipsum quid est accipientes, cōsequenter ea, quæ per se generi insunt, circa quod



quod sunt, aut magis necessario, aut debilius demonstrant. Quare manifestum est non esse demonstrationem substantiæ, ipsiúsve quid est ex ipsa inductione, sed alium aliquem manifestationis modum. Similiter autem nec si est, aut non est genus circa quod tractant, quicquam dicunt, eò quòd eiusdem mentis est & ipsum quid est manifestare, & si est hoc. Cùm autem Naturalis etiam circa quoddam entis genus scientia sit (etenim circa talem substantiam est, in qua principium est motus, & status qui in ea est) patet quòd nec actiua, nec factiua est. Factiuarum etenim in faciente principium est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia. actiuarum vero in agente electio. idem enim agibile & eligibile. Quare, si omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est. Naturalis speculatiua quædam profectò est. sed speculatiua circa tale ens, quod possibile mouere, & circa substantiam secundum rationem vt plurimum inseparabilem solum est.

Tex. 2. ¶ Oportet autem vt non lateat, quomodo ipsum quid erat esse, & ratio sit, nam absque hoc quærere, nihil est facere. Eorum igitur quæ definiuntur, & ipsorum quid est, quædam quidem ita sunt, vt ipsum simum, quædam, vt ipsum concauum. differunt autē hæc, quoniā simum quidem vnà acceptū est cum materia: est enim simum concauus nasus, concauitas vero absque materia sensibili. Si cuncta igitur naturalia ita, vt simum dicuntur, vt nasus, oculus, facies, caro, os, omnino animal: folium, radix, cortex, omnino planta (nullius enim eorum ratio absque motu, sed semper habet materiam) manifestum est quomodo in naturalibus oportet ipsum quid est quærere, & definire, & cur etiā de quadam anima speculari. Naturalis est, quæcunq;

*Eorum quæ definiuntur & ipsorum quod est, quæda sunt vt simum, quædam, vt concauum. Idem 2. ph. 19. & 3. de anima. 35. & 7. Meta 34. Vide duas cōtra. Zim.*

non sine materia. Quòd igitur naturalis speculatiua est, ex his patet. Sed & Mathematica speculatiua est. verum si immobiliũ & separabilium, adhuc non est manifestum. quòd autem aliqua mathematica, prout immobilia, & prout separabilia sunt speculatur, dilucidum est. Quod si quippiam est immobile, & perpetuum, & separabile, patet quòd speculatiuæ est cognoscere, & non Naturalis: de mobilibus nãque quibusdam Naturalis est, nec Mathematicæ, sed prioris ambabus. etenim circa inseparabilia quidem, sed non immobilia. ipsius vero Mathematicæ nonnullæ sunt circa immobilia quidem, non tamen separabilia fortasse, sed vt materia. Prima vero etiam circa separabilia & immobilia. Necesse autem est omnes quidem causas perpetuas esse, maxime vero has. hæ etenim causæ manifestius diuinorum sunt. Quare tres vtique erunt speculatiuæ Philosophiæ, Mathematica, Naturalis, Theologia. Manifestum est enim quòd, sicubi diuinum existit, in tali natura existit & honorabilissimam oportet circa honorabilissimum genus esse. speculatiuæ itaque aliis scientiis præponendæ sunt, hæc vero speculatiuis.

*Idem.3. Met.1.tõ.3. & 7.Met. c.35.& 2. Ph.18.et1. de anima 17.& 2. Ph.71.*

*Scientiarũ speculatiuarum diuisio.*

*Honorabilissimã scientiam oportet circa Honorabilissimum genus esse. Idem.1.de anima 1. primo.*

¶Dub tauerit etenim aliquis vtrum prima Philosophia vniuersalis sit, an circa aliquod genus, & vnam naturam. Non enim idem modus est atq; in Mathematicis, sed Geometria quidem, & Astrologia circa quandã naturã sunt, illa vero vniuersaliter omnibus communis est. Si igitur non est aliqua alia substantia præter eas, quæ natura consistunt. Naturalis profecto prima scientia est. Quòd si est aliqua substãtia immobilis, hæc prior, & Philosophia prima, & vniuersalis sic quòd prima. Et dignũ est quærere vtrũ prima Philosophia sit vniuersalis, aut alicuius generis, aut vnius naturæ.

Tex 3. *Nisi est & aliqua substantia præter naturales. Naturalis scientia esset prima.*



curæ. Non enim est vna species, neque in scientiis Mathematicis etiam, sed Geometria, & Astrologia sunt alicuius naturæ, & scientia vniuersalis est communis omnibus. Si igitur non fuerit substantia aliqua alia à substantiis existentibus natura, tunc prima scientia est Naturalis. Et si aliqua substantia immobilis fuerit, illa erit primum, & scientia eius erit prima Philosophia, vniuersalis etiam.

¶Et de ente prout ens est, ac quid est, & quæ ei insunt, prout ens est, speculari huius est.

## SVMMA SECVNDA.

Declarantur quædam entis species, quæ ab hac scientia secluduntur.

*Dari ens per accidens, quidque illud sit. Cap. 1.*

Tex 4. Ed cùm ens illud, quod simpliciter dicitur, multipliciter dicatur, quorũ vnum quidem erat, quod secundum accidens, aliud vero quod vt verum, & non ens vt falsum: præter hæc autem sunt prædicationis figuræ, vt quid, quale, quantum, vbi, quando, & si quid aliud hoc modo significat: item præter hæc omnia, quod potentia, & actu: cùm itaque ens multipliciter dicatur, primo de eo, quod secundum accidens est, dicendum, quòd nulla circa illud speculatio est. Signũ autem, quòd nulli scientiæ curæ est, illud, neque actiuæ, neque factiuæ, neque speculatiuæ. Nec enim qui facit domum, facit simúl quæ accidunt domui factæ. infinita namque sunt. quibusdam enim delectabilem, quibusdam noxiam, quibusdam vtilem nihil prohibet factam esse, &, vt ita dicam, ob eas res omnes esse aliam. quarum nullius facti ea est ædificatiua simili modo. Nec Geometra ea,

quæ ita figuris accidunt, speculatur, nec si diuersus triangulus duos rectos habens & hoc rationabiliter contingit. nam quasi nomine solum ipsum accidens est. Quare Plato non male quodammodo circa Sophisticam ipsum non ens applicuit. Sophistarum etenim rationes circa accidens, vt ita dicam, maxime omnium sunt. vtrum diuersum an idem musicum & grammaticum, & musicus Coriscus ac Coriscus, & si omne quod est non autem semper factū est. quare si musicus existens grammaticus factus est, & grammaticus existens musicus, & quæcunque aliæ orationum tales sunt. Videtur etenim accidens propinquum quiddam esse non enti. hoc autem ex his etiam orationibus manifestum est. eorum etenim, quæ alio modo se habent, est generatio & corruptio. eorum autem, quæ secundum accidens, non est. ¶ Attamen dicendum est amplius de accidente. quo ad possibile est, quænam eius natura sit, & ob quam causam est. simul autem patebit, & cur eius scientia non est. Cùm igitur in entibus sint quædam semper similiter se habentia, & ex necessitate, non ea, quæ secundum vim dicitur, sed quam dicimus, eò quòd non cõtingit aliter, quædam ex necessitate quidem non sunt. nec semper, sed vt plurimum, hoc principium & huius causa est, vt accidens sit. Quodcunque enim non semper, neque vt plurimum est, hoc dicimus accidens esse. vtputa, si sub cane tempestas & frigus factum fuerit, hoc dicimus accidisse, non si æstus aut calor. quoniam hoc quidem semper, aut vt plurimum, illud vero non hominem quoque album esse accidit: nec enim semper, nec vtplurimum. animal vero non secundum accidens. & Fabrum sanitatem fecisse, accidens est. quoniam non est aptus ad sanitatem faciendam Faber, sed medicus, verum accidit Fabrum esse Medicum. Cocus etiam voluptati intētus facit quicquam salubre, sed non secundū pulmentariam. vnde dicimus quòd accidit, & quodammodo quidem facit, simpliciter vero minime. Illorum etenim aliæ quandoque factiuæ potentiæ sunt, horum vero nulla ars, nullāque potentia determinata est. eorum enim, quæ secundum accidens aut sunt, aut fiunt, causa quoque secundum accidens est. Quare cùm non omnia ex necessitate, & semper, aut sint, aut fiant, sed multa vtplurimum, necesse est esse, quod secundum accidens est. vtputa nec semper, nec vtplurimū albus musicus est. cùm autem aliquando fiat, secundum accidens erit. quòd si non, cūcta ex necessitate erūt. Quare materia erit causa contingens eius, quòd aliter accidit, quàm illud, quod vtplurimum est. Principium autem hoc sumendum est, vtrum nihil est, quod nec semper, nec vtplurimum an hoc impossibile. Præter hæc igitur aliquid est, quod vtcunque contingit, & secundum accidens. Sed vtrum, quod vtplurimum, quódve semper nulli ineſt, an aliqua sunt sempiterna, de his sanè posterius considerandum est. ¶ Quòd autem nō est accidentis scientia, patet. Omnis enim scientia eius est, quod aut semper, aut vt plurimū est. quomodo enim discet, aut alium docebit? oportet enim vt determinētur, aut per semper, aut per vtplurimum, vtputa febricitāti proficuum melicratum est vt plurimum. Quod vero præter hoc est, non habebit dicere quando non, vt in nouilunio. nam etiam in nouilunio aut semper, aut vtplurimum, accidens vero præter hæc est. ¶ Quid itaque accidens est, & ob quam causam, & quod non est eius scientia, dictum est. Quòd autem sint

Tex. 5.

Tex. 6.

Tex. 7.

principia & causæ generabiles, & corruptibiles, absque eo quòd generẽtur, & corrumpantur, manifestũ est. Etenim si non hoc, ex necessitate omnia erunt. si eius, quòd generatur & corrumpitur non secundum accidens causam aliquam necesse sit esse. Vtrum enim erit hoc, an non? Si hoc, fiet: sin vero non, minime. hoc verò, si aliud, & hoc modo videlicet (tempore semper dempto à tempore finito) deueniens vsque ad nunc. quare hic morietur ægritudine, aut vi, si exierit, hoc autem, si aliud. & sic deueniet ad id, quod nunc est, aut aliquid eorum, quæ facta sunt. vtputa, si sicuerit: hoc vero, si comederit acria. hoc vero aut est, aut non. quare necessario morietur, aut non morietur. Similiter & si quis ad iam facta ascenderit, eadem ratio est. iam enim hoc in aliquo est. dico autem quod factum est. ex necessitate ergo erunt omnia futura, vt mori viuentem. iam enim aliquid factum est, vtputa contraria in eodem corpore. sed si ægritudine aut vi, non dum, sed si hoc factum fuerit. Patet igitur quòd vsque ad aliquod vadit principium: hoc vero nõ amplius ad aliud. erit igitur hoc eius, quod vtcunque contingit, causaque generationis eius nulla. Sed in quale principium, & qualem causam talis rẽductio est. Vtrũ vt ad materiam, an vt ad cuius gratia, an vt ad mouens, maxime considerandum est. De eo itaque, quod secundum accidens est, dimittatur. determinatum enim sufficienter est.

*De ente vero, & falso: amittendumque esse ens per accidens, verúmque ac falsum: ac de ente vt ens ipsi considerandas esse causas, ac principia.*

Cap. II.

Tex. 8. QVod autem tanquam verum ens, & non ens vt falsum, quoniam circa compositionem, & diuisionem est, & omnino circa partitionem contradictionis. verum etenim affirmationem in compositis habet, negationem vero in diuisis, falsum vero huius partitionis cõtradictionem. Quo autem modo quod simul, aut quod separatum est intelligere accidit, alia ratio est. dico autem quòd simul, & quòd separatim, vt non consequenter. sed vnum quid fiat. Non enim est falsum, & verũ in rebus (vt quod bonum verum, quod vero malũ falsum) sed in mente. quæ vero circa simplicia & circa ea, quæ quid sunt. non quidem sunt in mente. Quæcunque igitur speculari oportet circa id, quod ita ens & non ens est, posterius perscrutandum est. Cùm autem compositio, & diuisio in mente, non in rebus sit: quod autem ita est, diuersum à proprie dictis, ens est: aut enim quod quid est, aut quod quale, aut quod quantum, aut si quid aliud copulat, aut diuidit mens: quod quidem tam quam accidens, & vt verum ens, omittendum est. causa enim illius quidem determinata, huius vero, mentis aliqua passio. & ambo circa reliquum entis genus, & non extra ostendunt esse aliquam entis naturam. Propter quod hæc quidem prætermittantur, considerandæ autem sunt ipsius entis causæ, & principia, prout ens est. Manifestum autem est in his, quæ determinauimus de eo, quod quoties vnumquodque dicitur, quòd ens multipliciter dicitur.

***

*Aristotelis libri Sexti Finis.*

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER SEPTIMVS.

## SVMMAE LIBRI.

*In Prima proponit de Substantia agendum esse, cùm sit primum entium.*

*In Secunda agit de ipsa substantia.*

## SVMMAE PRIMAE.

*Substantiam multis modis entium omnium primum esse.* Cap. I.

Tex.1. * *a.l.eo quòd multipliciter.* * *hoc aliquid. Vide auer. in Epit. tract.2.*

ENs multipliciter dicitur, quemadmodũ in his, quæ de * quotiesprius dictum est. significat enim aliud quidem quid est, & * quod quid, aliud vero quod quale, aut quantum, aut singula aliorum, quæ ita prædicantur. Ens dicitur multis modis, vt prius diximus in sermone, in quo diximus quot modis dicitur aliquid quoddam enim significat quid est aliquid, & quod est hoc, & quoddam significat quod est quale, aut quantum, aut aliud eorum, quæ prædicantur in sermone secundum hunc modum. ¶ Cùm autem ens totiesdicatur. patet primum horum ens esse ipsum quid est, quódque substantiam significat. cum enim dicimus quale quippiam hoc, aut bonum dicimus, aut malum, sed non tricubitum, aut hominẽ. cùm autem

Tex.2.



autem quid est, non album, nec calidum, nec tricubitum, sed hominem aut deum. Cætera vero entia dicuntur, eò quod * vere entis quædam sunt quantitates, quædam qualitates, quædam passiones, quædam aliquid aliud tale. ¶ Vnde dubitauerit aliquis, vtrum ipsum ambulare, & sanum esse, ac sedere, & vnumquodque horum ens an non ens est. similiter & de quocunque cæterorum similium. nihil enim aliorum est per se natura aptum, neque possibile a substantia separari sed magis siquidem ambulans entium aliquid & sedens, & sanum. hæc autem magis entia apparent, quoniam subiectum eis determinatum est. hoc autem substantia, & singulare est, quod in tali prædicatione apparet. bonum enim, aut sedens absque hoc non dicitur. patet igitur quòd propter hanc illorum quoque singula sunt. ¶ Quare quod primo est ens & non aliquod ens, sed simpliciter ens, substantia. Multis igitur modis primum dicitur, attamen substantia & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est. aliorum enim quæ prædicantur, nullum est separabile, sed hæc sola. Ratione quoque hoc primum. necesse est enim in cuiuslibet ratione inesse rationem substantiæ. Scire etiam tunc putamus vnumquodque magis, cùm quid est homo, aut ignis sciamus, quam quale, aut quantum, aut vbi. nam & horum ipsorum tunc vnumquodque scimus, cùm quid est ipsum quale aut ipsum quantum sciamus. ¶ Quod quoque tam olim, quam nunc, & semper quæritur, sempérq; dubitatur quidnam ipsum ens sit, hoc est quænam substantia est. hoc enim quidam vnum aiunt esse, quidam plura quàm vnum: & quidam finita quidam vero infinita. Quare nobis quoque maxime, & primũ, & solũ, vt ita dicã,

*Vide supra 4. huius c. 2. & infra t. 14. & 12. i. c. 3. & 12. * a. l. aliter entis.*

Tex.3.

Tex 4.

Tex.5.

de ente hoc pacto quidnam sit speculandum est.

*Quæ manifestissime videntur esse substantiæ: & an ea sola substantia sint, vel alia etiam, multorum opiniones.*

*Cap. II.*

*Vide auer. in Epito. tract. 2.*

VIdetur autem substantia existere manifestissime quidem in corporibus: quare animalia, & plantas, & eorum partes substantias esse dicimus, ac naturalia corpora, vt ignem, aquam, & terram, cæterorum quoque singula: & quæcunque aut horum partes, aut ex his sunt, aut partibus, aut omnibus, vt cœlum, & eius partes, sidera, Luna & Sol. Vtrum autem hæ solæ substantiæ sint, an etiam aliæ, an harum quidem nulla, sed aliquæ aliæ, considerandum est. Videtur autem quibusdam corporis terminos, vt superficiem, lineam, punctum, & vnitatem substantias esse, & magis quàm corpus, & solidum. Item præter sensibilia quidam non putant aliquid esse tale. quidam plura, & quæ magis sempiterna sunt, sicuti Plato, & ipsas formas, & mathematica duas substantias, tertiam vero sensibilium corporum substantiam. Speusippus vero etiam plures substantias ab vno incipiens, & principia cuiusque substantiæ, aliud numerorum, aliud magnitudinum, deinde animæ, & hoc modo extendit substantias. Quidam autem formas quidē, & numeros eandem habere naturam aiunt, cætera vero sequentia, lineas, & superficies, vsque ad

Tex. 6. cœli substantiam, & sensibilia. ¶ De his igitur quid bene, quidve non bene dicatur, & quæ substantiæ sint: & vtrum aliquæ præter sensibiles sint, necne: & hæ quomodo sint: & vtrum est aliqua separata substantia, & cur, & quomodo, an nulla præter sensibiles, perscrutandum est, descripta primo substantia, quidnam sit.

Summa



## SVMMA SECVNDA
### De ipsa Substantia.

*Substantia quot modis dicatur: & quæ propriè substantia sit.*

*Cap. I.*

DIcitur autem substantia, si non plu- Tex. 7.
ribus, saltem quatuor modis maxime. etenim quod quid erat esse, & vniuersale, & genus substātia cuiusque esse videtur. & quartum, subiectum. subeōrū autem est, de quo cætera dicuntur: illud vero non amplius de alio. Quare primo de eo determinandum est. maxime nanque substantia subiectum primum esse videtur. Tale vero quodammodo quidem materia dicitur, quodammodo vero forma. tertium vero quod ex his est. Dico autem materiam quidem, vt æs: formā autem figuram ideæ: quod vero ex his est, totam statuam. vnde si forma prior materia est, & magis ens, illud quoque, quod ex ambobus est, prius erit ob eandem rationem. Nunc itaque quidnam substantia sit, quasi figura dictum est, quod non de subiecto, sed de quo cætera. ¶ Oportet autē non ita solum, Tex. 8.
non enim sufficiens est. & hoc nanque ipsum non est manifestū. Et item materia substantia est. nam si hæc non est substantia, quæ alia est fugit nos. Demptis etenim cæteris, nihil aliud remanere videtur. cætera nāque passiones corporū & effectiones, & potentiæ sunt. longitudo vero latitudo, & profunditas quantitates quædā. sed nō substantiæ sunt. quātitas etenim nō est substantia, sed magis cui hæc ipsa primo insunt, illud est substantia. *Vide commentum.* enimuero ablatā longitudine, latitudine, & profunditate, nihil videmus reliquū, nisi si quid est, quod ab eis determinetur, vt ita considerantibus, materiam solā necesse sit apparere. *Zim. tradict.*

Dico autē materiam, quæ per seipsam, neque quid neque quantū, nec aliquid aliud quippiā dicitur quibus ens determinatur. est enim quid, de quo singula horum prædicantur: cui esse, ac cuique prædicationum diuersum est. cætera namque de substantia prædicantur. hæc vero de materia. Quare quod vltimum est per se, neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud est, neque etiam negationes. etenim hæ quoque secundum accidens erunt. Ex his itaq. speculantibus, accidit substantiam esse materiam. At impossibile est etenim separabile, & quod quid videntur maxime inesse substātiæ, propter quod forma, & quod ex ambobus substantia videtur esse magis, quàm materia.

Tex 9. ¶ At illa substantia, quæ ex ambobus, dico autem quæ ex materia & forma est, omittenda est posterior enim, & manifesta est. manifesta vero quodammodo etiam ipsa materia. At de tertia considerandum est. hæc enim maxime dubitalis. Conceditur autem quasdam esse substantias sensibilium: quare in his primum quærendum est.

*De ipso quid ist agendum esse: Et quid ipsum sit.*

*Cap. I I.*

Tex 10. *Vide auer. in Epito. tract. 2.* CVm autem in principio diuiserimus quot modis substantiam determinamus, ac horum vnum quiddam esse videatur, quod quid erat esse, de eo considerandum est. prodest etenim transcendere ad notius. Ita namque disciplina fit omnibus, per minus nota naturæ ad magis nota. & hoc opus est, vt in actionibus ex eis, quæ cuique sunt bona facere, quæ simpliciter bona sunt, sint cuiq; bona. ita ex sibi notioribus, quæ naturæ nota sunt sibi facere nota. Quæ autem singulis nota & prima, sæpenumero parū nota sunt, & parum aut nihil entis participant, attamē ex eis, quæ pa-



rum nota, sibi tamen nota sunt, conandum est cognoscere, quæ simpliciter nota sunt, per hæc ipsa, vt dictū est, trāscendentibus. ¶ At primo quædam de eo logice dicamus, quòd illud est, quod quid erat esse vnumquodque, quod secundū se dicitur. Etenim tibi esse non est musico esse: non enim secundum teipsum musicus es. quod ergo secundū teipsum. Nec tamen hoc totum. nec enim illud, quod ita secundum se est, vt superficies alba: quoniam superficiei esse nō est albo esse. Quare? quoniam hæc ineſt. In qua ergo ratione ipsum dicente non inerit ipsum hæc ratio ipsius quid erat esse cuique. quare, si superficiei albæ esse est superficiei leui esse, albo & leui esse vnum & idem est. Tex. 11.

*Quomodo substantiarum, accidentium, ac copulatorum sit ipsum quid ist, & finitio.*

*Cap. I I I.*

CVm autem secundum cætera quoque prædicamenta composita sint (est enim aliquod subiectum cuique, vt qualitati, & quantitati, & quando, & vbi, & motui) perseruandum est vtrum est ratio ipsius quid erat esse cuique horum: & vtrum ineſt etiam his ipsum quid erat vt homini albo quid erat albo homini: sit autem nomen eius vestis: quid est vesti esse. At vero, nec hoc eorum est, quæ secundum se dicuntur. An hoc, non secūdum se, dupliciter dicitur. & huius est. est hoc quidē ex additione, illud vero non. Hoc enim dicitur, eò quòd ipsum, quod definitur, alteri adiicitur, vt pota si albo esse definiens dicit albi hominis rationem. Illud vero, eò quòd aliud ipsi, vt si vestis album hominē significat, ille vero definiat vestem vt album, quod autē est albus homo est albū quidem non tamē quid erat esse albo homini, sed vesti esse. Vtrum est quod quid erat esse alicui, aut Tex. 12.

simpliciter? An non ipsum enim quod quid erat esse est ipsum quid erat esse? cùm vero aliud de alio dicatur, non est ipsum quod quid. vt homo albus non est quod quid: si ipsum quidem quod quid substãtiis solis inest. ¶ Quare quod quid erat

Tex.13. esse illorũ est, quorumcunq; ratio est definitio. Definitio autem est, nõ si nomen idem, quod oratio significet (omnes etenim sermones definitiones essent. erit nanq; nomen idem cuicũque sermoni. quare & Ilias definitio erit) sed si primi alicuius sit. talia vero sunt, quæcunque dicuntur, nõ eò q; aliud de alio dicatur. Non ergo vlli eorũ quæ nõ

Tex.14. sunt species generis, inerit, quod quid erat esse, sed his solum. hæc enim videntur non secundum participationem, & passionẽ, nec vt accidẽs dici. ¶ Sed oratio quidẽ cuiusq; etiam aliorũ erit quid significat, si nomen sit, q; hoc huic inest: aut pro simplici oratione certior: definitio vero non erit, neq; quod quid erat esse. An definitio quoq; vt & ipsum quod est multipliciter dicitur. Etenim ipsum quid est vno quidem modo substantiam, & quod quid significat, alio vero singula eorum, quæ prædicantur, quantitatem, qualitatem, & quæcunque cætera talia sunt. Quemadmodum enim & ipsum est, ineſt quidem omnibus non tamen simpliciter, sed huic quidem primo, illis verò consequenter, ita & quod quid est simpliciter substantiæ. cæteris vero quodammodo etenim interrogare possumus quid est ipsum quale. quare & ipsum quale est eorum, quorum est quid est, non tamen simpliciter: sed sicut de non ente logice quidam aiunt esse ipsum non ens, non simpliciter, sed non ens, ita & ipsum quale. ¶ Oportet igitur considerare &

Tex.15. quomodo de quocunque dicere decet, non tamẽ magis, quàm quomodo se habet. Quare nunc quoque cum manifestum, quod dicitur sit, ipsum etiã quod quid erat esse similiter inerit. primo quidẽ & simpliciter substantiæ, deinde cæteris, sicut & ipsum quid est non simpliciter quid erat esse, sed qualitati aut quantitati quid erat esse. Oportet etenim aut æquiuoce ista esse, aut cũ additione vel ablatione. sicut & quod non scibile, scibile. nam rectius est neque æquiuoce dicere, neque eodem modo. sed quemadmodum medicinale, eò quòd ad idem quidem & vnum, non autem idem & vnum, non tamen etiam æquiuoce. nullum etenim medicinale corpus, opus, & vas dicitur æquiuoce, neque secundum vnum, sed ad vnũ. sed hæc quidem quomodocunque dicere quis velit nihil differt. ¶ Illud autem manifestum est quòd quæ primo & simpliciter definitio, & quod quid erat esse substantiarum est, at cæterorum quoque similiter est, nõ tamen primo. Non enim est necesse, si hoc ponamus, huius definitionem esse quodcunque oratione idem significat, sed quod aliqua oratione. hoc autem si vnius sit, non continuatione, sicuti Ilias, aut quæcunque cõiunctione, sed si quoties dicitur vnum. Vnum autem dicitur, sicuti & ens. ens autem, quoddam quod quid, quoddam quantum, quoddam quale quid significat. Quare & alibi hominis erit oratio & definitio, alio vero modo & albi, & substantiæ.

Tex.16. *Quo pacto substantiarum, ac aliorum sit definitio.*

*Dubitationes quædam circa copulatorum definitiones, & eorum, quæ ex additione dicuntur: substantiarumque primo & simpliciter, aliorum vero quodammodo esse definitionem. Cap. IIII.*

HAbet autem dubitationem, si quis non dicat definitionem esse eam, quæ ex additione fit, rationem, cuius erit definitio non simplicium, sed copulatorum. Ex additione enim necesse est

Tex.17.

manifestare. Dico autem vtputa est nasus, & concauitas, & simitas, quod ex ambobus dicitur: eò quòd hoc in hoc, & non secundum accidens, neque concauitas, neque simitas passio nasi, sed secundum se: nec vt album Calliæ, aut homini, quoniam Callias albus, cui accidit homini esse: sed vt masculum animali, & æquale quanto, & cuncta quæ per se esse dicuntur. Hæc autem sunt, in quibus ineſt, aut ratio, aut nomen eius cuius hæc passio est: & non contingit separatim ostendere, sicuti album absque homine contingit, sed non fœmininum absque animali. Quare istorum quod quid erat esse, & definitio, aut nullius est, aut si est, aliter est quam quemadmodum diximus. ¶ Est Tex.18. autem alia quoque de eis dubitatio. Si enim iàm simus nasus, & concauus nasus, idem erit simum, & concauum. Quòd si non, propterea quòd impossibile est dicere simum absque ipsa re, cuius per se passio est, & simum erit cõcauitas in naso, nasum simum aut non est dicere, aut bis idem erit dictum nasus, nasus concauus nasus namque simus, nasus concauus erit. propter quo inconueniens est talibus ineſſe quod quid erat esse. quod si non, in infinitum progredietur. naso nãque naso simo aliud inerit. Patet igitur quòd solius substantiæ definitio est. ¶ Si enim & cæterorum quoque prædica- Tex.19. mentorum necesse ex additione esse, vt qualitatis, & imparis, non enim sine numero nec huius, quod est fœmininum, sine animali. Ex additione autem dico, in quibus accidit bis idem dicere, sicut in talibus. Quòd si hoc verum est, neque copulatorum erit, vtpote numeri imparis: sed latet quòd nunc non accurate dicuntur rationes. Si autem & istorum sunt definitiones, aut alio modo sunt, aut sicuti dictum est, multipliciter est dicendum definitionem



tionem, & quod quid erat esse. quare quodammodo quidem nullius erit definitio, nullique inerit quidquid erat esse, nisi substantiis, quodammodo vero erit. Quòd igitur definitio est ipsius quid erat esse oratio, & quod quid erat esse, aut substantiarum solum est, aut maxime primo & simpliciter manifestum est.

*Quo pacto ipsum quidquid est, & vnumquodque in primis, & his, quæ per se dicuntur, idem sit: in aliis vero, quæ per accidens quodammodo. Sophisticarum item rerum argutionum solutio. Cap. V.*

VTrum autem idem est, an aliud ipsum quid erat esse, & vnumquodque perscrutandum pro- Tex.20.
derit etenim aliquid ad considerationem de substantia. Nam & vnumquodque nõ videtur aliud esse à sua substantia: & ipsum quid erat esse dicitur esse vniuscuiusque substantia. De his igitur, quæ secundum accidens dicuntur, videri possit aliud esse. vtputa albus homo aliud est, & albo homini esse, si enim ipsi homini esse, & albo homini idem: idem namque homo, & albus homo, vt aiunt: quare & albo homini, & homini. An non necesse est quæcunque secundum accidens eadem esse? non enim extrema similiter eadem fiunt. sed fortasis illud videatur accidere, extrema eadem secundum accidens fieri. vtputa albo esse, & musico esse, videtur autem minime. In his autem, quæ per se dicuntur, semper necesse est eadem esse vt si quæ substantiæ sunt quibus diuersæ substantiæ non sunt, nec aliæ naturæ priores, quales aiunt aliqui esse ideas. Si enim erit aliud ipsum bonũ & bono esse, & animal & animali esse, & enti & ipsum ens erunt & aliæ substantiæ, & naturæ, ac ideæ præter eas, quæ dicuntur: & illæ priores substantiæ, si ipsum quid erat

esse substãtiæ est. Et sit absolutæ ad se inuicẽ, harũ quidẽ non erit scientia, illæ vero nõ erunt entia. Dico autẽ absolui, si nec ipsi bono est esse bono, nec huic esse bonũ. Scientia nanq; cuiusq; hæc est, quod quid erat illi esse. & de bono, & de cæteris similiter se habet. Vnde, si neq; ipsi bono esse bonũ, nec ipsi enti ens, nec ipsi vni vnũ, similiter autẽ omnia sunt. certe nihil est quod quid erat esse. quare si nec ipsi enti ens, nec aliorũ alicui. Item, cui non inest bono esse, non bonũ est. necesse est igitur vnũ esse bonũ & bono esse, & honestum & honesto esse, quæcũque non per aliud dicũtur, sed prima & per se. etenim hoc sufficiens est, si existit etiã si nõ sint formæ. fortassis autẽ magis si formæ sint. ¶ Simul autẽ patet etiã quòd, si ideæ sint quales eas quidã aiũt, q etiã non erit subiectum substantia. has enim substantias quidem necesse est non de subiecto quidẽ esse. essent enim secundum participationẽ. Ex his itaq; rationibus vnũ & idẽ nõ secundũ accidens ipsum vnũquodque, & quod quid erat esse: & q scire vnũquodq; hoc est ipsum quid erat esse scire. quare secundũ expositionem necesse est vnũ quiddã ambo esse. Quod autẽ secundũ accidens dicitur, vt musicũ, aut albũ, propterea quòd duplex significat, nõ est verũ dicere quod idẽ sit quod quid erat esse, & ipsum: etenim cui accidit albũ, & accidens. quare quodammodo quidẽ est, quodammodo vero non est idem quod quid erat esse & ipsum. homini nãque, & albo homini nõ est idẽ, paulisper one vero idẽ. Absurdũ autem apparet, & si quis vnicuiq; ipsorũ q̃d erat esse nomẽ imponat. erit nãq. etiã præter illud, aliud, q̃d quid erat esse equo. At vero quid prohibet nunc quoq. è vestigio esse quædã quid erat esse, si substãtia quidẽ est quod quid erat esse? enim vero nõ solum

Tex.21.



solũ vnum, sed ratio etiã eorũ eadem, vt ex dictis patet: nõ enim secundũ accidẽs vnum vni esse, & ipsum vnũ. Itẽ, si aliud erit, in infinitũ procedet. etenim hoc quidẽ erit quid erat esse vni esse, illud vero vnum. quare de illis quoq. eadem ratio erit. Quòd igitur de primis, & quæ per se dicũtur, vnicuiq. esse, & vnũquodque idẽ, & vnũ est patet. Sophisticæ autẽ ad hãc positionẽ redargutiones manifestũ est q eadẽ solutione soluũtur, & si idẽ Socrates, & Socrati esse. nihil enim differt, nec ex quibus aliquis interrogauerit, nec ex quibus soluens obtinuerit. Quo igitur modo idem cuiq. est quod quid erat esse, & quomodo nõ idẽ, dictũ est.

*Entium alia natura, alia arte, alia casu: omnia vero ab aliquo, ex aliquo, & aliquid fiunt. Cap. VI.*

Tex.22.

EOrũ autẽ, quæ fiunt, quædã natura, quædam arte, quædã à casu fiunt. Omnia vero, quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo ac aliquid fiunt. Aliquid vero dico, secundum quodque prædicamentum. aut enim hoc, aut quantum, aut quale, aut vbi. Generationes vero, naturales quidẽ hæ eorum sunt, quorũ generatio ex natura est, ex quo autẽ fit, ea est, quam materiã dicimus. à quo vero, quippiam eorum est, quæ natura sunt. ipsum autem aliquid, homo, aut plãta, aut quicquã aliud similium, quæ maxime dicimus substãtias esse. Cuncta vero quæ aut natura, aut arte fiunt habent materiã. possibile enim est esse, & non esse eorũ vnũquodque. hoc autẽ cuique materia. Vniuersaliter vero & id ex quo natura, & illud, per quod natura. quod enim fit habet naturã, vt plãta, aut animal. Et à quo natura quæ secũdũ formã dicitur, quæ eiusdẽ speciei est. hæc autẽ in alio est. homo nãq. hominẽ generat. sic igitur fiũt, quæ ob naturã fiũt. Cæteræ vero generationes dicũtur effectiones. Omnes autẽ effe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Tex. 23.

ctiones, aut ab arte, aut à potestate, aut ab intellectu. ¶ Harũ autẽ quædam etiã à casu fiunt, & à fortuna, perinde atque in his, quæ à natura fiũt. quædam enim & illic, eadẽ & ex semine: & absq. semine fiunt. de his itaq. postea cõsiderandũ est. Ab arte autẽ fiunt, quorũ forma in anima. formã autẽ dico ipsum quid erat esse vniuscuiusque, & primã substantiã. Etenim cõtrariorum quodãmodo eadem forma est. priuationis nanque substantia opposita substantia, vt sanitas ægritudinis. illius enim absentia ostenditur ægritudo. sanitas vero est ratio, quæ in anima & in scientia est. Fit autem sanũ, ita intelligente, cum hoc sanitas sit necesse est, si sanitas erit, hoc fieri, vtputa æqualitatem, quòd si hoc, caliditatẽ. & ita semper intelligit, donec redigat in illud, quod ipse potest vltimũ facere. Deinde motus, qui iã post hæc fit, effectio ad sanitatem appellatur. Quare quodãmodo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domũ ex domo, quæ sine materia, eã, quæ habet materiã. Ars enim medendi, & ædificãdi est formæ sanitatis, & domus. dico autẽ substantiã absq. materia quod quid erat esse. Generationũ autẽ, & motuũ, hæc quidẽ intellectio, illa vero effectio vocatur. quæ quidẽ à principio & forma, intellectio: quæ vero ab vltimo ipsius intellectionis, effectio. Similiter autem & in cæteris mediis vnũque fit. dico autẽ, vtputa, si conualesceret, oportet adæquari. quid igitur est adæquari? hoc autẽ erit, si calefiet. hoc autem quid est? hoc quidẽ. hoc autem potestate inest, hoc vero iã in ipso est. Faciẽs igitur, & vnde cõualescendi motus incipit, si ab arte, forma est in anima, quòd si à casu, ab eo, quod est faciẽdi principium illi, qui ab arte facit. sicuti fortasiis & in medendo principium à calefaciendo fit. hoc autẽ facit frictione.

*Hic habet Methodos resolutiuam ac Compositiuam.*

Calor



Calor itaque in corpore, aut pars sanitatis aut sequitur eum aliquid tale, quod est pars sanitatis, aut plura, hoc autem vltimum faciens, & quod ita pars est sanitatis, & domus, & aliorum, vt lapides. Quare quemadmodũ dicitur, impossibile est fieri, si nihil præexistat. ¶ Quòd igitur pars ex necessitate existet, patet. materia nanq. pars, ineſt etiam hæc, & fit. Sed vtrũ eorum etiam est, quæ in ratione? vtroq. quidẽ modo dicimus multos circulos quidnam sint, & materiã dicentes, quòd æs, & formã, quòd talis figura, & hoc est genus, in quo primo ponitur. æneus autem circulus habet in ipsa ratione materiã. Ex quo vero tanquam materia fiunt, aliqua dicuntur cùm sit non illud, sed illiusmodi, vt statua, non lapis, sed lapidea. homo autem conualescens non dicitur illud, ex quo. Tex. 24.

¶ Causa vero est, quia fieri contingit ex priuatione, & subiecto quod dicimus materiam. vtputa & homo, & ægrotus fit sanus: magis tamen dicitur ex priuatione fieri, veluti ex ægroto sanus, quàm ex homine. quare sanus ægrotus quidem nõ dicitur. sed homo, & homo sanus. Quorũ vero priuatio incerta & innominata est, vt in ære cuiuscũq; figuræ, aut in lateribus & lignis domus, ex his nõ dicentur fieri, sicuti illic ex ægroto. Quare, sicut nec vbi ex quo, hoc non dicitur illud, nec hic statua lignum, sed deriuatione dicitur lignea. non lignum, & ænea nõ æs, & lapidea & non lapis, & domus lateritia, sed nõ lateres. ¶ Cùm neque tanquam ex ligno fit statua, aut ex lateribus domus, si quis accurate inspexerit, profecto simpliciter dicet propterea q̃ oporteat fieri, mutato ex quo, sed nõ permanente, propter hoc igitur sic dicitur. Tex. 25. Tex. 26.

*Formam non fieri, sed compositum ex materia & forma.* Cap. VII.

CVm autē & ab aliquo fiat quod fit. hoc autem dico vnde generationis principium est, & ex aliquo, fit autē hoc non priuatio, sed materia, iam enim determinatū est, quēadmodū hoc dicimus: & quod fit hoc autem est aut sphæra, aut circulus aut quodcunq. cæterorū euenit, sicuti neq. subiectum facit ipsum æs, ita neq. sphærā, nisi secundū accidēs, quia ænea sphæra sphæra est. illā autem nō facit: hoc enim aliquid facere ex omnino subiecto hoc facere est. Dico autē quòd æs facere rotundum aut sphæram facere, sed aliquid aliud, vt puta formam hanc in alio. Si enim facit, ex aliquo alio profecto facit hoc enim supponebatur, vt puta facere æneam sphæram, hoc autem ita, quia ex eo, quod æs, hoc facit, quod sphæra est. Si igitur & hoc ipsum facit, patet q̄ similiter faciet, & gene-
Tex.27. rationes in infinitū procedēt. ¶ Manifestū igitur est, q̄ neque species fit, aut quodcunq. nominare oportet formam, quæ in sensibili est, nec est eius generatio, nec est hæc ipsum quid erat esse. Hoc enim est, quod in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut potentia. æneā vero sphæram esse facit: facit nanque ex ære & sphæra. in hoc enim hanc formam facit: & hoc est sphæra ænea. hoc autem sphæræ esse. Eius vero, quod est sphæræ esse omnino si generatio est, ex aliquo aliquid erit. oportebit nanq. diuisibile semper esse quod fit, & esse, hoc quidem hoc, illud vero hoc, dico autē quòd hoc quidē materiam, illud vero formam. Si itaq. sphæra est figura, quæ à medio æqualis est, huius hoc quidem est, in quo erit quod facit: illud autem in illo: totum vero, quod factum est, vt puta ipsa ænea sphæra. Manifestum igitur ex dictis est, quod illud quidem, quod vt forma, aut substantia dicitur, non fit: copulatio vero, quæ secundum hanc



hanc dicitur fit, & quòd in omni, quod fit, materia inest: & est hoc quidem hoc, illud vero hoc.

*Non dari aliquam formam à singularibus separatam.*

*Cap. VIII.*

VTrum igitur est aliqua sphæra præter has, aut Tex.28.
domus præter lateres? An nec factum fuisset *Vide contra Zim.*
vnquam, si ita esset quod quid: sed quoniā tale significat: hoc autē & terminatum nō est, sed facit, & generat ex hoc tale, & cùm generatum est, est hoc tale, totum autē hoc Callias aut Socrates est, sicuti sphæra ænea hæc: homo vero & animal, sicuti sphæra ænea simpliciter. Patet ergo quòd formarum causæ (quemadmodum quidam dicere solent formas) si aliquæ sunt præter singularia, ad generationes, & substātias nihil prosunt, nec sunt propter has substantiæ secundum se. In quibusdā etenim etiam manifestum est, quòd generans tale est, quale quod generatur. non tamen idem, nec vnum numero, sed vnū specie: vt in naturalibus. *Hinc sumitur multa esse genera innominata.*
homo nāq. hominē generat, nisi quid præter naturam fiat, vt equus mulū, & hæc quoq. similiter. quod enim est cōmune equo & asino, non est nominatū propinquissimū genus: fuerint autē ambo fortassis, vti mulus. Quare patet quòd nō oportet tanquā exemplar formam ponere. in his etenim maxime quæreretur: hæ enim maximè substātiæ sunt, sed generās sufficiens est vt faciat, & causa sit formæ in materia, tota vero iā talis forma in his carnibus, & ossibus Callias, & Socrates, & diuersa quid propter materiam (diuersa etenim) idem autem specie. indiuisibilis nanque forma est.

*Cur quædam ab arte, & à casu fiant: quædam vero minime.*

*Cap. IX.*

DVbitauerit autem aliquis, cur quædam & ar- Tex.29.
te, & casu fiunt, vt sanitas: quædam autem mi-

nime, vt domus. Causa vero est, quòd horum quidem materia, quæ principium generationis est cùm faciens sit, & factum aliquid eorum, quæ ab arte sunt, in qua est aliqua pars rei quædam talis vt à seipsa moueatur, quædam non, & huius quædam sic possibilis est, quædam impossibilis: multa nanque possibilia quidem à seipsis moueri, sed non sic, vtputa saltare. Quorũcunque itaque talis materia est, vt lapides, impossibile est sic moueri nisi ab alio, sic tamen certe est & ignis. propterea quædã non erũt absque eo qui habet artem, quædam erunt. ab his enim mouebuntur, quæ non habent quidem artem, moueri vero possunt ipsamet aut ab aliis non habentibus artem, aut ex parte.

*Omnia ex vniuoco generari. Cap. X.*

Tex.30. MAnifestum autem est ex his, quæ dicta sunt, & quòd quodammodo omnia fiunt ex vniuoco, quemadmodum quæ natura sunt: aut ex parte vniuoca. vt domus ex domo: aut ab intellectu ars enim forma est: aut ex parte, aut habente aliquam partem, si non per accidens fiant. Causa enim faciendi, prima secundum se pars. calor enim in motu calorem in corpore fecit. hic vero, aut sanitas est, aut pars, aut se quitur eum aliqua sanitatis pars, aut ipsa sanitas: quare & dicitur facere, quia illud, quod sequitur, & cui accidit calor, sanitatem efficit. ¶ Quare, sicut in syl-
Tex.31. logismis omnium principium substantia est (ex ipso enim quid est syllogismi sunt) hic etiam generationes. Smiliter se habent, & quæ natura constituta sunt. semen nanque facit, sicut ea, quæ ab arte sunt. habet enim potestate forma. & à quo semen est, quodammodo vniuocum (non enim omnia ita oportet quærere, sicuti ex homine homo: etenim mulier ex viro. vnde mulus non ex mulo) sed si non læsura fuerit. Quæcunque vero, quorũ materia potest, & à seipsa moueri eo motu quo semen mouet, à casu, sicubi ibi, fiunt: quorum autem non, hæc impossibilia sunt aliter fieri, quàm ex ipsis.



*Formam non gigni vari, non tantum in substantia, sed & in cæteris prædicamentis verum esse.*

*Cap. XI.*

NOn autem de substantia solum ostendit ratio non fieri formam, sed de omnibus primis similiter communis ratio est, vtputa quantitate, qualitate, & aliis prædicamentis. Fit enim, vtputa ænea sphæra, sed non sphæra, nec æs, & in ære fit: semper nanque oportet præexistere materiam, & formam. ita & in ipso quid est, & in qualitate, & quantitate, & aliis prædicamentis similiter, non enim fit qualitas, sed quale lignum: nec quantitas, sed quantum lignum, aut animal. Cæterum ex his proprium substantiæ accipere est, quòd necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, vtputa animal, si animal fit: quale vero, aut quantum non est necesse, nisi potentia solum. Tex.32. *Vide pro hoc 2. cœ. c.42.*

*Dubitationum solutio, An partium rationes in totius ratione ponantur. Et an partes toto sint priores.*

*Cap. XII.*

CVm autẽ definitio ratio sit, omnis autem ratio partes habeat, ac sicuti ratio ad rem, similiter & pars rationis ad partem rei se habeat, dubitatur vtrum oportet partium rationem inesse in ratione totius, an non. In quibusdam enim videntur inesse, in quibusdam vero non. circuli enim ratio non habet rationem sectionum: ratio vero syllabæ habet rationẽ elementorum. atqui circulus diuiditur in sectiones, sicuti syllaba in *Primum dubium.* Tex.33.

*Secundum dubium. Vide auct. in Epito. tract. 2.:*

elementa. Item autem, si partes priores sunt toto, recti autem acutus est pars, & digitus animalis prior erit acutus recto, & digitus homine. Videntur tamen ista esse priora: ratione nanque dicuntur ex istis, & eò quòd sint absq. inuicem, priora sunt. An multis modis dicitur pars? Quorum vnus modus, quæ secundum quantum mensurat. ¶ Sed

Tex. 34. hæc quidem prætermittatur, ex quibus vero substantia, tanquam ex partibus est, hoc considerandum est. Si igitur hoc quidē materia est, hoc vero forma, hoc vero ex his & substantia est materia, & forma, & quod ex his: quodammodo quidem materia etiam pars alicuius dicitur, quodam modo vero non. quandoquidem ex quibus ratio formæ, vtputa concauitatis, non est pars caro. hæc enim materia, in qua fit, simitatis autem pars alia qua est, & totius quidē statuæ pars æs: eius autem quod vt forma dicitur statuæ, minime. dicendum enim forma, & quatenus formam habet, vnum quo que: materiale vero nunquam secundum se dicēdum. Quare circuli quidem ratio non habet eam, quæ sectionum ratio est: sed syllabæ eam, quæ elementorū est: quia elemēta rationis partes sunt formæ, & non materia: sectiones vero horum sic partes tanquam materia in quibus aduenient propinquiores tamen ipsi formæ, quàm æs cùm in ære rotunditas fiat. Quodammodo vero nec elementa cuncta in ratione syllabæ inerunt. vtputa hæc cerea, aut quæ in aere sunt. iam enim etiam hæc syllabæ pars sunt, tanquam materia sensibilis. Etenim linea non, si cùm diuiditur in med. etates corrumpitur, aut homo in ossa, & neruos, & carnes, propter hoc & ita ex his sunt. tanquam ex his, quæ sunt partes substantiæ, verum tanquam ex materia, & totius quidem sunt. partes,



tes, formæ vero & cuius ratio minimè: propter hoc nec in rationibus. Quorundā itaque inerit talium partium ratio, quorundam vero non oportet ineſſe, nisi sint ipsius simul sumpti. propter hoc enim nonnullæ ex his, tanquam principiis sunt, in quas corrumpuntur: quædam vero non sunt. Quæcunque igitur simul sumpta, forma & materia sunt, vt simum, aut atheneus circulus illa sanè in hæc corrūpuntur, & pars ipsorū est materia, quæcunque vero non simul cū materia sumuntur, sed absque materia, vt rationes formæ solū, hæc recto nō corrūpuntur, aut penitus aut nequaquam ita. Quare illorum quidē principia & partes, quæ in eis sunt, formæ vero neque partes, neque principia huiusmodi, & propterea lutea statua in lutum corrumpitur, & sphæra in æs, & Callias in carnem & ossa, item & circulus in sectiones. est enim aliquid, quod cū materia sumitur, æquiuocē nanque dicitur circulus, & qui simpliciter dicitur & cinguli, propterea q̄ singulis nō sit propriū nomen. ¶ Dicta itaque nūc quoque veritas est, ad- Tex. 35. huc tamen dilucidius dicamus repetentes. Quæcunque enim rationis partes, & in quas diuiditur ratio, hæ priores, aut omnes aut aliquæ. Ratio vero recti non diuiditur in acuti rationem, sed acuti *Vide cōtra dict. 10. Tim.* in rectum: vtitur nanque recto, qui definit acutum, minor etenim recto acutus, similiter autem circulus & semicirculus sese habent: semicirculus nāque circuli desinitur, & digitus toto: talis enim hominis pas digitus. Quare quæcunque quidem partes vt materia, & in quas diuiditur vt in materiam, posteriores: quæcunque vero vt rationis, & secundum rationem substantiæ, priores, aut omnes aut aliquæ. Quoniā vero animalium anima (hoc enim substantia animati) secundum ratio-

nem,& formam substantia,& quod quid erat esse tali corpori: cuiusque nanque pars, si probe definiatur, non sine eo opere definietur, quod sine sensu non existet: sane partes eius priores, aut omnes,aut aliquæ toto animali,& de vnoquoque similiter, corpus vero, & eius partes posteriores hac substantia,& dicuntur in easvt in materiam, non ipsa substantia, sed totum. Toto itaque quodammodo quidem priores sunt hæ, quodammodo vero non, quandoquidem nec esse possunt separatæ, non enim qui quomodocunque se habet, digitus animalis est,sed æquiuocus, qui mortuus est. Quædam vero simul, quæcunque principales, & in qua prima ratio, & substantia, vtputa si hæc cor,aut cerebrum est,nihil enim differt,vtra talis fit. Homo vero, & equus, & quæ ita se habent in singularibus sunt. vniuersale vero substantia non est,sed totum quiddam ex hac ratione,& hac materia tanquam vniuersali: singulare vero ex vltima materia iam Socrates est, & de cæteris similiter. Pars itaque etiam formæ est (formam autem dico quod quid erat esse)& ipsius totius, quod ex forma & ipsa materia est Sed rationis partes,quæ formæ solum sunt, ratio vero est ipsius vniuersalis: circulo nanque esse & circulus, & animæ & anima idē est. Totius vero vt circuli huius,& singularium alicuius sensibilis, aut intelligibilis (dico autē intelligibiles quidem vt mathematicos: sensibiles vero, vt æneos & ligneos) horum inquam nō est definitio, sed intellectione, aut sensu cognoscuntur: cùm vero habeant ab actu, non est manifestum vtrum sint aliquando, an non sint: tamen semper dicuntur & cognoscuntur vniuersali ratione. Materia vero per ipsam incognita, Materia vero, quædam sensibilis, quædam intelligibilis Sensibilis quidem, vt æs & ligenum, & quæcunque mobilis materia. Intelligibilis vero, quæ in sensibilibus existit, non prout sensibilia, vtputa ipsa mathematica. ¶ De toto igitur & parte,ac priore & posteriore, quomodo se habeant dictum est. Ad interrogationem vero necesse est occurrere,cum quis interrogaret vtrū rectus,& circulus, & animal priora,an in quas diuiduntur,& ex quibus sunt partes, quòd non simpliciter. nam etiam si anima animal est,aut animatum,aut vnum quodque, aut vniuscuiusque,& circulus circulo esse, & rectus recto esse, & substantia recti, aliquid quidem & aliquo posterius dicendum est, vtputa his, quæ in ratione, & aliquo recto. Etenim qui cum materia eneus rectus, & qui in singularibus lineis qui vero absque materia his quidem, quæ in ratione sunt, posterior, partibus vero,quæ in singulari sunt,prior est simpliciter autem non est dicendum,& si diuersa est, & non est anima animal, sic etiam quasdam dicendum, quasdam non dicendum, vt dictum est.

*Materia quædā sensibilis, quædam intelligibilis, sensibilis, quæ dam intelligibilis.*



*Quænam formæ, quæne compositi partes sint in ipsa definitione. Cap. XIII.*

MErito autē dubitatur etiam quænam formæ sint partes, quæ vero non, sed eius quod simul sumitur, cùm & hoc nō existente manifesto, non sit definire vnūquodque. Vniuersalis etenim & formæ definitio est,quæ igitur partiū, vt materia sunt, & quæ non si non sint manifesta, nec ratio rei manifesta erit Quæcunque igitur apparēt adiuncta in diuersis specici, vt circulus in ære, ligno,& lapide,hæc quidē manifesta esse videtur: quoniam nihil substantiæ circuli æs, neque lapis est propterea q̄ ab eis separetur. Quæ vero nō vi

Tex. 38

Tex. 37

*Meta. tex. 39. & 8.*

*infra. tex. 15.*

dentur separari. nihil quidem prohibet similiter his se habere: quemadmodum si circuli omnes viderentur ahenei. nihil enim minus æs esset ipsius formæ: difficile tamen est hoc mente auferre, vt puta forma hominis semper in carnibus & ossibus & talibus partibus appareat. Vtrum igitur sint etiam hæc partes formæ & rationis? An non sed materia, verū quoniam non adueniūt etiam aliis, non possumus separare? Cùm autē hoc videatur quidem contingere, quando verò non est manifestum. ¶ Quid tm etiam de circulo, & triangulo dubitant: tanquam nō deceat lineis & continuo definiri, sed hæc omnia similiter dici sicuti carnes aut ossa hominis & æs & lapis circuli. & cuncta referunt ad numeros: & lineæ rationem, eam quæ duorum esse dicunt. Eorum etiam, qui ideas dicūt, quidam ipsam lineam dualitatem quidam lineæ formam, quædam etenim eadem esse formam & cuius forma, vt puta dualitatem & dualitatis formam, in linea vero non est. Accidit itaque & vnā multorum formam esse, quorum species videtur diuersa: quod etiam Pythagoricis accidebat, & contingit vnam omnium facere ipsam formam, cætera verò non formas. ac hoc modo vnum omnia erunt. ¶ Quòd itaque habent aliquā dubitationē ea, quæ circa definitiones sunt, & quam ob causam dictum est. Quare cuncta ita reducere, & auferre materiam, superuacaneum est, quædam nanque fortasse hoc in hoc sunt, aut si hæc habentia. Et comparatio de animali, quam iunior Socrates dicere solebat, non bene se habet: abduxit enim à vero, & opinari facit tanquam cōtingeret hominem sine partibus esse, quemadmodū absque ære circulum. Hoc autem non est simile, etenim sensibile quiddam fortassis animal est, & absque

Tex. 38.

Tex. 39.



absque motu definire non est: quare neque sine partibus quodammodo se habentibus non enim omnino pars hominis est manus, sed illa, quæ potest opus perficere: quare animata existens, non animata vero non est pars. Circa Mathematica vero, cur rationes non sunt partes rationum? vt circuli ipsi semicirculi: hæc enim non sunt sensibilia, An nihil refert, erit nanque quorundam etiam non sensibilium materia, & omnis, quod non est quid erat esse: circuli itaque vniuersalis quidem non erunt, singulariū vero erunt hæ partes, vt prius dictum est, est etenim materia, quædam sensibilis, quædam intelligibilis. Manifestum autem est quòd anima quidem substantia prima, corpus vero materia, homo vero vel animal quod ex ambobus, vt vniuersale. Socrates vero, & Coriscus, si anima quidem, duplex. hi enim vt animam dicent, illi autem vt ipsum totum. Quòd si simpliciter anima hæc, & hoc corpus. quemadmodum vniuersale, etiam & singulare. Vtrum autē præter materiam huiusce modi substantiarum sit aliqua alia, & oporteat quærere substantiam eorum aliquam aliam, vt puta numeros, aut aliquid tale, posteriùs cōsiderandum est. Huius enim gratia & de sensibilibus substantiis definire tentamus. quandoquidē quodammodo Naturalis & secundæ philosophiæ opus est, ea quæ circa sensibiles substantias, speculatio est. non enim solum de materia Naturalem cognoscere oportet, sed etiam de ea, quæ secundum rationem, & magis. ¶ In definitionibus verò, quomodo partes, quæ in ratione sunt, & cur vna ratio definitio (patet etenim & res vna: res autem aliquo vna, partes habens) postea considerandum est. Quid igitur est quod quid erat esse:

*Nō omnino pars hominis est manus, sed quæ potest opus perficere.*

*Idem supra tex. 35. & 4. Met. 15.*

Tex. 40.

& quomodo ipsum perseipsum, vniuersaliter de omni dictum est.&cur quorumdam ratio ipsius quid erat esse habet definiti partes, quorundam non,& quòd in ratione quidem substantiæ, quæ ita partes sunt vt materia,non inerunt.non enim sunt illius substantiæ partes,sed totius.Huius vero est quodammodo ratio & non est.cum materia namque non est:indefinitum etenim,secundū primam autem substantiam est,vt hominis animæ ratio.subſtantia enim est forma,quæ inest: ex qua & materia tota dicitur subſtantia: vt concauitas.ex hac enim & naſos,simus nasus, & simitas est.bis nanque in his inerit nasus. ¶ In tota vero
Tex.41. subſtantia, vt naſo simo,aut Callia, inest etiā materia.Et quod quid erat esse & vnum quodque in quibusdam quidē idem est,vt in primis subſtantiis: vt puta curuitas & curuitati esse,si prima est. dico autem primam quæ non dicitur, eò quòd aliud in alio sit,& subiecto,vt materia. Quæcunque vero vt materia, vel vt simul cum materia sumpta sunt, non idem: neque secundum accidēs vnum,& Socrates & musicum,hæc enim secundum accidens eadem sunt.

*Quo pacto ex definitionis partibus vnum fiat.Vbi de definitionibus secundum diuisionem multa.*

*Cap. XIIII.*

Tex.42. NVnc autē primo dicamus quatenus in Analyticis de definitione non est dictum.dubitatio nanque,quæ in illis dicta est, proderit sermonibus de subſtantia.Dico autem hanc dubitationem, quare vnum est definitum,cuius rationem definitionem esse diximus.vt hominis animal bipes (sit nanq; eius ratio)cur igitur hoc vnum est, non autem multa, animal & bipes? Homo enim & album multa quidem sunt,cùm nō insit alterū alteri.vnū vero cùm insit, & subiectum vt homo aliquid passum fuerit,tūc enim albus homo vnum fit,& est,hic vero nō est alterū alterius particeps, genus etenim non videtur particeps esse differē- *Genus nō vi*
tiarū.simul nāque cōtrariorū idē participaret,dif- *detur partī*
ferētiæ nāq. cōtrariæ,quibus genus differt. Quòd *ceps esse dif*
si etiā participat,eadē ratio est,si differentiæ quidem plures sunt,vt pedestre, bipes, implume. Cur enim vnum, sed non multa sunt hæc? non enim quia insunt: sic enim ex omnibus erit vnū,oportet autem vnū esse, quæcūque in definitione sunt, definitio nāque ratio quædāvna,& subſtantia est: *Definitio*
quare vniuscuiuspiam oportet ipsam esse rationē, *ratio quæ-*
etenim subſtātia vnū quiddam &quod quid,vt di- *dā, & ſub-*
cimus significat. ¶ Oportet autem primo conside- *ſtantia eſt.*
rare de his,quæ secundum diuisiones sunt, defini- *vna.*
tionibus. Nihil enim aliud in definitione est, nisi Tex.43.
quod primū dicitur,genus, & differentiæ, cætera vero genera sunt & ipsum primum, & post hoc, quæ comprehenduntur differentiæ,vtputa ipsum primum est animal consequens vero, animal bipes, & rursus animal bipes implume. Similiter etiā si per plura dicatur, & omnino nihil differt per multa,an per pauca dicatur,neque vtique per pauciora quàm duo, duorum vero hoc quidē genus, hoc vero differētia, vtputa huius animal bipes, animal quidē genus,differētia vero alterum. Si igitur genus simpliciter nō est præter eas,quæ vt generis species sunt, aut si est quidem, sed tanquā materia est (vox nāque genus & materia,differētiæ autē species, & elementa quoque ex hac faciunt) manifestum est quòd definitio est ex differētiis ratio. At vero oportet etenim diuidi differentia differentiam, vtputa animalis differentia est pedes habere, rursus animalis pedes habentis

differentiâ scire oportet,prout pedes habet.quare non est dicendũ pedes habentis aliud plumiferũ, aliud implume,si bene dicatur(verũ quia non potest,faciet hoc) sed si aliud fissos, aliud non fissos pedes habens. hæ enim pedis differẽtiæ sunt. fissio nanque pedũ aliqua peditas est, & sic semper procedi vult, donec ad indifferentia deueniatur. tũ autẽ tot pedis species erunt, quot differẽtiæ,& pedes habentia animalia æqualia differentiis. Si igitur hæc ita se habeãt, manifestum est quòd vltima differentia rei substantia erit, & definitio,sic quidẽ non oportet crebro eadẽ in definitionibus dicere:superfluũ nãque est. Accidit autem hoc. cũ enim animal pedes habens,bipes dicat,nihil aliud dixit,nisi animal pedes habens,duos pedes habẽs, & si hoc propria diuisione diuidat, crebro & æqualiter,ac differentias dicet. Si igitur differentiæ differentia fiat,vna,quæ vltima est,erit species & substantia. Si autẽ secũdũ accidens,vt si diuidat habentis pedes, aliud album, aliud nigrũ tot quot sunt sectiones. Quare manifestũ est ꝙ definito est ratio,quæ ex differentiis est, & ex hatũ vltima secũdũ rectũ. Patet autem hoc, siquis transponat tales definitiones vtputa homini, dicens animal bipes habens pedes,superfluũ enim est habens pedes dicto bipede, ordo vero non est in substantia, quo nãque modo intelligere oportet hoc quidem prius. illud vero posterius? De his igitur definitionibus quæ secundum diuisiones fiunt, quales quædam sunt,hactenus dicta sint.

*Vniuersalia substantias non esse. Ad hoc autem dubitationem sequi,nullus rei esse definitionem.*

*Caput XV.*

Tex.44. CVm autem de substãtia consideratio sit,rursus redeamus. Dicitur autem, sicuti subiectũ substantia



stantia esse, & quod quid erat esse,& quod ex his & vniuersale. De duob⁹ itaq. dictũ est,etenim de ipso quid erat esse, & de subiecto, quod dupliciter subiicitur, aut quod quid existens, vt animal passionibus:aut,vt materia actui. ¶ Videtur autẽ etiã vniuersale causa quibusdam esse maximè, ac esse principiũ ipsum vniuersale, quare de hoc etiã tractemus. Videtur nanq. impossibile substantiã esse quodcũque eorũ,quæ vniuersaliter dicuntur. Prima nãq. substãtia vniuscuiusq.quæ propria cuiusque est,quæ alii non inest,vniuersale vero cõmune,hoc enim dicitur vniuersale,qđ plurib⁹ natura aptũ est inesse. Cuius igitur hoc erit substantia? aut enim omniũ, aut nullius,omnium vero nõ est possibile,vnius autẽ si erit,cætera quoq.hoc erũt. quorũ enim substantia vna,& quod quid erat esse vnũ, ipsa quoq.vnũ sunt. ¶ Itẽ substantia dicitur, quod nõ de subiecto, vniuersale vero de subiecto aliquo dicitur semper. Sed vtrũ ita quidẽ nõ contingit,vt quod quid erat esse? in ipso autem inest, vtputa animal in homine, & equo. patet igitur ꝙ erit aliqua eius ratio. differt autẽ nihil, si non omniũ ratio est eorũ,quæ in substãtia sunt, etenim nihil minus hoc erit substantia alicuius, vt homo hominis, in quo existit. quare iterum idẽ accidit, erit enim substantia illius substantia, vt animal speciei,in qua vt proprium existit. ¶ Itẽ impossibi- Tex. 47.
le,ac incõueniẽs est ipsum quid & substantiã esse, si ex aliquibus nõ ex substãtiis, nec ex ipso quid sed ex quali. Prius nãq.nõ substãtia,& quale erit, quàm substantia, & quod quid:quod impossibile, est, nec ratione enim, nec tẽpore,nec generatione possibile est passiones priores substantia esse, esse nanque separabiles. ¶ Itẽ Socrati substan- Tex.48.
tiæ inerit substantia: quare duobus erit substan-

*Substantia dicitur quatuor modis.*

Tex.45.

*Vniuersale est, quod pluribus natura aptũ est inesse.*

*Idẽ infrat. cap.57*

Tex.46.

tia. Et omnino, si homo, & quæcunque ita dicuntur, substantia est, accidit nihil eorum quæ in ratione sunt, alicuius substantiam esse, nec sine ipsis existere, nec in alio, dico autem vtputa non esse aliquid animal præter aliqua, nec vllum aliud eorum quæ in ratione sunt. Ex his itaque considerantibus patet nihil eorum quæ vniuersaliter existunt, substantiam esse: nihilque eorũ, quæ cõmuniter prædicantur, quod quid, sed tale significare. Quòd si non, & alia multa accidãt, ac tertius homo. ¶ Item sic quoque patet. Impossibile enim est substantiam ex substantiis esse, quæ sic in sunt, vt actu, quæ enim duo actu sunt, nunquam vnum actu sunt, sed si potentia duo sunt, erunt vnum: vt duplum ex duobus dimidiis potentia. actus nãque separat. Quare, si substantia vnum, nõ erit ex substantiis inexistentibus, & secundum hunc modũ quem recte Democritus dicit, impossibile enim ait esse ex duobus vnum aut ex vno duo fieri: magnitudines nanque indiuisibiles substantias facit. Patet igitur quod similiter & de numero se habebit, si numerus quidem compositio vnitatum est, vt à quibusdam dicitur, aut enim non est vnum dualitas, aut non inest in ea vnitas actu. ¶ Habet autem quod accidit dubitationem. Si enim nec ex vniuersalibus possibile est vllam substantiam esse, propterea quod tale, & non quod quid significant, nec ex substantiis actu contingit vllã substantiam esse compositam, quicquam incompositum erit profecto omnis substantia: quare nequa ratio vllius substantiæ erit. At cunctis videtur, & iam dictum est, aut solius substãtiæ, aut maxime definitionem esse: nunc verò nec huius: nullius igitur definitio erit. An quodammodo quidem erit, quodammodo vero non, manifestum autem

Tex. 49

*Actus separat.*

Tex. 50.



autem quod dicitur magis erit ex posterioribus.

*Quæ sequuntur incommoda, aduersus asserentes ideas substantias esse, & separatas, & ipsas ex genere & differentiis constare. Cap. XVI.*

EX his autem ipsis id etiam patet, quod accidit illis, qui ideas pariter substãtias, & separatas esse dicunt: & pariter ex genere & differentiis facĩt formam. Si enim formæ & animal in homine sunt, & equo, aut vnum & idem numero sunt, aut alterum. ratione nanque patet quòd vnum, eandem enim exhibebit rationem, qui dicit in vtroq;. Si ita quealiquis homo est ipsum per se quodquid, & separatum, necesse est, vt etiam illa, ex quibus (sicuti animal, & bipes) quòd quid significent, & separata, ac substantiæ sint. quare & ipsum animal. Si idem igitur, & vnum quiddam etiam in equo, sicuti tu tibi ipsi, quomodo in separatim existentibus vnum erit? & cur non etiam absque seipso erit animal hoc? ¶ Deinde, si participabit quidem bipede & multipede, impossibile quiddam accidit. contraria nanque simul inerunt ipsi vni, & huic quidem enti, sin minus, quis modus est, cùm aliquis dicat animal, & bipes, aut pedestre esse? Sed fortassis componuntur, & tangũt, aut miscentur. At cuncta incouenientia sunt. Sed diuersum in vnoquoque est. Infinita igitur, vt ita dicam, erunt, quorum substantia animal est. non enim secundum accidens ex animali homo est. Item multa erit ipsum animal. nam & substantia animal est, quod in vno quoque est. non enim secundũ aliud dicitur. Quòd si non ex illo erit homo, & genus eius illud. Ac item omnia, ex quibus homo, ideæ nõ igitur alterius quidem idea erit, alterius vero substantia, impossibile nanque est

Tex. 51.

Tex. 52.

ipsum ergo animal erit vnumquodque eorũ, quæ in animalibus sunt. Item ex aliquo hoc ipso erit: & quomodo est ex ipso animali? aut quomodo est possibile esse animal quod hoc ipsum substantia est, præter ipsum animal? Item in sensibilibus & hæc accidunt, & his absurdiora. Quòd si impossibile est ita se habere, patet quòd non est eorum idea ita, vt quidam aiunt.

*Singularium non esse definitiones, & propterea nec etiam Idearum. Cap. XVII.*

Tex. 53. CVm autem substantia altera sit, ipsum scilicet totum, & ratio. dico autem quod illa quidem ita substantia est cum materia simul accepta ratio, hec vero ratio simpliciter. Quæcunque igitur illo modo dicuntur, eorum quidem est corruptio: nam & generatio. rationis autem nõ est ita vt corrumpatur. nec enim generatio est (non enim fit domus esse, sed huic domus) sed absque generatione, & corruptione sunt, & non sunt. ostensum est enim quòd nullus hæc generat, neque facit. Propterea etiam substantiarum sensibilium singularium neque definitio, neque demonstratio est, eò quòd habet materiam, cuius natura talis est, vt esse & non esse contingat. quare corruptibilia sunt omnia singularia earum. Si igitur demonstratio, & definitio scientifica necessariorum est, & non contingit: sicuti neque scientiam quandoque scientiã, quandoque ignorantiã esse, sed quod tale est opinio est, ita neque demonstrationem, neque definitionem, sed opinio est eius, quod contingit & aliter se habere, patet quòd neque demonstratio, neque definitio eorum est. corruptibilia nanque non sunt manifesta his, qui scientiam habent, cùm à sensu abscesserint, & rationibus eisdem in animo sermonis non erit amplius neque definitio, neque demonstratio. Quare cùm quis eorum, quæ ad definitionem quicquam singulariũ definiat, oportet non ignorare quod semper perimendum est. non enim contingit definire. Nec vllam Ideam est definire. singularium enim, vt aiunt, idea est, & separata. ¶ Necessarium autem ex nominibus rationem esse. nomen verò non faciet, qui definit. ignotum enim erit. quæ vero posita sunt, omnibus communia sunt. necesse est igitur & aliis talia inesse. Et si quis te definiat, animal dicet gracile, aut album, aut aliquid aliud, quod & in alio sit. Quod si quis dicat nihil prohibere separatim quidem omnia multis, simul vero huic soli inesse, primum quidem quòd etiam ambobus, vt animal bipes animali & bipedi. & hoc in sempiternis quidem etiam necesse est esse, cùm priores existant, & partes compositi. at vero etiam separabilia, si hoc quidem, quod homo, separabile, nam aut nullum, aut ambo. Si igitur nullum, non erit genus præter species. quòd si erit, erit etiam differentia. deinde, quoniam priora ipso esse, hæc sanè non vicissim perimuntur. ¶ Deinde, si ex ideis ideæ, minus profecto composita sunt, ex quibus. Item de multis oportebit etiam illa prædicari, ex quibus idea, vt animal & bipes. Quòd si non, quomodo scietur? erit nanque aliqua idea, quam impossibile est de pluribus prædicari quàm de vno, non videtur autem, sed omnis idea videtur esse participabilis. Quemadmodum igitur dictum est, patet quod impossibile est in perpetuis definire, maxime vero quæcunque vnica sunt, vt Sol, aut Luna. Non solum enim in hoc peccant, quòd talia addant, quibus ablatis, adhuc erit Sol, vtputa,

*Non fit domui esse, sed huic domui. Substantiarum sensibiliũ singularium nõ est definitio, neque demonstratio.*

Tex. 54.

Tex. 55.

quod circuit terram, aut quod nocte abscondicus (si enim steterit, aut apparuerit, non erit amplius Sol) sed inconueniens est, si non. Sol enim substantiam quandam significat. Item quæcunque in alio contingunt, veluti si alter fiat talis, patet quod erit Sol. communis ergo ratio. at Sol singularium erat, sicut Cleō, aut Socrates. Cæterum cur nemo eorū definitionē proferet ideæ? fiet enim profectō manifestū tētātibus, verū esse quod nunc dictū est.

*Plura, quæ videntur substantiæ, potentias & partes esse. Cap. XVIII.*

Tex.56. MAnifestum autem est quod etiam eorum quæ videntur esse substantiæ, plures potentiæ & partes animalium sunt. nihil enim eorum separatum est. cùm autem separarentur, tum etiam vtmateria omnia, terra, ignis, & aër. nihil enim eorum vnum est, sed quasi * cumulus antequam concoquatur, & ex eis vnum fiat. Maxime autem aliquis animatorum partes putauerit, & animæ propinquas ambas fieri, vt sint & actu, & potentia, eōq ōd principia motus ab aliquo in flexibus habent: quare quædam animalia diuisa viuunt. sed tamen potentia omnia erunt, cùm vnum & continuum fuerit natura, sed non vi, aut copulatione. tale nanque læsio est.

* *al. ferunt ex Michaele Ephe.*

*Ens & vnum, sine ipsum ens & ipsum vnum non esse rerum substantia. Cap. XIX.*

Tex 57. CVm autem vnum dicatur, sicuti & ens, & substantia vnius vna, & quorum vna numero vnum numero, manifestum quōd neque vnum neque ens contingit substantiam esse rerum, sicuti neque elemento esse, aut principio. sed quærimus quid ergo principiū, vt ad notiora referamus. Magis igitur his substantia est ens & vnum, quàm principium, & elementum, & causa. sed necdum



necdum ista, si nec aliud quidem commune vllum substantia est. nulli enim inest substantia nisi sibi ipsi, & habenti eam, cuius substantia est. Item ipsum vnum in pluribus nō erit simul. commune vero simul in pluribus est. Quare patet quōd nihil vniuersalium separatum præter singularia est. ¶ Sed qui formas dicunt, partim rectè dicunt separantes eas, si substantiæ quidem sunt: partim non rectè, quoniam vnam in multis formam dicunt. Causa vero est, quōd non habent reddere quædam tales incorruptæ substantiæ, præter singulares & sensibiles sint. Faciunt igitur eaidem specie illis, quæ sunt incorruptibiles (has enim cognoscimus) ipsum hominem & ipsum equum, addētes vocabulum ipsum, sensibilibus. Attamen etiam si non videremus astra, nihil minus, vt puto, essent substantiæ perpetuæ præter eas, quas nos sciremus. Quare nunc quoque, si non habeamus quænam sint, necesse tamen fortasis fuerit aliquas esse. Quōd igitur nec eorū quicquam, quæ vniuersalia dicuntur, substantia sit, nec vlla sit substantia ex substantiis, patet. Tex.58.

*Quid proprie sit substantia dicere oporteat: eámque non compositam, non compositam sed principium esse. Vtrum quæ simpliciter propter quid sint, necesse sit semper. Cap. XI.*

QVid vero, & quale quid substantiam dicere oporteat, rursus aliud quasi principium cum fecerimus dicamus. fortasis enim ex his erit manifestū de illa quoque substantia, quæ est separata a sensibilibus substantiis. Cum igitur substantia principium, & causa quædam sit, hinc est procedēdū. Quæritur vero ipsum propter quid semper sit propter quid aliud alicui inest. quærere nāque propter quid musicus homo est, certe quærere Tex.59.

*Vide auer. in Epi. tra. secundo.*

rere est quod dictum est, propter quid homo musicus est aut aliud. Quærere igitur propter quid ipsum est ipsum, nihil est quærere. oportet enim ipsum quod, & ipsum esse existere manifesta entia. dico autē, vtputa quòd Luna patitur eclipsim. ipsius autem quod id ipsum, nō nisi vna ratio, vnaque causa in omnibus (propter quid homo est homo, aut musicus musicus) nisi quis dicat quòd vnum quodque ad seipsum indiuisibile est. hoc autem erat vnum esse. sed hoc, & commune de omnibus, & breue est. Quærat autem aliquis propter quid homo animal tale quoddam est. hoc igitur manifestum est quòd non quærit propter quid is qui est homo, homo est, aliquid ergo de aliquo quærit, propter quid inest. quod autem inest oportet manifestum esse. si enim non ita, nihil quærit, vtputa, propter quid tonat? quia sonus in nubibus fit. ita namque aliud de alio est, quod quæritur. & propter quid hæc, vtputa lateres & lapides domus sunt? Manifestum itaque est quod causam quærit. hæc autem est quod quid erat esse, vt logicè dicam: quæ in quibusdam quidem est cuius gratia, vtputa transsis in domo & lecto; in quibusdam verò quod primum mouit. causa nanque etiam hoc. sed talis quidem causa quæritur, dum quippiam fit, vel corrumpitur: altera vero etiam dum est. Latet autem præcipuè quod quæritur in his, quæ non de aliis dicuntur, vtputa quæritur homo quid est: eò quòd simpliciter dicitur, neque determinatur quòd hæc vel hoc. Oportet igitur recte disponentes quærere. quòd si non, cōmune fit eius quod nihil est quærere, & eius quod aliquid quærere. ¶ Cum autem & habere & existere ipsum esse oporteat, manifestū est q̄ propter quid est



est ipsam materiam quærit. vtputa hæc sunt domus. propter quid? quia hæc existunt, quod erat domui esse. & homo hoc, aut corpus hoc tale habens quare? causa materiæ quæritur. hæc autē est forma, qua aliquid est. hæc autem est substantia. Patet itaque quòd de simplicibus non est aliqua quæstio, neque doctrina, sed alius talium quæstionis modus. Cùm vero quod ex aliquo compositum, ita vt vnum totum sit, non est vt cumulus, sed vt syllaba. syllaba vero non est ipsa elementa, nec idem, quod B, & A. nec caro ignis, & terra. dissolutis nanque, hæc quidem amplius non sunt, vt caro & syllaba: elementa vero ignis & terra sunt. est ergo syllaba aliquid, non solum elementa, vocalis & muta, sed etiam aliquid aliud. & caro, non solum ignis & terra, aut calidum & frigidum, sed etiam aliquid aliud. Si igitur necesse est illud quoque aut elementum, aut ex elementis esse: si elementum quidem, rursus eadem ratio erit. ex hoc enim & igne & terra erit caro, & item alio: quare in infinitum progredietur. si vero ex elemento, patet quòd non ex vno, sed ex pluribus quàm ipsum erit. quare iterum de hoc eandem rationem dicemus, quàm de carne, aut syllaba. Videbitur autem esse aliquid tale. & non elementum, ac causam, sed hoc carnem, hoc vero syllabam esse. similiter & de cæteris. substantia vero cuiusque quidem hoc. hoc nanque prima ipsius essentiæ causa est. Cùm autem quædam rerū non substantiæ sint, sed quæcunque substantiæ secundum naturam, & natura constitutæ sint, videri possit profecto aliquibus hæc quoque natura substantia esse, quæ non elementum, sed principium est. Elementum autem est, in quod existens diuiditur, vt materiam, vtputa syllabæ ipsum A, & B. *Elementum quid.*

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM

## LIBER OCTAVVS.

*SVMMA LIBRI.*

*In hac vnica Summa agitur de sensibilium substantiarum principijs, Materia scilicet & forma.*

*Dictorum recollectio. Cap. I.*

Tex.1. EX his igitur, quæ dicta sunt, colligere oportet, ac congregando summatim finem imponere. Dictum autem est, quòd substantiarum causæ principia, & elementa quæruntur. Substantiæ vero quædam ab omnibus conceduntur, de quibusdam autem separatim enuntiauerunt quidem. Concessæ quidem quæ naturales sunt vt ignis, terra, aqua, & cætera simplicia corpora: deinde plantæ, & partes earum, animalia, & partes eorum: & tandem cælum, & partes cæli. Separatim autem substantias quidam esse dicunt formas, & mathematica. ¶ Alias vero accidit ex rationibus Tex.2. substantias esse, quod quid erat esse, & subiectum. Item aliter genus magis quàm species, & vniuersale quam singularia. Vniuersali vero & generi ideæ quoque copulantur. eadem nanque ratione substantiæ videntur esse. Cùm autem quod quid erat esse substantia, huius autem ratio definitio: ideo de definitione, & de ipso per se determinatum est. Quoniam vero definitio ratio, ratio autē partes habet, necesse quoque de parte erat videre quænam substantiæ partes, & quæ non, & si has definitionis quoque esse oportet. Item etiam nec vniuersale substantia est, neque genus. De Ideis vero, & Mathematicis posterius considerandum est. etenim præter sensibiles substantias, has quidem esse dicunt. Nunc vero de concessis substantiis tractemus. hæ autem sunt, quæ sensibiles sunt.



*Vide contra. 2.m.*

*Substantiæ diuisio: Materiamque substantiam esse. Cap. II.*

SEnsibiles vero eunctæ substantiæ materiam habent. Est autem substantia id ipsum, quod subiicitur. aliter quidem materia, * & aliter ratio. materiam autem dico, quæ, cùm non quòd quid actu sit, potentia est quod quid. Aliter autem ratio & forma, quod cùm sit, quod quid ratione separabile est. Tertium vero, quod ex his est, cuius generatio solius, & corruptio est, & separabile simpliciter. earum enim substantiarum, quæ secundum rationem, quædam sunt separabiles, quædam vero non. ¶ Quòd autem materia quoque substantia est, patet. In cunctis nanque oppositis transmutationibus est aliquod trāsmutationis subiectum, vt puta secundum locum, quod nunc hic rursus alibi. & secundum augmentationem, quod nunc tantum, rursus minus aut maius & secundum alterationem, quod nunc sanum, rursus ægrum, similiter autem & secundum substantiam, quod nunc in generatione, rursus in corruptione, & nunc quidem subiectum, vt, quod quid rursus autem subiectum, vt secundum priuationem. Et sequuntur hanc etiam aliæ transmutationes cæ-

Tex.3. *Vide autem in Epito. tract.2.*

* *a.c.non habet hæc & aliter ratio.*

Tex.4.

terrarum vero aut vnam, aut duas hæc nõ sequitur. non enim est necesse, si quid materiam habet localem, hoc generabilem etiam & corruptibilem habere. Verum quæ inter simpliciter fieri, & nõ simpliciter differẽtia sit, in Physicis dictũ est.

*De substantia, quæ forma & actus est. Item de substantiones, formam & materiam cõplectentes potiores esse, quàm quæ alteram tantum. Cap. III.*

Tex. 5. CVm autem quædam vt subiecta & vt materia, concedatur substantia. hæc autem est, quæ potentia est, restat illam quæ vt actus substantia sensibilium est, quænam sit dicere. Democritus igitur tres differentias esse videtur existimare. subiectum enim corpus materiam, vnũ & idem. differre autem, aut rhysmo, quod est figura: aut trope, quod est situs: aut diathige, quod est ordo. Videntur autem multæ differentiæ esse. vt puta quædam compositione dicuntur materia, sicuti quæcunque mistura, quemadmodũ melicratum. quædam clauo, vt arca. quædam ligamine, vt fascis, quædam glutine, vt liber. quædã pluribus ex his, quædã positione, vt limen & superliminare. hæc enim eò quòd modo. quodam ista sint differunt. quædam tempore, vt cœna, & prandium. quædam loco, vt venti. quædam sensibilium passionibus, vt duritie & mollitie, & densitate & raritate, & siccitate & humiditate. & quædã quibusdam ex his, quædam omnibus his. & omnino quædam redundantia, quædam defectu. Quare patet, quod & ipsum est toties dicitur. limen enim est, quoniam ita situm est & esse, sic ipsum pomi significat. & glaciem esse, sic densari. Quorundam vero esse & his omnibus definietur: eo quòd quædam misceantur, quædam temperantur, quædam liganturq; quædam densantur, quædam cæteris differentiis vtuntur, sicuti manus aut pes. Accipienda igitur genera differentiarum. hæc enim principia existentiæ erunt, vt quæ in magis & minus, aut denso & raro, & cæteris talibus. cuncta etenim hæc redundantia & defectus sunt. Quòd si quid figura, aut leuitate, aut asperitate, omnia retto, & curuo. his vero esse erit misceri, oppositio autem modo, non esse. Manifestum igitur ex his est, quòd si substantia causa est, vt vnumquodque sit, in his quærendum est quænam vt horum singula sint causa est Substantia itaque nihil horum est, neque combinatum: attamen proportionale in vnoquoque.

*Vide in proœmio Meta.*

Tex. 6. ¶Est quemadmodum in substantiis, quod de materia prædicatur, ipse actus est, & in aliis definitionibus maxime. vt puta, si limen oportebit definire, lignum, aut lapidem sic positum dicemus. & domum, lateres, aut ligna sic posita. (An etiam & cuius causa in quibusdam est.) Si vero glaciem, aquam congelatam, aut sic densatam. consonantia vero est acuti & grauis mistio talis. eodem autem modo & in cæteris. Manifestum itaque ex his est, quòd actus alius alterius materiæ, & ratio. quorundam enim cõpositio, quorundam mistio, quorundã aliquid aliud eorum, quæ dicta sunt. Quare eorum, qui definiunt, hi quidem, qui dicunt, quid est domus, quòd lapides, lateres, ligna, potẽtia domum dicũt. materia enim hæc sunt. Qui vero vas conseruatiuũ rerum & corporũ, aut aliquid aliud tale addentes, actum dicunt. Qui porrò hæc ambo componunt, tertiam, & quæ ex his est substantiam. videtur etenim ea quidem, quæ ex differentiis ratio fit, formæ & actus esse. quæ vero ex his quæ insunt, materiæ magis. Similiter, & quas archytas approbat definitiones. etenim simul vtrinque sunt. vt puta quid est Serenitas? quis in nul-

*Definitiones Archytæ.*

tudine aeris. materia quidem aer: actus vero & substantia quies. quid est Tranquillitas? maris planities. subiectum quidem, vt materia, mare: actus vero & forma planities. Manifestum itaque ex dictis est quænam sensibilis substantia. & quomodo sit. etenim hæc quidem vt materia, hæc autem vt forma quoniam actus tertia vero ex his.

*Dubium, vtrum nomina compositorum, formarum ne signa sint. Compositorum non formam generari. Ant si hæc ita dubitationis solutio, desinit quemnon duri attruentis. Cap. IIII.*

Tex.7. *Vide auer. in Epito. tract.2.*

OPortet autem non ignorare, quòd aliquando latet vtrum nomen compositam substantiam significet, an actum & formam, vtputa domus vtrum est signum communis, quod operimentum est ex lapidibus, & lateribus sic positis: an actus & formæ, quod est operimentum, & linea, vtrum dualitas in longitudine, an quod dualitas. Et animal, vtrum anima in corpore, an anima. hæc enim substantia & actus alicuius corporis. Erit autē vtique in vtrisq; animal, non vt vna ratione dictū,

Tex.8. sed vt ad vnum. ¶ Sed hæc ad aliud quidē aliquid conferunt ad quæstionem autem substantiæ sen-

*Vide cōtra. dict. Zim.* sibilis nihil. etenim, quod quid erat esse formæ & actui adest anima nanq; & animæ esse idem est. homini vero & homo nō idem. nisi & anima homo dicatur, sic autem alicui quidem, alicui vero non. Non videtur itaq; quærentibus, & syllaba ex elementis, & compositione sit, neque domus lateres, & compositio. Et hoc recte. Compositio enim & mistio non est ex his, quorum est copositio, aut mistio, simile ter nec aliorum, vtputa limen positione, nō ex limine positio, sed magis istud ex illa. nec homo est ipsum animal & bipes, sed aliquid esse oportet, quod præter hæc est, si hæc materia



teria sunt, sed nec elementum, nec ex elementis, sed substantia, quod materiam auferentes dicunt. Si itaque hoc ipsius esse causa, & hoc substantia, ipsam substantiam vtique non dicerent. Nec esse autē est. aut sempiternā hanc esse, aut corruptibilem, absque eò quòd corrumpatur, & factam esse, absque eo quòd fiat. Ostensum autem est, & declaratum in aliis, quòd formam nullus facit, neq; generatur, sed efficitur hoc: fit autem quod ex his. Si vero corruptibilium substantiæ sunt separatæ, nondū est manifestum: attamē quòd quorundam non contingit patet, vt ea, quæ non possunt præter particularia esse, vt domum, aut vas. ¶ Fortassis Tex.9. igitur nec substantiæ sunt hæc ipsa, nec aliorum quicquam, quæcunq; non natura consistunt. naturam etenim solam profecto quis ponet eam, quæ in corruptibilibus est, substantiam. Quare dubitatio, quam Antisthenici, & hoc pacto pariter indocti dubitabant, habet aliquid occasionis vt solvatur, & nō est ipsum quid est definire (definitionem enim longum esse sermonē) sed quale quid est contingit etiam docere, quemadmodum argentum quid est, nō: quod autem quale, stannum. Quare substantiæ, est quidem, cuius contingit definitionem & rationē esse, vtputa compositæ, siue sensibilis, siue intellectualis sit. ex quibus autem hoc primis, non est siquidem aliquid de aliquo significat ratio definitiua: & oportet hoc quidem vt materiam, illud vero vt formam esse.

*Quo pacto substantiæ numeri dici possint. Cap. V.*

MAnifestū autem etiam est, quòd si aliquo Tex.10. modo substantiæ numeri sunt, ita sunt & non quemadmodum quidam dicunt, vnitatum. Nam & definitio numerus quidā est, diuisibilis etenim & in indiuisibilia, non enim infinitæ rationes.

*Quo pacto substantiæ numeri sint.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



numerus vero tale quid est. Et quemadmodum de numero, ablato aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiam si minimum auferatur, aut addatur; ita nec definitio, nec ipsum quid erat esse erit amplius, ablato aut addito aliquo. Et numerum oportet aliquid esse, quo vnus, quod nunc non habent dicere quo vnus, si vnus est. aut enim nō est, sed quasi congeries: aut si est, dicendum est quidnam illud sit, quod vnum ex multis facit. Et definitio vna est, similiter autem nec hanc dicere habent. & hoc merito accidit. eiusdem enim orationis & substantia est, vt vnum non, vt quidam aiūt, vt vnitas quædam existens, aut punctum, sed actus & natura quædam vnaquæque. Et quemadmodū nec numerus habet magis & minus, ita neque substantia, quæ secundum formam est. sed, si est quidem, ea est, quæ secundum materiam est. De generatione igitur, ac corruptione dictarum substantiarum, quomodo accidit, quoque modo impossibile est, déque reductione ad numerum hactenus determinatum sit.

*De materiali rerum principio, eodem, ac diuersi: generatēque etiam. & quo pacto ad quærendam causam per omnia causarum genera sit respondendum.*

*Cap. VI.*

Tex. 11. *Materia omnium vna communis, eiusq; autem propria.*

DE materiali vero substantia oportet non latere, quòd etsi ex eodem omnia primo, aut eisdē tanquam primis, & eadem sit materia, vt principium illis quæ fiunt, est tamen quædam cuiusque propria pituitæ prima materia, ipsa dulcia aut pinguia. bilis vero, amara, aut aliqua alia. Fortasis autem hæc ex eodem. Fiunt autem plures materiæ eiusdem, cum alterius altera sit, vtputa pituita ex pingui & dulci, si pingue ex dulci. ex bilis vero es-



se, ob resolutionem in primam materiam. Dupliciter enim hoc ex hoc, aut quoniam ex eo quòd præcedet, aut quoniam ex eò quòd resolutum fuerit in principium. Contingit autem, vna existente materia, diuersa fieri propter mouentem causam. vt ex ligno fit arca, & lectus. Quorundam autem diuersa materia necessario, diuersis existentibus vtputa serra nunquam fiet ex ligno, nec est hoc in causa mouente. non enim faciet serram ex lana, aut ligno. Si autem idem contingit ex alia materia facere. ¶ Patet quòd principium & ars, quæ est mouens, eadem est. etenim, si materia diuersa & mouens, & ipsum quod factum est. Cùm itaque quisquam quænam sit causa quærat, quoniam multipliciter causæ dicuntur, omnes contingentes causas dicere oportet, vtputa hominis, quæ causa vt materia? nempe menstrua. quæ vero vt mouens? nempe semen. quæ vero vt forma? quod quid erat esse. quæ autem vt huius cau sa? finis fortasis autem hæ ambæ idem sunt. Oportet autem proximas causas dicere. quæ materia, non ignem vel terram, sed propriam. In naturalibus igitur & generabilibus substantiis necesse est ita procedere, si quis recte procedet. siquidem hæ tóque causæ sunt, & oportet causas cognoscere. De naturalibus autem, sed perpetuis substantiis alia ratio est. fortasis etenim quædam non habent materiam, aut non talem, sed solum quæ secundum locum mobilis est. Nec quæcunque natura quidem, non autem sunt substantiæ. his materia est, sed quod subiicitur substantia. vtputa quæ causa eclipsis? quæ materia, non enim est, sed Luna est, quæ patitur. quæ causa vt mouens, atque corrumpens lumen? terra. ¶ Cuius vero causa sor tis non est, quæ vero vt forma ratio: sed non ma-

*Contingit ex vna materia diuersa fieri propter mouentē causam.*

Tex. 12.

Tex. 13.

nifesta ratio, nisi cum ipsa causa sit. vtputa, quid eclipsis? priuatio luminis. si vero addatur à terra in medio interposita, hæc est cum ipsa causa ratio. De somno vero non est manifestum quid est primum quod patitur, sed numquid animalis? ita attamen hoc secundum aliquid & quid primum cor. an aliquid aliud? deinde, à quo? deinde quæ passio, quæ illius & non totius? quia talis immobilitas, ita sed hæc, eò quòd aliquid patiatur ipsum primum.

*Non omnia contraria vicissim fieri, nec omnium esse materiam. & quo pacto materia cuiusque ad contraria se habeat.* Cap. VII.

Tex.14. CVm autem quædam absque generatione & corruptione sint, & non sint, vtputa puncta si sint quidem, & omnino species & formæ (non enim albedo sit, sed lignum album, si ex aliquo & aliquid fit omne, quod fit) profecto nõ omnia contraria fiunt vicissim, sed aliter albus homo ex nigro homine, & albedo ex nigredine. Nec omnium materia est, sed quorumcunq; generatio, & transmutatio inuicem sunt. quæcunque vero absque eo quòd transmutentur sunt, aut non horum materia non est. Habet autem dubitationem, quonam modo ad contraria cuiusque materia se habeat. vtputa, si corpus potentia sanum, contrarium vero sanitati infirmitas, vtrum ambo potentia & quia potentia vinum & acetum. An huius quidem secundum habitum & secundum formam materia est, illius vero secundum corruptionem & priuationem præter naturam? At quædã dubitatio est, cur vinum non sit materia aceti, neque potentia acetum, tametsi fiat ex eo acetum. & viuens potentia mortuus, an non, sed secundum accidens corruptiones. Ipsa vero animalis materia secundum



tum corruptionem mortui potentia & materia. aqua quoq; aceti est. fiunt etenim ex illis, quemadmodum ex die nox, & quæcunque ita inuicem transmutantur, ad materiam oportet redire. vtputa si ex mortuo animal. primum ad materiam, deinde animal: & acetum ad aquam, deinde vinum.

*Dubitationis solutio, quæ causa sit, vt definitiones & numeri vnum sint in rebus omnibus: & vnionis materiæ ac formæ.*

Cap. VIII.

DE dubitatione autem dicta & circa definitiones, & circa numeros, quæ causa est vt vnum sint. Omnium namque, quæcunque plures partes habent, & non est totum quasi coacernatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes, est aliqua causa. Nam & in corporibus quibusdam tactus est causa, vt vnum sint: quibusdam vero viscositas, aut aliqua alia talis passio. definitio vero oratio est vna, non cõiunctione, vt Ilias, sed eò quòd vnius est. Quid est igitur quod hominem facit vnum, & cur vnũ & non multa sunt animal & bipes, præsertim si, quemadmodum quidam dicunt, si quid ipsum animal, & ipsum bipes? cur enim nõ illa homo est? & erunt secundum participationẽ homines non hominis vnius, sed duorum, animalis & bipedis. & omnino profecto homo non erit vnum, sed plura animal, & bipes. Manifestum itaque est quòd ita quidem tractantibus, vt solent definire & dicere, non est possibile reddere rationem, & soluere dubitationem. Quod si, quemadmodum dicimus, hoc quidẽ materia, hoc vero forma est, & hoc quidẽ potentia, hoc vero actu, profecto non videtur amplius dubitatio esse quod quæritur. Etenim dubitatio est eadẽ, ac si definitio Tex.15.

vestis esset æs rotundum. esset etenim hoc nomen rationis signum: quare quod quæritur est, quænam causa sit, vt rotundum & æs vnum sint, amplius vero non apparet dubitatio, quoniam hoc quidem materia, illud vero forma est. Quæ igitur huius causa est, vt quod potentia est actu sit in quibuscunque generatio est, præter illud, quod fecit? nulla enim alia causa est, vt actu sphæra sit, quæ potentia sphæra erat: sed hoc erat ipsum quid erat esse vtrique. Est autem materia, quædam intelligibilis, quædam sensibilis, & semper rationis hoc quidem materia, hoc vero actus est, vt circulus figura plana. ¶ Quæcunque vero neque intelligibilem, neque sensibilem materiam habent, statim vnum quiddam esse vnumquoque est: quemadmodum ipsum ens hoc quiddam, hoc, quale, quantum: quare non inest in definitionibus nec ens, nec vnum: & ipsum quid erat esse statim vnum quiddam est, quemadmodum & ens quiddam. Propterea non aliqua alia causa vllis istorum, vt vnum sint, nec vt ens quiddam sint. statim etenim vnumquodque est ens quiddam & vnum quiddam, non vt in genere in ente & vno, nec tanquam sint separata præter particularia. Ob hanc autem dubitationem quidam participationem aiunt, & causam quandam participationis, & quidnam sit illud participare dubitant. Quidam copulam animæ, sicuti Lycophron ait, scientiam esse ipsius scire & animæ. Quidam compositionem, aut coniunctionem animæ cum corpore ipsum viuere. Attamen eadem de omnibus ratio erit, etenim ipsum sanum esse, aut copula, aut compositio, aut coniunctio animæ & sanitatis erit, & æs esse triangulum, compositio æris & trianguli, & album esse compositio superficiei & albedinis. Causa vero est, quoniam potentiæ & actus rationem quærit vnientem, & differentiam: est autem vt dictum est, vltima materia & forma idem: & hoc quidem potentia, hoc vero actu. Quare simile est quærere quidnam vnius causa sit, & vt vnum sit. vnum enim quiddam vnumquodque, & quòd potentia, & quod actum vnum quodammodo est. Quare nulla alia causa est, nisi si quid fuit, tanquam ex potentia in actum mouens. Quæcunque vero non habent materiam, cuncta simpliciter entia sunt ipsum quid.

* *
*

*Vide 7. de Anima. Tex. 7.*

*Idem 7. Meta. t. 35. & 39. Tex. 16.*

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM

## LIBER NONVS.

*SVMMAE LIBRI.*

*In Prima agitur de potentia.*
*In Secunda de Actu.*

*SVMMA PRIMA.*

*Dicenda proponuntur. Cap. I.*

Tex.1. DE primo itaque ente, & ad quod cæteræ omnes entis prædicationes referuntur, hoc est de substãtia, dictum est: nam secundum substantiæ rationem cætera dicuntur entia, quantum & quale, ac cætera, quæ ità dicuntur, cuncta etenim habebunt substantiæ rationem, vt in primis sermonibus diximus. Cùm autem ens dicatur, hoc quidem quid, aut quantitas, aut qualitas, hoc vero secundum potentiam & actum ac opus, determinemus etiam de potentia & actu. Et primo de potentia, ea quidem, quæ dicitur maxime prope, non sanè est vtilis ad quod nunc volumus, potentia nanque & actus in plus est, quàm illa, quæ secundum motum solum dicuntur. Sed cùm de ea dixerimus in determinationibus de actu, declarabimus etiam de aliis.

*Potentia & actus in plus est, quam illa, quæ secundum motum solum dicuntur.*

*Dividitur*



*Dividitur potentia in sua significata.*

*Cap. II.*

QVòd igitur multipliciter potentia & posse dicatur, determinatum est à nobis in aliis. Harum vero, quæcunque quidem æquiuoce dicuntur potentiæ, præterruittantur. Quædam etenim similitudine quadam dicuntur, vt in Geometria. & posibilia ac impossibilia dicimus, eò quòd quodammodo sint aut non sint. Quæcunque verò ad eandem formam omnes, aliqua principia sunt, & ad vnam primam dicuntur, quæ est principium transmutationis in alio, prout aliud est. Aliqua enim est patiendi potentia, quæ in ipso patiente principium est transmutationis passiuæ ab alio, prout aliud est. aliqua vero habitus impossibilitatis, quæ in deterius est, & corruptionis, quæ est ab alio, prout aliud est, principio transmutatiuo, in his enim omnibus definitionibus inest primæ potentiæ ratio. Rursus autem hæ potentiæ dicuntur, aut ipsius faciendi solum, aut patiendi, aut ipsius bene: quare in harum quoque rationibus quodammodo insunt priorum potentiarum rationes. Manifestum igitur est quòd quodammodo quidem vna est ipsius facere & pati potentia (potens enim est, & eo quòd ipsum habeat patiendi potentiam, & eo quòd aliud ab eo) quodammodo vero alia. Hæc enim in patiente est, propterea enim quod habet aliquod principium, & quod materia aliquod principium est patitur quod patitur, & aliud ab alio. pingue nanque cõbustibile est. cedens vero sic presibile, & similiter de cæteris. Hæc vero in faciente, vtputa calidum, & ædificatiua. hoc quidem in calefactiuo hæc vero in ædificatiuo. Propter quod nullum, prout * connaturale factũ, ipsum à seipso patitur. vnum *natum.*

Tex.2. *Vide auer. in Epito. tract.3.*

* *a.l.con-*

etenim,& non aliud est.At impotentia quoque,& impotens, atque quæ tali potentiæ contraria est, priuatio est:quare eiusdem & secundum idem potentia,impotentiáque omnis. Priuatio autē multifariam dicitur:etenim quod non habet, & quod natura aptum est,& non habet, aut omnino, aut cùm natura aptum sit,aut sic vt puta omnino, aut quomodocunque, in quibusdam autem si natura apta habere,vt non habeant,priuari ea dicimus.

*Distinguuntur potentiæ per earum subiecta.*

*Caput* III.

Tex.3. *Vide auer. in Epito. tract.3. Vide contra.Zim.*

CVm autem quædam in inanimatis talia principia insint, quædam vero in animatis, & in anima, & in animæ ea parte, quæ rationē habet, patet quòd potentiarum quoque quædā irrationales,quædam cum ratione erunt. Quare omnes artes & factiuæ scientiæ potentiæ sunt, principia enim trāsmutatiua in alio,prout aliud est. Et quæ quidem cum ratione omnes, eædem contrariorum sunt:irrationales vero,vna vnius:vt calidum, ipsius calefaciendi solius, medicandi vero potentia,infirmitatis & sanitatis. Causa vero est, quia scientia ratio est, ratio autē eadem manifestat & rem, & priuationem,nisi quòd non similiter: & quodammodo quidem amborum,est quodammodo vero eius magis: quod existit. Quare necesse est tales etiā scientias esse quidem contrariorum: esse vero huius quidē per se ipsas, illius vero non per se ipsas: etenim ratio huius quidē secundum seipsam, huius vero quodammodo secundum accidens.negatione enim & sublatione manifestat contrarium. prima nanque priuatio contrarium

Tex.4. est: hæc autem alterius demptio est. ¶Sed,quoniam contraria non fiunt in eodem, scientia vero potētia,eò quòd habet rationem, anima quoque



motus principium habet (salubre quidem sanitatem solum facit, & calefactiuum caliditatem, & frigefactiuum frigiditatem, sciens autē amborum ratio enim amborum quidem est,non tamen similiter,& in anima,quæ motus principiū habet) ambo profecto ex eodem mouebit principio,ad idem coniungens. Quare quæ secundum rationē potentia sunt, cōtraria his faciunt, quæ absque ratione potentia sunt:vnum nanque principium continetur ratione. Manifestum autem est q̄ & ipsius bene potentiam sequitur solius faciendi aut patiendi potentia: hanc vero illa non semper,qui enim bene facit,necesse est vt etiam faciat: qui verò solum facit,non necessario & bene facit.

*Contra negantes potentiam, nisi cùm res sit in actu.*

*Cap.* IIII.

Tex.5. *Vide auer. in Epi.tractat.1.*

SVnt autem quidam vt Megarici, qui dicunt, tunc solū posse, cùm agat: cum vero non agat, non posse vtputa eum,qui non ædificat, ædificare non posse, sed ædificantem, cùm ædificat. similiter quoque & de cæteris. Quibus quæ inconuenientia accidunt, non est difficile videre. Patet nanque q̄ nec ædificator erit,si non ædificat.ædificatori enim esse ipsum posse ædificare est similiter autē & de aliis artibus. Si igitur impossibile est huiusceomodi artes habere, nisi quandòque discat, & accipiat, & non habere, nisi amittat aliquando (aut enim obliuione,aut quadā passione, aut tēpore,non enim re corrupta,semper nanque est) cùm cessauerit,non habebit artem, rursus autem statim ædificabit,quomodo accipiens? Et inanimata etiam similiter, nec enim frigidū, neque calidum,neque dulce,nec omnino vllum sensibile erit non sentientibus, quare Protagoræ opinionem accideret eis dicere. Arqui nec sensum ali-

quid habebit si non sentiat, aut operetur: si igitur cæcum est, quòd non habet visum, natura tamen aptum, & quando aptum, & item prout natura aptum est habere, iidem sæpius in eodē die cæci & surdi erunt. ¶ Item, si impossibile id est, quod priuatur potentia, quod nō fit impossibile est fieri, quod vero impossibile est fieri, qui dicit esse aut futurum esse mētietur. impossibile enim hoc significabat. Vnde illæ orationes & motum, & generationem perimunt, semper etenim & quod stat stabit, & quod sedet sedebit, si enim sedet non surget: impossibile nanq; erit surgere, quod non est possibile surgere. Quod enim est possibile ista dicere, manifestum est quòd potentia & actus aliud & aliud est, illæ vero orationes idē faciunt potentiam & actum, propter quod nō pauci quidam quærunt perimere. ¶ Quare contingit possibile quidem esse aliquid, non esse autem, & possibile non esse, esse vero similiter autem in cæteris quoque prædicamentis, quicquam possibile nō ambulare, non autem ambulare: & possibile nō ambulare, ambulare. Hoc autē possibile est, etsi illius insit actus, cuius potentiam habere dicitur, nihil impossibile erit, dico autem, vt si possibile sedere est, vt sedere contingit, huic si extiterit ipsum sedere, nihil impossibile erit, etsi moueri quicquam, aut mouere, aut stare, aut sisti, aut esse, aut fieri, aut non esse, aut non fieri, similiter. Nomen vero actus, qui ad perfectionem annectitur aduenit etiam in aliis maxime ex motibus. videtur etenim maxime motus actus esse. Quare non entibus non attribuunt ipsum moueri, sed alia quædam prædicationes, vt puta intelligibilia, & desiderabilia esse ipsa non entia, non autem mota. hoc autem quia cùm non sint actu, erunt actu non

Tex. 6.

Tex. 7.



non entium enim quædam potentia sunt, non autem sunt, quoniam actu non sunt.

*Contra ponentes omnia possibilia. Cap. V.*

Si autem possibile est, quod dictū est, quatenus sequitur, manifestum est, ꝙ non potest verum esse dicere ꝙ possibile quidē est hoc, non tamen erit. alioqui quænam impossibilia sint, hoc modo fugiunt nos dico autem, vt si quis dicat posse diametrum cōmensurari, non tamen cōmensurabitur, non cogitans quidnam impossibile sit: quia nihil prohibet aliquid possibile existēs aut esse aut fieri nō esse nec futurū esse. Attamen ex his, que posita sūt, illud necessario sequitur, quia si supponamus esse, aut factum esse, quod nō quidem est, possibile autē est, nihil impossibile erit. at accidet quidem, cōmensurari enim impossibile est. Enimuero nō est idem falsum, & impossibile. te nanq nunc stare falsum quidem, sed non impossibile est. ¶ Simul autē manifestum est, ꝙ si A existente necesse est B esse, ita etiam A existere possibile esse, necesse est B quoque possibile esse. Nam, si nō necesse est possibile esse, nihil prohibet nō esse possibile esse. sit itaque A possibile. cum igitur A possibile fuerit esse, si ponetur ipsum A, nihil impossibile esse accidit: at tū ipsum B necesse est esse. attamē impossibile erat. Sit igitur impossibile: quòd si impossibile, necesse est A esse, necesse est & B esse. sed erat A possibile. ergo etiā B. si igitur A possibile sit, B etiā possibile erit. si ita quidē se habebāt, vt A existēte, necesse sit etiā B esse. Si itaq; sic se habentibus A B, nō ita possibile sit B, nec ipsum A B, se habebunt. vt posito est, & si A possibili existente, necesse est B possibile esse, si A est necesse est B etiam esse. Possibile namque esse necessario B esse, si A possi-

Tex. 8.

Tex. 9.

bile, hoc significat, si A sit, & quâdo, & sicuti erit possibile esse, illud quoq; tunc, & ita necesse esse.

*Quæ potentiæ præcedinte opere in resignificantur. quæ vero non, & quo pacto potentiæ ad actum deducantur. Cap. VI.*

Tex. 10. CVm autem omnium potentiarum quedam natura a nobis insitæ sint, vt sensuum: quedam consuetudine, vt tibiis canendi: quædã doctrina, vt artium, has quidem necesse est eos, qui primo operati sunt, habere, quæcunq. scilicet consuetudine & ratione. quæcunq. vero nõ tales, & quæ patiendi potentiæ sunt nõ est necesse. Quoniã vero quod potest & aliquid potest, & aliquãdo, & aliquomodo, & quæcunq. alia necesse est adesse in definitione: & quædam quidẽ ratione possunt moueri, & potentiæ eorũ cum ratione, quædam vero irrationali, & potentiæ irrationales, & illas quidem necesse est in animato esse, has vero in amborbus: huiusce modi quidẽ potentias necesse est, vt cum quoad possint actuum & passiuum approximent, hoc quidem faciat, illud vero patiatur, illas vero non est necesse. hæ enim omnes, vna vnius actiua, ille vero contrariorũ Quare, simul ne faciat contraria? hoc vero impossibile est. Necesse est igitur aliud quiddã esse, quod dominetur. dico autẽ, siue appetitũ, siue electionẽ. quodcũque enim appetat, principaliter hoc faciet, cùm quoad possit proximet passiuo. Quare omne secundum rationem potens necesse est, vt cum appetat id cuius potentiam habet, & vti habet, hoc faciat. habet autẽ passiuo presente, & sic se habente facere, sin minus, facere nõ poterit. nullo enim intrinsecus prohibente, separationem faciendo. nihilo opus amplius est. potentiam enim habet, vt eius, quod est potestate, faciendi, at non quomodocunque, sed aliquo modo se habentibus, quibus separabũtur etiam extrinsecus prohibentia: remouentur enim hæc eorum, quædã quæ in definitione assunt. Quare nec si simul velit aut desideret, duo, aut contraria facere, faciet. non enim ita potentiam eorum simul habet. nec est potentia simul faciendi, at quorum est, ita faciet.



*Summa Secunda.*

De actu.

*Quid & quale sit id, quod actu dicitur. Cap. I.*

*Vide autem in Epistrato.* Tex. 19. SVm autem de potentia, quæ secundum motum dicitur, dictum sit, de actu determinemus quidnã actus, & quale quid sit. e enim possibile quoque simul manifestum erit, si diuiserimus, quod non solum hoc dicimus possibile, quod natura aptum sit aliud mouere, aut moueri ab alio, aut simpliciter, aut quodammodo, sed etiam aliter, propter quod cùm inquiramus: de his etiam tractabimus. Est autem actus, rem existere, non ita quemadmodum dicimus potestate. Dicimus autem potestate, vt in ligno Mercurium, & in tota dimidiam, eò quod auferri possit, & scientem etiam illum, qui non speculatur modo speculari possit: est autem hoc actu. Manifestum autem quod dicere volumus per inductionem in singularibus, & non oportet omnium definitionem quærere, sed etiam quod proportionale est conspicere: quoniam vt ædificans ad ædificatiuum, & vigilans ad dormiens, & videns ad conniuens, habens tamen visum, & segregatum à materia ad materiam, & elaboratum ad inelaboratum. huius autem differẽtiæ alteri parti actus applicatus sit, alteri vero possibi-

le. Dicuntur autem actu non omnia similiter, sed proportionaliter. vt hoc in hoc, aut ad hoc, ita illud in illo, aut ad illud. in illo, aut ad illud, quædam enim, vt motus ad potentiam, quædam, vt substantia ad aliquam materiam. Aliter autem infinitum & vacuum, & quæcunque huiusce modi, quam pleraque entium potentia & actu dicuntur, vt quam videns, ambulans, & visum. etenim hæc quidem contingunt, & simpliciter, & quandoque vera esse. visum enim hoc quidé quoniam videtur, hoc vero quoniã videri possibile est, infinitum vero non ita potẽtia est, vt actu futurum separatum, sed cognitione. etenim potentia esse hunc actum attribuunt diuisioni, ne deficiat, non autem vt separetur.

*Sequ ns textus quãuis reperiatur in Græco exemplari, à nullo tamẽ vnquã ex Latinis fuit consideratus præter quam à Domino Kiriaco Strozza Florẽtino nobili & eruditissimo virogr.ecarumq; literarum peritissimo: qui cùm in Pisano gymnasio Græcas literas doceret, non solum hoc animaduersione dignum putauit, sed & transtulit doctissimèque ipsum publicè interpretatus est.*

QVonim vero actionum, quarum est terminus, nulla finis est, sed ex iis quæ circa finem, vt extenuandi tenuitas ipse est, ipsa autem quando extenuent. sic sunt in motu non existentia ea quorum causa est motus, non sunt hæ actiones aut saltem non perfecta. Non enim finis sed illi inest finis & actio vt videt. Verum etiam sapit & intelligit & intellexit, sed non discit & didicit, nec conualescit & conualuit. bene viuit & bene vixit, sed etiam felicitate fruitur & felicitate fruitus est. sin oportebat aliquando cessare vt quanto extenuauerit, nunc autem non, sed viuit & vixit. harum quidem alias motus dicere, alias autem operationes. Omnis enim motus imperfectus extenuatio, disciplinatio, itio, ædificatio, hæc enim sunt motus & imperfecti profectò. non enim simul it & iuit, nec ædificat & ædificauit. nec fit & factum est, aut mouetur & mouit: sed diuersum & mouet & mouetur: vidit autem & videt simul idem, & intelligit & intellexit. Huiusmodi igitur appello operationem, illam autem motum. ¶ Quidnam igitur, & quale quid sit, quod actu est, & his & huiusmodi manifestum nobis sit.



*Quando aliquid dicendum est potentia esse, & quando non. Cap. II.*

QVando autem potentia vnumquodque est, & quando non determinandum est. Non enim quandocunque. vtputa, terrãne homo est potentia, an non, sed magis cùm iam fuerit semen? nec hoc adhuc fortasis, quemadmodum nec à Medicinã quodcunque vtique sanetur, nec à fortuna: sed aliquid est quod possibile est, & hoc potentia semen. Definitio vero eius quod à mẽte actu fit, ex potentia ente est, quando quod vult fiat, nullo eorum quæ extrinsecus sunt, prohibente. ibi enim in eo qui sanatur est, cùm nihil eorum quæ in eo sunt, prohibeat. similiter autem potentia & domus, si nihil eorum, quæ in ea re & in materia sunt, vt domus fiat prohibeat, nec est, quod aut addatur, aut tollatur, aut mutetur, hoc est potentia domus. Similiter autem in cæteris, quorũ extrinsecus generationis principium, & quorum in hac ipso, quæcunque nullo exteriori prohibente per seipsa erunt: quale semen nondũ est, opor-

Tex 12. *Vide auer. in Epi. tra. tertio.*

tet nanque in alio esse, & transmutari. cùm autem iam per suum principiũ tale fuerit, hoc iam potentia est. Illud vero altero principio indiget, quemadmodum terra nondum est potentia statua: transmutata nanque æs erit. Videtur autem esse quod dicimus, non hos, sed illiusmodi. vt arca non lignum sed lignea: neque lignum terra, sed terreum. rursus terra, si sic non aliud, sed quid illiusmodi, ipsum semper potẽtia simpliciter posterius est. vt arca, neque terra, neque terrea, sed lignea. hoc enim potentia arca, & materia arcæ hæc simpliciter quidem eius, quod simpliciter est, huius autem hoc lignum. Quòd si est aliquid primum, quod non secundum aliud dicitur illiusmodi, hoc prima materia. vt puta, si terra aërea, aër vero non ignis, sed igneus, ignis prima materia est, tanquam quòd quid & substantia. hoc enim vniuersale, & subiectum differt, eò quòd est quod quid aut non est. vt puta quod subiicitur passionibus, homo, corpus, & anima: passio verò musicum & album, dicitur autem, musica adueniente, illud non musica, sed musicum: & homo non albedo, sed album: nec ambulatio, aut motus, sed ambulãs, aut motum, sicut ipsum illiusmodi. Quæcunque igitur ita, vltimum substantia est, quæcunque autem non ita sed forma aliqua, & quod quid est quod prædicatur vltimum materia & substantia materialis est. Et rectè sanè accidit illiusmodi dici secundum materiam, & passiones. ambo etenim indeterminata sunt. ¶ Quando igitur dicendum est potentia, & quando non, dictum est.

*Actum priorem esse potentia, generatione, & tempore. Cap. III.*

Tex. 13. QVoniam autem quot modis dicatur prius determinatum est, manifestum est quod actus prius



prius potentia est. Dico autem non solum illa potentia definita, quæ dicitur principium transmutatorium in alio prout aliud est, sed prorsus omni motiuo, & statorio principio. etenim natura in eodem fit. in eodem enim genere cum ipsa potentia. principium enim motiuum: non tamen in alio, sed in ipso, prout ipsum. Omni itaque tali prior est actus. & ratione, & substantia: tempore vero quodammodo quidem est, quodammodo vero non. Quòd autem ratione prior, patet. potẽs enim est, quod primo potest, propterea quòd cõtingit operari. vt puta ædificatiuum, quod potest ædificare: & visiuum, quod potest videre: & visibile, quod potest videri. eadem autem de cæteris quoque ratio est. quare necesse vt ratio præcedat, & notitia notitiam. Tempore autem prius sic. quod idem specie agit prius, numero vero non. dicat autem hoc, quòd eo quidem homine, qui actu iam est, & frumento, & vidente prior tempore materia, & semen, & visiuum est, quæ potentia quidem homo & frumentum, & videns sunt, actu vero nondum: sed his alia tempore priora actu existentia, è quibus hæc facta fuerunt. semper etenim ex eo, quod potentia est, fit actu ens ab actu existente, vt homo ex homine, musicus ex musico. semper aliquo primo mouente. mouens autem actu iam est. ¶ Dictum est autem in sermo- Tex. 14.
nibus de substantia, quòd omne, quod fit ex aliquo, aliquid & ab aliquo fit, & hoc specie idem. Quare videtur impossibile esse ædificatorem, qui nihil ædificauerit, aut citharœdum, qui nihil citharizauerit. qui enim didicit citharizare, citharizando didicit citharizare. similiter etiam alii. Vnde redargutio sophistica oriebatur, quòd aliquis non habens scientiam, faciet id, cuius scientia,

qui nanque discit non habet. sed quoniam eius quod fit, aliquid factum est, & eius quod aliquomodo mouetur, aliquid motum est (hoc autem inde motu manifestum est) discentem quoque necesse fortasse est aliquid scientiæ habere.

Tex.15. ¶Ad ex hoc quoque patet quòd actus prior potentia, & generatione, & tempore est.

*Actum substantia priorem esse potentia.*

*Caput* IIII.

AT vero substantia etiam. Primo quidem, quia quæ generatione posteriora, forma & substantia priora sunt: vt vir puero, & homo semine. illud enim iam habet formam, hoc vero non. Et quoniam omne quod fit, ad principium & finem progreditur. etenim cuius causa principium est, generatio vero finis gratia. finis vero actus, & huius gratia potentia sumitur. nõ enim vt visum habeant animalia vident, sed vt videant, visum habent, similiter etiam ædificatiuam vt ædificẽt, & speculatiuam vt speculentur, non vt speculatiuam habeant, speculantur, nisi qui exercitantur. hi vero non speculantur, sed aut sic, aut quia non

Tex. 16. indigent speculari. ¶Item materia est potentia, quia progredi potest ad formam, cùm vero actu sit tunc in forma est. similiter etiam de cæteris, & quorum motio finis. Quare quemadmodum docentes, cùm discipulum ostendant operantem, putant imposuisse finem, similiter etiam natura. Si enim non ita fit, erit Mercurius Passionis. non enim erit manifestum, an intra vel extra sit scientia, quemadmodum etiam ille. opus enim finis, operatio vero opus. vnde nomen operatio dicitur ab opere, & tendit ad perfectionem. Cum autem quorundam quidem vltimum sit vsus, vt visus visio, & nihil præter hanc aliud à visu fiat, opus



opus, à quibusdam vero fiat aliud, vt ab ædificatiua domus præter ædificationem, nihilominus tamen illic quidem finis, hic vero magis finis potentiæ est. ædificatio nanque in ædificato simul & fit & est, cum domo. Quoruncunque itaque aliud quiddam præter vsum est id, quod fit, horum actus in eo quod fit, est: vt ædificatio in eo, quod ædificeatur, & contexio, in eo, quod contexitur. similiter & de aliis, & omnino motus in moto. Quorum vero non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, vt visio in videnti, & speculatio in speculante, & vita in anima, quare felicitas etiam. vita nanque quædã est.

¶Vnde patet q̃ substãtia, & forma, actus est. Et secundũ hãc igitur rationem manifestũ est q̃ tprior substãtia actus, quàm potentia. Et quẽadmodũ diximus, tempore semper præcedit actus, alius ante aliũ, vsque ad eum, qui est primo mouentis. Verũtamẽ etiã magis principaliter. æterna enim priora corruptibilib⁹ substãtia sunt: nihil vero potẽtia æternũ est. Ratio autẽ hæc, omnis potentia simul cõtradictionis est. quod enim nõ est possibile esse, nõ inerit alicui. omne vero possibile, cõtingit non agere. quod igitur est possibile esse, contingit esse & non esse. quod vero est possibile nõ esse, contingit non esse: quod autem contingit non esse, corruptibile est, aut simpliciter, aut hoc ipsum, quod dicitur contingere non esse, siue secundum locum, siue secundum quantum, siue secundum quale: simpliciter vero quod secundum substantiam. Nihil igitur simpliciter incorruptibilium simpliciter potentia est: secundum aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi, actu. ergo omnia. Nec eorũ, quæ necessario sunt, licet hæc prima, si enim ipsa non essent, nihil esset

Tex.17. *Vide auer. in Epi. tra. tertio.*

pro

profectò. Nec igitur motus, si quis æternus est, nec que si quid quod mouetur æternum, non secundum potẽtiam mouetur nisi vnde quò. huius autem materiam nihil prohibet esse. Quare semper agit Sol, & stellæ, totúmque cœlum. Neque timendum ne quandóque stet: quod metuunt quidam Naturales. non enim fatigantur, cùm hoc faciunt, eò quod motus eis non est circa contradictionis potentiam, quemadmodum corruptibilibus, ita vt laboriosa eis sit motus continuatio. substantia nanque materia & potentia existens non actu, huius causa est. ¶Imitantur autem incorruptibilia & illa entia, quæ in transmutatione sunt, vt terra, & ignis. etenim semper hæc agunt. per se enim, & in seipsis habent motum. Cæteræ vero omnes potentiæ, vt determinatum est contradictionis sunt (quòd enim potest sic mouere, potest etiam non sic) quæcunque scilicet, secundum rationem. Irrationales vero, eo ipso quòd adsunt & absunt, contradictionis erunt eædem. Si igitur aliquæ naturæ, siue substãtiæ tales sunt, quales dicunt in sermonibus ideas, multo magis sciens aliquid erit, quàm ipsa scientia, & motum, quàm motus. illa enim magis actus, hæ verò horum potentiæ. Quòd igitur actus prior & potentia & omni transmutatiuo principio est, patet.

*Non est timendum ne quandóque cœlum stet.*

Tex.18.

*Actum priorem esse studiosa potentia. Cap. V.*

Tex.19. QVòd autem melior ac præstãtior, quàm ipsa studiosa potentia actus sit, ex his patebit. Quæcunque enim secundum posse dicuntur, idem est potens contraria. vt quod dicitur posse sanum esse, idem est etiam ægrotans, & simul. eadem enim potentia est sanum & ægrotũ esse, & quiescere & moueri, & extruere & destruere domum, & extrui domum & destrui. Posse itaque contraria similiter est: contraria vero simul esse impossibile est, vt sanum & ægrotum esse. quare necesse est vnum eorum bonum esse. ipsum autem posse vtrumque simul, aut neutrum. actus igitur melior. Necesse autem est etiam in malis finem & actum deteriorem potentia esse, etenim potens est idem ambo contraria. Patet igitur quòd malum non est præter res. malum nanque natura posterius potentia est. Non igitur quicquam in his, quæ à principio & que perpetua sunt, malum est neq; corruptũ. etenim corruptio de malis est.

*In malis actus est deterior potentia.*



*Quo pacto Designationes Geometricæ actu inueniuntur. Cap. VI.*

Tex.20. FIguræ quoque actu inueniuntur. diuidentes nanque inuenĩt quòd si diuisæ essent, manifestæ essent. nunc autem insunt potentia. Cur triangulus duo rectis? quia qui circa vnum punctum anguli duobus rectis æquales sunt. sigitur qui circa latus est, educeretur, videnti mox esset manifestum. Cur in semicirculo vniuersaliter rectus? quia si tres æquales, & qui basis est duo. & qui ex medio supra stat rectus, videnti manifestũ erit ei, qui illud sciat. Quare patet quòd quæ potentia sunt, redacta in actum inueniuntur. Causa autẽ est, quia intellectio est actus, quare ex actu, potentia, & ob hoc agendo cognoscũt. posterior nanque generatione est, qui secundum numerum actus est.

* *Designationes quæ geometricæ.*

*Quo pacto ex veritate, & falsitate, actus potentia sit præstantior. Cap. VII.*

Tex.21. CVm autem ens & non ens dicatur, quoddam quidem secundum figuras prædicamentorum: quoddam autem secundum potentiam, aut actum horum, aut contraria: quoddam vero maxime proprièns verum aut falsum. hoc autem

*Vide auct. in Epit. tract. tertio.*

in rebus est compositione vel diuisione: quam-
obrem verum dicit, qui diuisum diuidi, & co-
positum componi putat: falsum autem qui cõtra
quàm res se habeant, aut quando sunt, aut non
sunt quare quòd verum aut falsum dicitur, quid
profecto hoc dicimus, considerandum est. Non
enim propterea quòd nos te vere putamus albũ
esse, tu albus es: sed propterea quòd tu albus es,
nos qui dicimus, verum dicimus. Si quædam ita-
que semper composita & impossibilia diuidi,
quædam vero semper diuisa & impossibilia com
poni sunt: quædam vero contingit contraria esse,
esse quidem est componi, & vnum esse: non esse
vero non cõponi, sed plura esse. Ergo circa cõm
gentia quidem eadem fit falsa & vera opinio, &
eadem oratio, & contingit quandoque veram,
quandoque falsam esse: circa vero impossibilia
aliter se habere non fit, quandoque verum, quan-
doque falsum, sed hæc semper vera, & falsa sunt.

Tex. 22. ¶ Circa incomposita vero quid esse, aut non esse
& verum & falsum? Non enim est compositum,
vt sit quidem si cõponatur, non sit autem, si di-
uisum sit, sicuti album lignũ, aut diametrum in-
commensurabilem esse, nec verum, & falsum si-
militer etiã in illis erit. An quemadmodum ne-
que verum est, idem, in his, ita nec ipsum esse:
sed illud quidem verum, hoc vero falsum est? At-
tingere namque ac dicere verum est: non enim est
idem affirmatio & dictio: non attingere vero est
ignorare. Non est enim decipi circa quod quid
est, nisi secundum accidens. similiter autem est
circa non compositas substantias. non enim est
decipi. Et cunctæ sunt actu, non potentia. genera-
rentur etenim profecto, ac corrumperentur. nunc
autem ipsum ens non sit, neque corrumpitur: ex
aliquo



aliquo enim vtique generaretur. Quæcunque ita-
que sunt vere ipsum esse quid & actu, circa hæc
non est decipi, sed aut intelligere, aut non. verum
quod quid est de eis quæritur, si talia sint, an non.
esse vero vt verum est, & nõ esse vt falsum. vnum
quidem si componitur, verum: si vero non com-
ponitur falsum. vnum vero si est quidem ens sic
est: sin vero non ita, non est. verum autem intelli-
gere hæc falsum vero non est deceptio, sed igno-
rantia non qualis cæcitas est: etenim cæcitas qui-
dem, sicuti si omnino non haberet aliquis intelli-
gendi potentiam. Manifestum autem est quod ne
que de immobilibus deceptio est secundum quan-
do, siquis immobilia putet. vtputa si triangulum
non putet mutari, nõ opinabitur modo duos re-
ctos habere, modo non: mutaretur etenim ve-
rum aliquid quidem, aliquid vero non. vtputa pa-
rem numerum primũ nullum esse: aut quosdam
quidem, quosdam vero non. quò ad numerum
autem circa vnum, nec hoc. non amplius
enim quædam quidem, quædam
vero non putabit, sed verum
dicet aut falsum, tan-
quam ita sem-
per se ha-
beat.

*Aristotelis libri Noni Finis.*

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER DECIMVS.

## SVMMAE LIBRI.

*In Prima agitur de Vno, secundum se considerato. In Secunda de Vno respectu multitudinis, vbi de Contrarietatibus multa pertractantur.*

## SVMMA PRIMA.

*Quot modis vnum dicatur: & aliud esse quærere quæ vnum dicuntur, & vni esse, ac eius rationem.* Cap. I.

Tex.1. *Videantur in Epi. tracta.3.*

QVòd vnum multis dicatur modis in diuisione de quoties, dictum est prius. Cum autem multiplicitèr dicatur primorum, & eorum, quæ secundum se, non secundum accidens dicuntur vnum, quatuor in summa modi sunt. Et ipsum nanque continuum aut simpliciter, aut maximè quod natura, & non tactu, neque ligatione. & horum illud magis vnum, & prius, cuius motus indiuisibilior, & magis simplex est. Item tale etiam magis est, quod totum est, aliquámque formam & speciem habens, & maximè quodcunque natura tale sit, & non



non vi: quemadmodum quæcunque aut glutine, aut clauo, aut coniunctione, at habeat in se, quod causa ei sit, vt continuum sit. tale vero est, cui vnius motus loco, & tempore indiuisibilis sit. Quare manifestum est, quòd si quid natura motionis primæ principiũ habet primum (dico autem latonis circulationẽ) id prima magnitudo vna. Quædam itaque ita vnum, aut continuum, aut totum sunt. Quædam autem, quorum vna ratio est. talia vero, quorum intellectio vna. talia autem quorum indiuisibilis. indiuisibilis vero eius est, quòd aut specie, aut numero indiuisibile est. Numero igitur indiuisibile est singulare. Specie vero cognoscibili & scientia. quare vnum vtiq; erit primum, quod substantiis, vt vnum sint, causa est. Toties igitur dicitur vnum, & quod natura continuum est, & totum, & singulare, & vniuersale. hæc autem omnia vnum sunt, eò quòd quorundam motus, quorundam intellectio aut ratio indiuisibilis est. ¶ Oportet autem considerare, quòd non est eodem modò accipiendum, cùm dicatur, quæ vnum dicuntur, & quid est vni esse, quæve ratio eius est. Vnũ etenim toties dicitur, & vnumquodq; eorum, cui aliquid horum modorum insit, vnum erit. Esse autem, quandoq; quidẽ alicui horũ erit, quadoque vero aiteri, quod & magis propinquũ nomini est. illa vero, potentia. quemadmodum si de elemento, & causa oporteat dicere, & de ipsis rebus, determinando, & nominis definitionem reddendo. ignis etenim quodammodo quidem est elementum (fortassis vero secundum se etiam ipsum infinitum aut aliquid aliud tale, quodammodo vero minime est. non enim est idem igni, & elemento esse, sed tanquam res quædam, & natura ignis elementum est. nomen autem significat quòd hoc Tex.2.

ei competat, quod ex eo, tanquã ex primo in esse stente aliquid fit. ita & de causa, & vno, & cunctis huiusce modi. Propter quod vnũ esse est indiuisibile esse ipsum re vera ens & inseparabile, aut loco, aut specie, aut mẽte, aut toto atq; determinato.

*Vnus est, ac natura maxime in hoc consistere, quod prima omnium mensura sit: proprissime vero ipsius quanti, & ab ipso in alias mensuram dici. Cap. II.*

*Vide auer. in Epi. tre. tari. 6.*

MAxime autem mẽsuram esse cuiusq. generis primam, & maxime proprie quãti. hinc enim & ad alia aduenit. Mensura enim id est, quo quantum cognoscitur: cognoscitur autem quantum vt quantum, aut vno, aut numero: omnis vero numerus vno: quare omne quantum, prout quantum, vno cognoscitur, & quo primo hoc cognoscitur, ipsum vnum. propter quod vnum principium est numeri, prout numerus est. ¶ Hinc autem & in aliis id dicitur mensura, quo primo vnumquodque cognoscitur, & vnuicuiusque mensura vnum est, in longitudine, in latitudine, in profunditate, in grauitate, in celeritate. Grauitas enim & celeritas communis est in contrariis. duplex enim & vnicuiusque horũ est vt grauitas, & quæ quantũcunque ponderis habet, & quæ excedit ponderc & celeritas quæ quãtumcunque motum habet, & quæ excedit in motu. etenim est aliqua tradi celeritas, & leuis grauitas. In his itaque omnibus mensura, & principium vnum quiddam & indiuisibile est. nam & in lineis vtitur pedali tanquã indiuisibili. vbique etenim mensurã vnum quiddam & indiuisibile quærũt, hoc aũt simplex aut quali, aut quanto. Vbi itaque videtur nõ esse aut auferendũ, aut addendum, illi certa mensura est. Quare numerus certissima est. vnitatẽ etenim ponunt quæ omnino indiuisibilis est. in cæteris vero imitantur huiusce modi. ex stadio nanque & talento, ac semper à maiore magis profecto latebit, & additum aliquid & demptum, quàm ex minore. Quare à quo primo secundũ sensum non cõtingit, hoc omnes mensuram & humidorũ, & siccorum, & grauis, & leuis faciunt: & tunc putant cognoscere quantum, cùm per hanc mensuram sciant. ¶ Ac etiam motum simplici & velocissimo motu. minimũ enim tempus hic habet. Quapropter in Astrologia tale vnum principium & mensura est. motum enim æqualem & velocissimum cœli supponũt, ad quem cæteros iudicant. & in Musica * primus sensibilis tonus, quia minimum, & in voce elementum. & hæc omnia ita vnum quiddam, non vt commune quiddam vnum, sed vt prædictum est.

Tex. 3.

Tex. 4.

*διέσις.

*Mensuram vnam esse, & ad vtrobique, quo pacto sit intelligendum: Eámq. semper eiusdem generis esse. Et quo pacto scientia, ac tempus mensura rerum esse dicantur. Cap. III.*

NOn semper aũt mensura numero vnum est, verum aliquando, plura. vtputa primi sensibilis toni duo, qui non secundũ audnũ, sed in rationibus sunt & voces plures, quibus mẽsuramus & diameter duobus mẽsuratur, & latus & oẽs magnitudines. Sic igitur mẽsura omniũ vnum est quia cognoscimus ex quibus subsitãtia est. aut secundum quantũ, aut secũdũ formã diuidẽtes. Et propterea vnũ indiuisibile est, quia primũ singulorũ indiuisibile est. non tamen omnia similiter indiuisibilia sunt vt pes, & vnitas, sed hoc quidem omnino, illud vero vtile in indiuisibilia ad sensum, vt iã dictũ est. fortasis enim omne continuũ diuisibile est. Semper autẽ mẽsura eiusdẽ generis est. magnitudinũ nanq magnitudo, & secundũ vnũquod que, longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, generis

*Mensuræ semper est eiusdem*

vocum vox grauitatis grauitas, vnitas vnitatum. ita enim accipere oportet, & non quod numerorum numerus. At oportet, si similiter non tamen similiter censet, sed ac si vnitatum vnitates, & non

Tex.5. vnitatem censeret esse mensuram. numerus enim vnitatum est multitudo. ¶ At scientiam quoque & sensum mensuram rerum dicimus esse, propterea quia per ea aliquid cognoscimus. atqui mensurantur magis quàm mentiuntur. sed accidit nobis, ac si alio nos mensurante, cognosceremus quantinam sumus, eóque toties nobis cubitalis mensura admota est. Protagoras autem hominem ait

*Protagoras homine ait mensuram esse cunctorum.*

mensuram esse cunctorum, perinde ac si scientem, aut sentientem diceret. istos autem, quia habent, ille quidem scientiam, hic vero sensum, quæ dicimus abiectorum mensuras esse. nihil itaque dicentes egregium, aliquid dicere videntur. Quòd itaque vnum esse (maxime secundum nomen, quod determinant) mensura quædam est, maxime proprie quãtitatis, deinde qualitatis, manifestum est. tale autem erit, si hoc quidem secundum quantitatem hoc vero secundum qualitatem indiuisibile sit. Quare vnum, aut simpliciter, aut prout est vnum indiuisibile est.

*Dubitatio, solutio, an vnum sit rei substantia, ipsiusque ad ipsum ens comparatio. Cap. IIII.*

Tex.6. *Dubitatio. Vide auct. in Epit. tract.3.* SEcundum substantiam autem & naturam quoniam modo se habeat quærendum est, quemadmodum in dubitationibus tractauimus, quidnam vnum sit, & quomodo de eo opinari oporteat. vtrum ve ipsum vnum substantia sit, quemadmodum Pythagorici dixerunt prius, & Plato posterius: an magis aliqua subiicitur natura, & quomodo oporteat notius dici, & an magis, sicuti Naturales, illorum enim quidam amicitiam ipsum



ipsum vnum ait esse, quidã aerem, quidam infinitum. Si autẽ nihil vniuersaliũ possibile est substantiã esse, quemadmodũ in sermonibus de substantia, & de ente dictũ est, nec hoc ipsum, vt vnum, quid præter multa, substantiam esse possibile est (commune nãque) sed vt prædicatio solum, patet, quòd nec ipsum vnum. ens enim, & vnum vniuersaliter maxime de omnibus prædicantur. Quare neque genera naturæ quædam, & substantiæ à cæteris separabiles sunt: nec ipsum vnũ genus contingit esse, propter easdem causas, propter quas nec ens adhuc autem similiter in omnibus necesse est se habere. ¶ Dicuntur autem æqualiter ens Tex.7. & vnum. Quare, cùm in qualitatibus sit aliquid ipsum vnum & aliqua nãtura, similiter autẽ & in quãtitatibus, manifestum est & omnino quærendum est quidnã vnum sit, sicuti quid ens: tanquam non sufficiens sit quòd hoc ipsum eius natura sit. at vero in coloribus est vnus color, vtputa albũ: deinde alii ex hoc & nigro fieri videntur. nigrum autem priuatio albi est, sicuti tenebræ lucis. hæ autem lucis priuatio sunt. Quare si entia colores essent, aliquis profecto numerus entia essent. sed quorumnã patet & colorũ. & ipsum vnũ esset vtiq; aliquid vnum, vtputa albũ. Similiter, si entia modulationes essent, numerus essent profecto. attamen primorũ sensibiliũ tonorum, sed nõ numerus esset substãtia ipsorũ. & ipsum vnũ vtiq; esset aliquid, cuius substãtia nõ ipsum vnum, sed primus sensibilis tonus. Similiter autẽ & in sonis elementorum essent entia profecto numerus, & ipsum vnũ elementũ vocale. Et si figuræ linearũ rectarũ figurarũ profecto numerus essent, & ipsum vnum triangulũ. eadẽ vero ratio & in cæteris generibus est. Quare, si cũ in passionibus, qualitatibus, quan-

*Solutio.*

titatibus, ac in motu numeri sint, & vnum quòddam in omnibus; & ipse numerus aliquorũ sit, & ipsum vnum aliquid vnum, non autẽ hoc ipsum substantia eius sit, necesse est vt etiam in substantiis sic se habeat. similiter naque in omnibus se habet. Quòd igitur in omni genere ipsum vnum aliqua natura est, & quòd nullius hoc ipsum vnũ natura est, patet. quemadmodum enim in coloribus ipsum vnum vnus color quærendus est, ita & Tex.8. in substantia vna substantia ipsum vnum. ¶ Quòd autem idem quodammodo significat vnum & ens patet etiam ex eo, quòd æqualiter sequitur prædicamenta, & in nullo est, nec ipso quid est nec in ipso quale, sed similiter se habet sicuti ens. Et ex eò, quòd in prædicatione vnus homo non addit aliquid aliud quàm homo, sicut nec ipsum esse, præter quid est, aut quale, aut quantum, & vni esse est vnicuique esse.

## SVMMA SECVNDA

De Vno respectu multitudinis considerato: vbi de Contrarietatibus quam plurima.

*De Vno, & Multitudine, ac iis, quæ ad ipsa consequuntur. Cap. I.*

Tex.9. *Vide auer. in Epito. tract.3.*

OPponuntur autem vnum & multa multis modis, quorum vno vnum & multitudo, vt indiuisibile & diuisibile. quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quædam dicitur, quod vero indiuisibile, aut non diuisum, vnum. Cùm autem oppositiones quatuor sint modis, & horum alius secundum priuationem dicatur, contrarii erunt profectò, & neque vt cõtradictio, nec vt ea, quæ ad aliquid dicuntur. Dicitur autem ex contrario ipsum vnum, & significatur ex diuisibili indiuisibile, eo quòd magis multitudo, & indiuisibile sensibile est. Quare multitudo ratione prior quàm indiuisibile propter sensum est. ¶ Item vnius quidem est (quemadmodum & in diuisione contrariorum descripsimus) idem, simile, & æquale multitudinis vero diuersum, dissimile, & inæquale est. Cùm autem idem multipliciter dicatur, vno quidem modo secundum numerum quod quoque dicimus ipsum. Hoc vero si & ratione & numero vnum sit, vtputa tu tibi ipsi & forma, & materia vnum. Item si primæ substantiæ ratio vna sit, vt æquales lineæ rectæ eædem, & æquales, & æqualium angulorum quadrata, tametsi plura sint, æqualitas tamen in eis est vnitas. ¶ Similia verò si cùm non sint eadem simpliciter, nec secundum substantiam subiectam in differentia, secundum formam eadem sint. quemadmodũ maius quadratũ minori simile est, & lineæ inæquales. hæ enim similes quidem, verũ non eædem simpliciter sunt. Quædam verò, si cùm eandem formam habeant, in quibus magis & minus sit, neque magis neque minus sit. Quædam autem, si eadem & vna specie passio sit vt valde albũ & minus, similia esse aiunt quia vna species eorũ est. Quædam vero si plura habet eadem quàm diuersa, aut simpliciter, aut quæ in promptu sunt, vt stannũ argento quàm auro: aurum vero igni, prout flauus & rufus est. Quare manifestum est quòd diuersum, & dissimile multipliciter dicũtur. Aliúdque & idem oppositæ. Vnde omne ad omne, aut idẽ, aut aliud est, hoc vero nisi sit & materia & ratio vna (quare tu & propinquus diuersum) tertium autem, si-Tex.10. cuti illa, quæ in mathematicis sunt. Diuersum igitur autẽ idem; ideo omne ad omne dicitur, quòd



Tex.11.

quæque vnum & ens dicuntur. non est enim contradictio ipsius eiusdē. Quare non dicitur de non entibus (at non idem dicitur) sed de omnibus entibus, aut enim vnum, aut non vnū, natura aptum ens, & vnū esse. Diuersum igitur & idem ita opponuntur. ¶ Differentia vero & diuersitas aliud est diuersum nanque, & illud, à quo diuersum, non est necesse aliquo esse diuersum. omne etenim quodcunque sit ens, aut idem, aut diuersum est: differens vero ab aliquo, aliquo differens est. quare necesse est aliquid idem esse, quo differunt hæc vero idem, aut genus, aut species est. omne nanque differens, aut genere, aut specie differt. genere quidem, quorum non est communis materia, neque mutua generatio, vtputa, quorum alia prædicationis figura est. specie vero, quorū idem genus. dicitur autem genus, quo ambo quæ differūt, secundum substantiā idem dicuntur. ¶ Contraria vero differentia sunt, & contrarietas quædam differentia est. Quòd autem recte hoc supponimus ex inductione patet. Cuncta enim differre videntur, & non solum diuersa esse, sed quædam secundum genus diuersa, quædam in eadem prædicationis coordinatione. quare & quæ eadem specie in eodem genere sunt. determinatum autem in aliis est quæ eadem, aut diuersa genere sunt.

Tex. 12.

Tex. 13.

*Contrarietatem differentiam esse perfectam: & quomodo differant ipsa contraria.*

*Cap. 11.*

*Hinc sumi solet definitio contrariorum. Vide auct. in Epitom. tract. 3.*

CVm autem contingit inuicem differre, quæ differunt, & plus & minus, est etiam quædam maxima differentia. & hanc dico cōtrarietatem. Quòd autem maxima differentia est, manifestum est ex inductione. Quæ enim genere differunt, non habent ad se mutuo viam, sed plus distant, & non



& non conueniunt. illis vero, quæ specie differunt generationes ex contrariis tanquam ex vltimis sunt. distantia vero vltimorum, maxima est, quæ etiam contrariorum. Arqui quod maximum est in quoque genere perfectum est. etenim Maximum est, cuius non est excessus. Perfectum vero, extra quod non est possibile aliquid habere. finem nanque habet perfecta differentia: quemadmodum cætera perfecta dicuntur, eò quòd habeant finem. extra finē autem nihil est. vltimum enim in re omni est, & continet, quare nihil extra finem est, nec indiget aliquo, quod perfectum est. ¶ Quòd igitur contrarietas est differentia perfecta, ex his patet. Cùm autem multipliciter dicantur contraria, ita perfectum sequitur, sicuti eis ineſt esse contrariis. His autem existentibus, patet quòd non contingit vni plura contraria esse. nec enim vltimo vlterius aliquid erit, nec vnius distantiæ plura, quàm duo vltima. & omnino si contrarietas differentia est, differentia vero duorum est, ergo & ipsa perfecta. Necesse autem alias contrariorum definitiones veras esse. etenim plurimum differt perfecta differentia. Nanque non est aliquid sumendum extra ea, quæ & genere differunt, & specie, ostensum est enim quòd ad ea, quæ extra genus sunt, non est differentia: horum autem hæc maxima est. Et quæ in eodem genere plurimum differunt, contraria sunt. maxima enim horum differentia est, quæ perfecta est. Et quæ in eodem susceptiuo plurimum differunt, contraria sunt. materia enim eadem contrariis. Et quæ sub eadem potentia plurimum differunt. etenim scientia circa vnum eorum genus vna, in quibus perfecta differentia, maxima est.

*Maximum quid.*

*Perfectum quid.*

Tex. 14.

*Primum contrariorum esse priuationem & habitum: omnémque contrarietatem priuationem esse, & non econtra. Cap. III.*

Tex.15. *Vide auer. in Epi. tra. tertio.*

PRima vero contrarietas habitus & priuatio est: non tamen omnis priuatio (multipliciter enim priuatio dicitur) sed quæcunq; perfecta fit. Cætera vero contraria secundum hæc dicentur, quædam eò quòd habeant: quædam, eò quòd faciant, aut factiua sint: quædam, eò quòd accipiãt, abijciant hæc, aut alia contraria. Si opponuntur itaq; contradictio priuatio, contrarietas & ad aliquid: horum autẽ primum contradictio: contradictionis vero nihil mediũ est, cõtrariorum autem contingit: patet quòd non idẽ est contradictio & contraria. Priuatio vero quædã contradictio est. aut enim quod omnino impossibile est habere, aut quod, cum natura aptũ habere sit, non habeat priuatum est, aut totaliter, aut modo quodã determinatũ. multipliciter enim hoc, vt in aliis diuisum à nobis est, dicimus. quare priuatio quædam contradictio est, aut impossibilitas determinata, siue simul accepta cũ susceptiuo. Ideo contradictionis quidem non est medium, sed priuationis alicuius est. omne enim, aut æquale, aut non æquale. æquale vero, aut inæquale non omne, nisi

Tex.16. solum in susceptiuo æqualitatis. ¶ Si itaq; generationes ipsi materiæ ex contrariis fiunt autẽ aut aut forma, & habitu formæ, aut ex aliqua priuatione speciei & formæ: patet quòd omnis quidem contrarietas priuatio est, priuatio vero nõ omnis fortasse contrarietas est. Causa vero est, quia multipliciter priuari contingit quod priuatum est. à quibus enim vltimis transmutationes, hæc contraria sunt. Hoc autem & per inductionem manifestum est. omnis nanque contrarietas habet alterius



alterius contrariorum priuationem: verum non omnia similiter. inæqualitas enim æqualitatis. dissimilitudo vero similitudinis, vitium autem virtutis. Differt autẽ, vt dictum est. etenim hoc quidẽ, si solum priuatum sit: hoc vero. si sit, aut quando, aut in aliquo, vtputa in aliqua ætate, aut in principali. aut omnino. Ideo horum quidem est aliquid medium, & est nec bonus homo, nec malus: illorum vero non est, sed necesse est esse parem. vel imparem. Præterea, quædam habent subiectum determinatum, quædam non. Quare manifestum est, quòd semper alterum contrariorum secundum priuationem dicitur. ¶ Sufficit vero etiam, Tex.17. si prima & genera contrariorum, vtputa vnum & multa cætera enim ad hæc reducuntur.

*Quo pacto Æquale magno & paruo opponatur. Cap. IIII.*

CVm autem vnum vni contrarium sit, dubitauerit quispiam quonam modo vnum & multa opponuntur, & æquale magno & paruo. ipsum enim vtrum, semper in oppositione dicimus. vtputa, vtrum album, an nigrum? vtrum album an nõ album? vtrum vero homo, an album non dicimus, nisi ex suppositione, & quærentes. vtputa, vtrum Cleon venit an Socrates. sed hoc in nullo genere necesse est. Verum hoc quoque illinc aduenit. sola nanque opposita non contingunt simul esse, quo & hic vtitur, in eo quòd est vter venit. nam si simul cõtingeret, ridicula esset interrogatio & si etiam ita, similiter etiã in oppositionem cadit, ad vnum, aut multa. vtputa vtrũ ambo venerunt, an alter. ¶ Si itaque ipsius vtrum quæstio semper Tex.18. in oppositis fit: dicitur autem vtrũ maius, an minus, an æquale: quænam æqualis ad hæc oppositio est? Nec alteri soli contrarium, nec ambobus

*Vide auer. in Epito. tract. 3.*

est. cur enim magis maiori, quàm minori? Præterea inæquali æquale contrariũ, quare in pluribus quàm vno erit, quod si inæquale idem ambobus simul significat, erit quidem ambobus oppositum. ¶ Et dubitatio iuuat illos, qui dicunt inæquale dualitatem esse, verũ accidit vnũ duobus contrariũ esse: quod impossibile est. Item æquale quidem mediũ magni & parui videtur: cõtrarietas vero neque media videtur, neque ex definitione possibile est: non enim esset perfecta, si alicuius media esset, sed magis semper aliquid sui ipsius medium habet. Restat itaque, aut vt negationem opponi, aut priuationẽ. Alterius igitur nõ contingit (cur enim magis magni quàm parui?) amborum ergo priuatiua negatio. ideo ipsum vtrum ad ambo, non ad alterum solum dicitur. vtputa, vtrum maius an æquale, vel vtrum æquale an minus, sed tria semper. Non autem priuatio necessario. etenim non omne, quod nõ maius, aut minus æquale est, sed in quibus apta natura sunt illa esse. Est igitur æquale, quod, cùm nec magnum, nec paruum sit, natura tamen aptum est magnũ, aut paruum esse, & ambobus, tanquam priuatiua negatio opponitur: ideo & medium est, & quod nec bonum, nec malum est, ambobus opponitur, verum innominatum est. multipliciter nanque vtrunq; dicitur, & susceptiuum non est vnum, sed magis, quod nec album, neq; nigrũ, neque tamen hoc dicitur vnum, sed determinati quod ammodo colores sunt, de quibus priuatiue hæc negatio dicitur. necesse est enim, aut fuscũ, aut pallidum, aut huiuscemodi aliquid aliud determinatum esse. Quare non recte reprehendunt, qui similiter putant omnia dici, vt calcei & manus medium sit, quod neque calceus, neque manus est, quandoquidem & quod nec bonum, nec malum est boni & mali, ac si omnium esset aliquod medium. Verum non est necesse, vt hoc accidat. etenim hæc negatio simul oppositorum est, & quorum aliquod medium, ac aliqua distantia natura apta est esse. illorum autem nõ est differentia. in alio enim genere ea sunt, quorum simul erant negationes: quare quod subiicitur, non est vnum.

Tex. 19.

*Quo pacto vnum, & multa opponantur.*

*Cap. V.*

SImiliter autem de vno & multis quispiam dubitare possit. Etenim, si multa vni simpliciter opponuntur, accidũt quædam impossibilia vnum etenim paucũ, aut pauca erit. multa etenim pauci opponuntur. Præterea duo sunt multa (siquidem duplex multiplex) dicitur autem duplum à duobus. quare ipsum vnum paucum erit. ad quid enim ipsa duo dicerentur multa, nisi ad vnum & paucum? nihil nanque est minus. Præterea, si vt in longitudine longum & breue, ita in multitudine multum & paucum, & quodcunq. sit multum & multa, & rursus quæ multa etiam multum, nisi ergo in continuo facile terminabili differat, quod paucum est quædam multitudo erit, quare ipsum vnum multitudo quædam est, siquidẽ & paucum. hoc vero esse est, si ipsa duo multa sunt. Verum fortasis multa dicuntur quidem sicuti & multum sed vt differens: veluti aqua multum. multa vero minime, sed quæcunque diuisibilia sunt in his dicuntur. vno quidẽ modo, si qua multitudo sit, excessum aut simpliciter, aut ad aliquid habẽs. pauciusque simpliciter, multitudo defectum habẽs, alio vero, vt numerus, qui solum vni opponitur. ita etenim dicimus vnum, aut multa quemadmodum siquis dicat vnũ & ipsa vna, aut album & ipsa al-

Tex 20. *Vide auer. in Epito. tract. 3.*

ba, & mensurata ad mensuram & mensuratum; sic & multiplicia dicuntur. multa nanque vnusquisque numerus, quia vnius, & quia vnusquisq. mensurabilis, & tanquam vni, non pauco oppositus. Hoc itaq. modo multa sunt & ipsa duo: tanquam vero multitudo, aut ad aliquid, aut simpliciter excessum habens non sunt, sed prima. simpliciter vero sunt pauca ipsa duo: multitudo nanque est prima defectum habens. Quare non recte fuerit dicens Anaxagoras, quòd simul cunctæ res erant, multitudine & paruitate infinitæ. oportebat nanq. pro paruitate dicere, & paucitate. non enim infinitæ, cùm paucum non propter vnum, Tex 21. vt quidam aiunt, sed propter duo. ¶ Opponuntur autem vnum & multa, quæ in numeris, vt mensura mensurato: hæc vero, vt ea, quæ ad aliquid, quæcunque eorum, quæ ad aliquid non secundum se. distinctum autem à nobis in aliis est, quòd ea, quæ ad aliquid, dupliciter dicuntur. quædam vt contraria quædam vt scientia ad scibile, eò quòd aliquid aliud dicatur ad ipsum. Vnū vero aliquo minus esse, vtputa duobus nihil prohibet. non enim si minus est, etiam paucum est. Multitudo autem quasi genus numeri est. numerus etenim est multitudo vno mensurabilis. Et quodammodo vnum & numerus opponuntur, non vt contraria, sed quemadmodū dictum est, vt quædam eorum, quæ ad aliquid. quatenus enim hoc quidem mensura, illud vero mensurabile, eatenus opponuntur. Ideo non omne, quod vnum sit, numerus est, vtputa, si quid indiuisibile sit. Cum autem similiter dicatur scientia ad scibile, non similiter assignatur. videri nanque posset scientia quidem mensura esse, scibile vero quod mensuratur. accidit autem omnem quidem scientiam scibile esse, scibile non



non omne scientiam esse, eò quòd modo quodam scientia scibili mensuratur. Multitudo autem neque pauco contraria est, sed huic multū, tanquam excedens multitudini. nec vni omnino, sed hoc quidem, vt dictum est, quod diuisibile, hoc indiuisibilem, tanquā ad aliquid, quemadmodum scientia scibili, si fuerit numerus, vnum vero mensura est.

*Media contrariorum in eodem genere cum ipsis contrariis esse, ac ex ipsis componi. Cap. VI.*

CVm vero contrariorum contingat aliquid medium esse, & quorundam sit, necesse ex contrariis media esse. Omnia enim media, & illa, quorum media sunt, in eodē genere sunt. Media nanque illa dicimus, in quæ necesse est primo transmutari, quod transmutetur, vtputa si ab vltima ad primam paulatim pertranseat, prius ad medios sonos veniet. & in coloribus, si ex albo ad nigrum veniat prius ad puniceum, & fuscum, quàm ad nigrum veniet. similiter autem & in aliis. Transmutari vero ex alio genere in aliud genus non est nisi secundum accidens, vt ex colore in figuram. necesse igitur vt media & sibi inuicem, & quorum media sunt in eodem genere sint. At vero omnia aliquorum oppositorū sunt. ex his nanque solis per se transmutari est. Quare impossibile est media esse non oppositorum. esset nanque profecto transmutatio etiam ex non oppositis. Oppositorum vero contradictionis quidem nullum est medium. Hoc enim est cōtradictio oppositio, cuius cum nihil habeat medium, circunque altera, pars adest. Cæterorum vero quædam ad aliquid, quædam priuatio, quædam cōtraria sunt. Horum vero, quæ ad aliquid, quæcunq. non sunt contraria, non habent medium. causa vero, quia non in

Tex. 22. *Vide auer. in Epito. tract. 3.*

eodem genere sunt, quid nanque scientiæ & scibilis medium? verum magni & parui est. ¶ Quòd Tex.23.
si media in eodem genere sunt, vt ostensum est, contrariorum media necesse est ipsa ex his contrariis componi. Aut enim erit aliquod genus eorum, aut nullū & si genus quidem ita erit, vt aliquid prius contrarius sit, differentiæ priores contrariæ erunt, quæ faciunt contrarias species, tanquam generis ex genere nanq; & differentia species sunt, vtputa si album & nigrum contraria sunt: est autem illud segregatiuus color, hoc vero congregatiuus. hæ differentiæ congregatiuum & segregatiuū priores, quare priora inuicem cōtraria sunt. at vero quæ cōtraria differentiæ sunt, magis contraria sunt. cætera quoque & media ex genere & differentiis erunt, vtputa quicunq; colores medii inter albū & nigrum sunt, hos oportet vt & ex genere dicantur (est autem genus color) & ex quibusdam differentiis. hæ vero non erunt prima contraria. quod si secus, vnūquodque aut album, aut nigrum erit, ergo aliæ mediæ igitur primorū contrariorum hæc erunt. primæ vero differentiæ segregatiuum & congregatiuum. Quare hæc primum quærendum est, quæcunque contraria non in genere, ex quo media eorū. Quæ enim in eodem genere sunt, necesse est vt aut ex incompositis genere componantur, aut incomposita sint, & quidem contraria inuicem incomposita, propterea quòd principia sunt, media vero, aut omnia, aut nullum, ex contrariis vero aliquid fit: quare erit in hoc transmutatio, ante quàm in illa, vtroq; enim & magis & minus erit. medium igitur contrariorum hoc etiam erit. Ergo cætera quoque media composita sunt. id enim, quod vno minus, altero magis est, compositum ex illis quod



quodammodo est, quorum vno minus, altero magis dicitur esse. Cum vero contrariorū alia priora eiusdem generis non sint, omnia media profecto ex contrariis erunt: quare & omnia inferiora, tum contraria, tum media, ex primis contrariis erunt. ¶ Et quidem quòd cuncta media in Tex.24.
eodem genere, & contrariorum media sint, ac ex contrariis componantur patet.

*Differentiæ secundum speciem contrarietatem esse. Cap. VII.*

DIuersum autem specie ac aliquo diuersum aliquid est, & hoc ambobus inesse oportet. vt si animal specie diuersum, ambo animalia. necesse est igitur in eodem genere esse, quæ specie diuersa sunt. Huiusce modi enim appello genus, quo vnū & idem ambo dicuntur, non secundum accidens differentiam habens, siue vt materia existens, siue vt aliter. etenim non solum commune oportet existere, vt ambo animalia, verum etiam vtique diuersum hoc ipsum animal: vt hoc quidem equum, hoc vero hominem, quare hoc commune diuersum specie vicissim est. erit itaque secundum se hoc quidem tale quid animal, hoc vero tale quid: vt hoc quidem equus, hoc verò homo. Necesse igitur hāc differentiam generis diuersitatem esse: dico nanque differentiam generis diuersitatem, quæ diuersum hoc ipsum facit. Contrarietas igitur hæc erit. Patet autem ex inductione: cuncta nāque oppositis diuiduntur, & quòd cōtraria in eodem genere sint ostensum est. cōtrarietas enim perfecta differentia erat: omnis vero specie differentia est alicuius aliquid: quare hoc & idem, & genus in ambobus. ideo in eadem coordinatione prædicamenti sunt omnia contraria, quecūque non ge-

nere differunt, & inuicem maximè diuersa. perfecta nanq; differentia, & simul inuicem nõ fiunt. Differentia ergo cõtrarietas est. Hoc enim est diuersa specie esse, quòd, cùm in eodẽ genere sint, contrarietatem habent, induidua existentia. Eadem autem specie, quecunq; contrarietatem non habent, induidua existentia. in diuisione nanque, & in medijs fiunt contrarietates, antequam ad individua deueniatur. Quare manifestum est, quòd ad id, quod vocatur genus, nec eadem, neq; diuersa specie, vila, quæ vt generis species, conueniunt, materia nanq; negatione ostenditur genus vero materia eius est, cuius genus dicitur, nõ vt quod Heraclidarum, sed vt quod est in natura. Nec ad ea, quæ non in eodem genere sunt, sed ab illis genere different, specie vero ab his, quæ in eodem genere sunt. etenim differentiam necesse est esse cõtrarietatem eius, à quo specie differt: hæc autem his solis inest, quæ in eodem genere sunt.

*Vide Lõtra Zim.*

*Dubitationis solutio, cur quædam contrarietas diuersa specie faciat: quædam vero non. Et an materia, diuersa specie faciat, vel ne. Cap. VIII.*

Tex.25. *Vide auer. in Epi. tractatio.*

DVbitabit autem quispiam, cur mulier à viro nõ specie differat, cùm mas, & fœmina contraria existant, differentia vero contrarietas sit, neque diuersum specie animal masculus, & fœmina, cùm tamen hæc differentia per se animalis sit, & non vt albedo aut nigredo sed quatenus animalis. & masculus, & fœmina existant. Hæc autem dubitatio fere eadem est, & cur hæc quidem contrarietas diuersa specie faciat, hæc vero non, vt gressibile, & volutere, albedo vero & nigredo non. An, quoniam illa quidem propriæ passiones



nes generis sunt, hæc vero minimè. & cùm illud quidem ratio, hoc vero materia sit, quæcunque in ratione cõtrarietates sunt, specie differentiam faciunt: quæcunque vero in coassumpto materiæ, minimè faciunt. Quare hominis albedo, vel nigredo non faciet, nec hominis albi ad hominem nigrum secundum speciem differentia est, etiam si vnum nomen ponatur, homo nanque vt materia est. materia vero nõ facit differentiam. non enim hominis species sunt homines. Quare & si carnes. & ossa, ex quibus hic, & hic est, diuersa sint, attamen totum diuersum quidem, specie vero non est diuersum, quoniam in ratione non est contrarietas. hoc autem est vltimum indiuiduum. Callias vero ratio cum materia est, & albus homo, quoniam Callias albus. per accidens igitur homo est albus. Nec æneus, & ligneus circulus, siue triangulus æneus, & circulus ligneus ob materiam specie differunt, sed quoniã in ratione contrarietas inest. Vtrum autem materia nõ faciat diuersa specie, cùm quodammodo diuersa sit? An aliquo modo facit? Cur enim hic equus ab hoc homine diuersus specie, cùm rationes eorum cum materia sint? An quoniam in ratione contrarietas inest? etenim hominis albi, & equi nigri specie diuersitas est. non tamen prout hic quidem albus, hic vero niger: siquidem & si ambo albi essent, nihil minus specie diuersi essent. Masculus autem & fœmina propriæ quidem animalis passiones sunt, sed non secundum substantiam, verũ in materia, & corpore. quare idem semen aliquam passionem, aut fœmina, aut mas fit. ¶ Quid igitur sit specie diuersum esse, & cur quædam specie differant, quædam non, dictum est. Tex.26.

*Quæ sint contraria, quæ genericam faciant differentiam. Cap. IX.*

CVm vero contraria specie diuersa sint, corruptibile autem & incorruptibile cõtraria sunt (priuatio nanque determinata impotẽtia) necesse est diuersum genere esse corruptibile & incorruptibile. Nunc quidẽ in ipsis vniuersalibus nominibus diximus: quare videbitur vtique nõ esse necesse quodcũq; corruptibile & incorruptibile, diuersa specie esse, quemadmodũ nec album, & nigrum. Idem enim contingit & simul esse, modo vniuersalium sit, sicuti homo profecto esse possit albus & niger. & singulariũ fuerit idẽ (non simul) & albus & niger. tametsi albũ nigro cõtrariũ sit. Verum cõtrariorũ quædam secundũ accidẽs quibusdam insunt, vt ea quæ nunc dicta sunt, ac alia multa. quædã impossibile est, quorũ est corruptibile & incorruptibile. nil enim secundum accidens corruptibile est, accidens nanq; cõtingit non esse: corruptibile vero corũ est, quæ necessario insunt his, quibus insunt, aut vnũ & idem corruptibile & incorruptibile erit, si contingit non inesse ei corruptibile. Aut substantiã igitur, aut in substantia cuique corruptibiliũ necesse est corruptibile esse. Eadẽ autẽ ratio & de incorruptibili est. eorũ enim ambo sunt, quæ necessario insunt. Prout igitur & secũdum ꝙ primũ hoc quidẽ corruptibile, illud vero incorruptibile, oppositionem habent: quare necesse est genere diuersa esse. manifestum itaq; est ꝙ nõ contingit tales formas esse, quales quidam aiunt. erit nanq. & ipse homo hic quidẽ corruptibilis, ille vero incorruptibilis. quamuis formæ eædem specie cum partibus ijsdem esse dicantur, & non æquinocæ. quæ vero genere diuersa sunt, plus distant, quàm quæ specie.

ARIST.



# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER VNDECIMVS.

## *SVMMAE LIBRI.*

*In Prima reassumuntur dubitationes de quibus in Tertio libro habitus est sermo.*

*In Secunda narrantur ea, quæ ad huius scientiæ considerationem pertinent: de quibus in Quarto libro. ex his autem nonnullarum quæstionum supradictarum solutiones eliciuntur.*

*In Tertia ex ratione considerandi ac definiendi modo annotatur huiusce scientiæ ad alias differentia quarum hic fit diuisio. Item ens per accidens à scientiarum consideratione abiicitur: de quibus omnibus in Sexto.*

*In Quarta agitur de Motu, de infinito, de Diuisionibus motus, & de nonnullarum definitionibus: de quibus omnibus in Tertio, & Quinto Physicorum.*

## *SVMMA PRIMA.*

Mouentur dubitationes circa Sapientiæ consi-

dubitationem. Cap. I.

VOlet quidem Sapientia scientia quædam circa principia est, patet ex primis, in quibus ad ea, quæ ab aliis de principiis dicta fuerunt, dubitatum est. Ambigat autem quispiam vtrum, ipsam Sapientiam par sit vnam esse scientiam, an plures. si enim vnam, vna certè semper contrariorum est. at principia contraria non sunt, quod si non vnam, quales has ponere oportet. Item demonstratiua principia speculari vtrum vnius est, an plurium. nam si vnius, cur huius magis quàm cuiuscunque quod si plurium, quales hos ponere oportet. Præterea, vtrum omnium substantiarum, an non. nam si omnium, difficile erit qualiumnam sit reddere. si autem non omnium vna. incertum est quonammodo cõtingit plurium eandẽ scientiam esse. Præterea, vtrum circa substantias solum, an etiam circa accidentia, si enim circa accidentia demonstratio est, circa substantias non est, quòd si altera, quænam vtraque, & vera sapientia sit demonstratiua enim sapientia, quæ circa accidentia est: quæ vero circa ipsa prima, quæ substantiarũ est. At nec circa causas, quæ in Physicis dictæ sunt, quàm quærimus, scientia ponenda est. neque enim circa ipsum cuius causa. tale enim est bonum. hoc vero in agendis, & his, quæ sunt in motu, existit. & hoc primum mouet. tale nanque finis est. in immobilibus vero primum mouens non est. Et omnino dubitationem habet, vtrum circa sensibiles substantias est, quæ nunc quæritur, scientia, an non, sed circa alias quasdam, etenim si circa alias, aut circa formas erit profecto, aut circa mathematica, quòd



quod autem formæ non sint, manifestum est. Attamen etiam siquis eas ponat esse, dubitationem habet cur non ita se habet de exteris, quorum formæ sunt, quemadmodum de mathematicis? dico autem quod mathematica quidem, media ponunt formarum & sensibilium esse, quasi tertia quædam præter formas, & ea, quæ hic sunt. ac tertius homo non est, nec equus præter ipsum, & particulares. Quòd si, vt aiunt, non sunt, circa quæ ponendum est. quod Mathematicus tractet? non enim circa ea, quæ hic sunt. nihil enim horum tale est, quale Mathematicæ scientiæ quærunt. At vero nec circa mathematica est, quæ nũc quæritur scientia. nihil enim horum separatum est. Verum nec sensibilium substantiarum, corruptibiles nanque sunt. Et omnino dubitare aliquis possit qualisnam scientiæ sit, de Mathematicorum materia dubitare, nec enim Naturalis, eò quod circa ea, quæ in se principium motus & quietis habent omnia Naturalis intentio est. Nec illius, quæ de demonstratione, & scientia tractat. circa nanque idipsum genus considerationem facit. Reftat itaque Philosophiam propositam de hisce rebus tractare. Dubitauerit autem quispiam profectò, si hæc, quæ quæritur, scientia ponenda sit circa principia, quæ à quibusdam elementa vocantur, hæc autem omnes ineſſe compositis ponunt. At magis videatur vniuersalium eam oportere esse, quæ quæritur scientia. omnis enim ratio, omnisque scientia vniuersalium, non vltimorum est. quare sic erit vtique primorum generum. hæc autem sanè fuerit ens, & vnum. hæc enim maximè putabuntur cuncta entia continere, & maximè principiis assimilari, eò quòd natura prima sint. corruptis nanque eis simul cæte-

ra quoque pereunt. omne enim, ens & vnū. Quatenus autem necesse est, vt differentiæ participēt his. si quis hæc genera ponat, nulla vero differentia participat genere, hoc pacto non videbitur ea genera ponere, neque principia. Item si magis principium est, quod simplicius, quàm quod minus tale sit, vltima vero eorum, quæ ex genere sunt simpliciora, quam genera sint (hæc enim indiuidua sunt: genera vero in plures species, & differentes diuiduntur) magis species, quàm genera videantur principium esse. quatenus vero species simul cum generibus pereunt genera magis assimilantur principiis. principium nanque est, quod cointerimit. Hæc vtique & huiusce modi alia sunt, quæ dubitationem habent.

*Proponuntur dubitationes de rebus iis, quæ ab, hac scientia considerari dicuntur.*

*Cap. II.*

ITem vtrum ponendum est quicquam præter particularia, an non, sed horum est, quæ quæritur scientia. at hæc infinita sunt. quæ vero præter singularia sunt, aut genera aut species sunt. neutrius autem horum, quæ quæritur, scientia est. cur enim hoc impossibile sit, dictum est. Etenim omnino hæsitationem habet, vtrum arbitrandū sit aliquam separatam substantiam præter sensibiles substantias, & has quæ hic sunt, an non, sed illa esse entia, & circa illa Sapientiam versari. quærere nanque videmur aliam quandam, & hoc est nobis propositum. dico autem videre siquid per se separabile sit, & in nullo sensibilium existens. Item, si præter sensibiles substantias est aliqua alia substantia, præter quales sensibiles ea ponenda esset. cur enim magis præter homines, quàm præter equos, aut alia animalia, aut omnino etiam



etiam inanimata ponenda sit? at his sensibilibus, & corruptibilibus substantiis alias sempiternas æquales ponere profecto extra rationem cadere videretur. Quòd si id, quod nunc quæritur principium non est à corporibus separabile, quod aliud magis, quàm materiam quis ponet? at hæc actu quidem non est, potentia vero est. Magis itaque, ac principalius ea videatur esse principium species & forma. verum hæc quoque corruptibilis est. quare omnino non est perpetua substantia, & per se separabilis. Sed hoc inconueniens est. videtur nanque esse, ac ab ipsis maximè * gratia præditis quæritur, tanquam sit tale principium, ac talis substantia. Quo nanque pacto ordo erit non existente aliquo perpetuo separato, ac permanente? Item si est aliqua substantia, & principium naturale, quale nunc quærimus, & hoc omnibus vnū, & idem perpetuis, atque corruptibilibus, dubitationem habet, cur cum idem principium sit, quædā, quæ sub illo principio sunt, æterna sunt, quædam non. hoc enim inconueniens est. Et si aliud quidem corruptibiliū principium, aliud æternorum est. si etiā corruptibilium æternum est similiter dubitabimus. Cur enim principio æterno existēte, æterna quæ sub æterno sunt? corruptibili verò existēte, aliud quoddam huius principium sit, & illius aliud, & hoc in infinitum proceder. Quòd siquis rursus (quæ maxime videntur immobilia principia esse) ens & vnum ponat, primo quidem nisi quod quid & substantiā vtrunque eorum significet, quomodo separabilia, & per seipsa erunt? talia nanque prima, & æterna principia quærimus. Quòd si substantiam & quod quid vtrunq; eorum significet, omnia entia substantiæ sunt, cum de omnibus ens prædicetur. de

* *Elegantissimis.*

quibusdam verò etiam vnum. cuncta vero entia substãtiã esse falsum est. Itẽ illius, qui primũ principiũ ipsum vnũ aiunt. & hoc substantiam esse, ex vno vero & materia primo numerum generant, & hunc substantiam esse dicunt, quomodo contingit verũ esse quod dicitur? Dualitatẽ nanq. & exterorum compositorũ numerorũ vnũquenq. quonã modo vnum intelligere oportet? de hoc enim nec dicunt aliquid, nec vt dicant facile est. Siquis vero lineas, aut quæ has sequuntur (dico autem primas superficies) principia esse ponat, hæ non sunt substantiæ separabiles, verum sectiones & diuisiones, illæ quidem superficierum, hæ vero corporum. puncta vero linearum sunt, & etiam ipsarum earundem termini. hæc autem omnia in aliis sunt, & nihil separabile est. Item quonam modo arbitrari oportet vnius & puncti substantiam esse? omnis nanque substantiæ generatio est, puncti vero minimé. punctum enim diuisio est. Præbet autem dubitationem hoc etiam, quòd omnis quidem scientia vniuersalium est, & eius, quod male est: substantiam vero nõ esse vniuersalium, sed magis ipsum quod quid & separabile, quare, si scientia circa principia est, quonammodo arbitrari oportet principium substantiam esse? Item, vtrum est aliquid præter ipsum totũ, an nõ. dico autem materiam, & quod cum ea est. Nam si non est, quæ in materia sunt, omnia corruptibilia sunt, quod si est aliquid, species & forma profecto fuerit. hoc itaque in quibus est, in quibusue non est, difficile determinare est. in quibusdam enim manifestum est non esse formam separabilem, vtputa domo. Item principia, vtrum specie, an numero eadem sint. si enim numero vnum, omnia erunt eadem.





## SVMMA SECVNDA.

Narrantur ea, quæ ad huius scientiæ considerationem pertinent, de quibus in Quarto libro. Ex iis autem nonnullarum quæstionum supradictarũ solutiones eliciuntur.

*Primam Philosophiam de ente, prout est ens, speculari: quod vt ea, quæ ab vno, vel ad vnum dicitur.*

### Cap. 1.

*Prima Philosophiaens vt ens vniuersaliter & non secũdum partẽ considerat.*

QVm autem Philosophi scientia sit entis prout ens, vniuersaliter, & non secundum partem. ens vero multipliciter, & non secundum vnum modum dicatur, si æquiuocum, & non secundum aliquid commune dicitur, non est sub vna scientia: talium enim non est vnum genus. quòd si secundum aliquod commune, erit vtique sub vna scientia. Videtur autem prædicto modo dici, quemadmodum medicatiuum & salubre. etenim vtrunque horũ multipliciter dicitur, dicitur nanque hoc modo vnumquodque eorũ, eò quòd hoc quidẽ ad medicandi scientiã quodammodo referatur, hoc vero ad sanitatem, hoc vero aliter, vnumquodque vero ad idem medicatiuus nãque sermo, & cultellus dicitur. eò quòd ille quidem à medicandi scientia, hic vero ei vtilis. similiter & salubre. hoc enim, quia sanitatis significatiuũ. hoc vero, quoniam factiuũ: idem autẽ modus, & de cæteris est. Eòdem autẽ modo & omne ens dicitur. eo nanq. quòd entis, prout ens est, passio aut habitus, aut dispositio, aut motus, aut aliquid huiusce modi dicitur ẽs vnũquodq. eorũ. Cũ autẽ omnis entis ad

tis ad vnũ quid & cõmune reductio fiat, cõtrarietatũ quoq. singulæ ad primas differentias, & contrarietates entis reducẽtur, siue multitudo & vnũ, siue similitudo & dissimilitudo primæ sunt entis differẽtiæ, siue aliquæ aliæ, sint autem hæ speculatione perceptæ. Nihil autẽ interest ad ens, vel ad vnum entis reductionem fieri etenim si non idẽ sed aliud sit attamen conuertitur. & ipsum enim vnum quodãmodo ens, & ipsum ens vnum est. Cũ autẽ vnius & eiusdẽ scientiæ sit cũcta cõtraria speculari, vnũquodq. autẽ horũ secundũ priuationẽ dicatur, quorũ aliquid intermedium est, quẽadmodũ iusti & iniusti dubitauerit quispiã quonã modo secundũ priuationẽ dicãtur. Circa omnia talia sanè priuatio ponẽda nõ totius rationis, sed vltimæ speciei. vtputa si iustus est secundum habitum quendã legibus obtẽperãs, iniustus nõ erit omnino tota ratione priuatus. circa vero obedientiam legũ defectũs, aliquo pacto, & ob hoc ei priuatio inerit, eodẽ autẽ modo & de aliis. Quemadmodũ autem Mathematicus circa ãbstracta speculatur: tollendo nanque omnia sensibilia, ita speculatur, vtputa grauitatẽ & leuitatẽ, duritiẽ & contrariũ, itẽ autẽ caliditatẽ & frigiditatẽ, & cæteras sensibiles contrarietates: solũ vero dimittit quantũ & continuũ, horũ quidẽ ad vnũ, horum vero ad duo, horũ autem ad tria, & passiones eorũ prout quanta & cõtinua sunt, non prout aliquid aliud speculatur, & horũ quidẽ situs adinuicẽ considerat, & ea quæ eis insunt: horũ vero cõmẽsurationes & incõmẽsurationes, horũ autẽ rationes, attamẽ vnã omniũ, & eandẽ scientiã ponimus Geometriam: eodẽ modo etiã circa ens se habet. Quæ enim ei prout ens est accidunt, & eius prout ens cõtrarietates, non est alterius scientiæ, quàm Philosophiæ speculari. Naturali nanq. speculatione de eis non prout entia, sed prout motu participãt, attribuere queat quispiam. Dialectica vero, & Sophistica de his quæ accidunt quidem entibus sunt, verum non prout entia sunt, nec circa ipsum ens prout ens est. vnde restat Philosophum esse circa prædicta speculatiuum, prout entia sunt. Cùm vero & omne ens secundum vnum quid & commune dicatur, multipliciter dictum, contraria quoque eodem modo (ad primas nanque contrarietates, & differentias entis reducuntur) huiusce modi vero possibile sit sub vna scientia esse, soluetur profectò dubitatio à principio dicta. dico autem in qua dubitatur, quonam modo multorum & genere differentium vna quædam scientia erit.

*Primum Philosophum versari circa communia principia in vniuersum. Cap. 11.*

QVm autem etiã Mathematicus proprie specialiter communibus vtatur, horum quoque principia speculari primæ Philosophiæ profecto erit. quod enim ab æqualibus dẽptis æqualibus, æqualia sunt, quæ restant commune quidem in omnibus quãtis est. Mathematica vero accipiẽs, circa quandam suæ materiæ partem speculatur, vt circa lineas, aut angulos, aut numeros, aut aliquid cæterorum quantorum: non tamẽ prout entia, sed prout vnumquodque horum ad vnum, vel duo, vel tria continuum est. Philosophia vero de particularibus quidem, prout vnicuique horum aliquid accidit, non considerat: circa vero ens prout ens, vnumquodque horum speculatur. Eodem autem modo circa etiam Naturalem scientiam se habet, quo Mathematica. Naturalis nanque accidentia & principia entium prout mouentur, & non prout entia sunt, speculatur, primam vero

*Vide 12. meta. cõ. 5.*

*Vide 7. meta cõm. 9.*

vero scientiam horum diximus esse, prout ipsa subiecta entia sunt, & modo prout aliquid aliud. Propter quòd & illam, & Mathematicam scientiam sapientiæ partes esse ponendum est.

*Quod circa primum principium non contingat falsum dicere: redarguuntúrque illi qui aliter senserint.*

*Cap. III.*

EST autem aliquod in entibus principium, circa quod dicere falsum non erit, sed necesse est semper contrarium facere. dico autem verum dicere, vt puta quòd non contingit idem secundum vnum. & idem tempus esse, & non esse: & cætera eodem atque hæc, opposita, & de his talibus simpliciter quidem demonstratio non est, ad aliquem autem est. non est enim ex certiore principio syllogismum ipsius eiusdem facere, quod esse oportet, si simpliciter demonstrare esset. Ad illum vero qui dicit locutiones oppositas, accipiendum est ab eo, qui monstrat hoc falsum esse aliquid tale, quod idem erit quidem ei, quod non contingit secundum vnum & idem tempus idem esse, & non esse, non autem appareat idem esse. sic enim solummodo demonstretur ad eum, qui dicat oppositas locutiones de eodem verificari. Qui autem sermonem inuicem communicaturi sunt, oportet vt aliquatenus inuicem intelligant. hoc enim non facto, quomodo erit eis inuicem sermonis communicatio? Oportet igitur nominum vnumquodque notum esse, & aliquid significare, nec multa, sed vnum. quòd si plura significet, manifestare ad quod eorum nomen fert. Qui igitur dicit esse hoc & non esse hoc, quod omnino esse dicit, non dicit, quare id, quod nomen significat, idipsum non significare dicit, hoc autem impossi



possibile est. vnde siquidem significat aliquid, hoc scilicet esse hoc, impossibile est contradictionem de eodem verificari. Item, si nomen aliquid significat, & hoc verificatur, oportet hoc necessario esse, quod vero necessario est nō contingit tunc non esse. oppositas ergo non est possibile locutiones de eodem verificari Item, si nihil magis affirmatio, quàm negatio verificatur, qui dicit hominem, vel non hominem, nihil magis verum dicet. attamē videri potest, quòd si hominem non equum esse dicat, aut magis, aut non minus verum dicere quàm si non hominē. vnde etiā, si eundē dicit equū esse, verū dicet, oppositas enim similiter erit veras esse. accidit igitur eundē, & hominē, & equū esse, aut cæterorū animalū aliquod. Horū tamē nulla est simpliciter demōstratio, verū ad eū, qui hæc ponit demonstratio est. Facile autē & ipsum Heraclitū quispiam hoc modo interrogans concedere cogeret nunquā possibile esse oppositas locutiones de eodem verificari. nūc vero, cum seipsum quidnam diceret, non intelligeret, hanc opinionē habuit. Omnino autem si hoc, q od ab eo dicitur, verum est, nec hoc ipsum verum erit, scilicet inquam, quòd contingit idem secundum vnum, & idem tempus esse. Quemadmodum enim &ipsis dictis nihil magis affirmatio quàm negatio verificatur: eodem modo simul vtroque, ac complexo, ac si vna quædam affirmatio esset, nihil, magis negatio, quàm totum tanquam in affirmatione positum verificabitur. Itē, si nihil est vere asserere, id etiā ipsum falsum erit dicere, assertionem nullam veram esse. quòd si aliquid sit, soluetur propositio, quod ab aliis dicitur, qui ad huiusce modi iustiā, & quæ totalitas ipsum disputare permunt.

Redar

*Redarguitur Protagoræ opinio, falsa. asserentis omne, quod opinamur verum esse: assignaturque deceptionis ipsius causa. Cap. IIII.*

*Protagoras aiebat hominem omnium rerũ esse, mensuram. Idem x. Meta. 5.*

SImile autem dictis est & quod à Protagora dictum est, & ille nanque omnium rerum mensuram hominem aiebat esse: nihil aliud dicens, nisi quòd id, quod vnicuique apparet, hoc etiam indubitato esse, hoc autem posito, idem accidit esse, & non esse, & malum & bonum esse, & cætera, quæ secundum oppositas locutiones dicuntur: propterea quòd plerũque his quidem hoc appareat, istis vero contrarium esse bonum mensuram autem esse, quòd vnicuique appareat. Soluetur autem hec dubitatio, viso vnde huius opinionis principium venit. Videtur etenim quibusdam quidem ex Naturalium opinione sumpsisse principium, quibusdam vero ex eo quòd non omnes eadem de eisdem cognoscant, sed quibusdam hoc apparere delectabile, quibusdam contrarium. nihil enim ex non ente fieri, omne vero ex ente fere omnium Naturalium est decretum. Cũm igitur non album ex perfecte albo fiat, & minimè ex non albo, nunc vero factum non album, si fieret ex non ente albo, quod fit non album fieret profecto ex non ente secundum illos, si non erat idem album & non album. Non est autem difficile hanc dubitationem soluere. dictum est enim in Naturalibus, quomodo ex non ente, & quomodo ex ente fiant quæ fiunt. At similiter vtrisque opinionibus, ac imaginationibus eorum qui sibi ex aduerso addubitant, attendere stolidum est. manifestum est enim, quod alteros eorum necesse est falsum dicere. Hoc etiam ex illis patet, quæ secundũ sensum fiunt. nunquam enim

*Nihil ex nõ ente, omne verò ex ente fieri cõmune est. Naturaliũ decretum. Idem 1. Ph. te. 34.*



enim idem quibusdam dulce, quibusdam cõtrarium apparet. non corruptis, & læsis alteris organo sensus & iudicatiuo prædictorum saporum. hoc autem ita se habente, alteros quidem putandum mensuram esse, alteros vero minimè. Similiter autem & de bono, & malo, & turpi, & aliis huiusce modi dico. nam non ponere esse, nisi ea quæ apparent, nihil differt ab his, qui digitum visui supponentes, ex vno duo apparere faciunt, ac duo esse putãt propterea, quod tot apparẽt & rursus vnũ. illis nanque, qui visum non mouẽt vnum apparet, quod vnũ est. Simpliciter autem incõueniens est ex eo, quod præsentia videntur mutabilia, & nunquã in eisdem permanẽtia, ex hoc de veritate iudicare oportet etenim ex eis, quæ semper similiter se habẽt, nullámq; mutationẽ faciũt veritatẽ venari. talia vero sunt, quæ in mundo. hæc enim non quandóq; quidem talia, rursus autem alia apparent, verũ semper eadẽ, nullius mutationis participantia. Præterea, si motus, & aliquid motũ est, omne vero ex aliquo in aliquod mouetur. oportet igitur, quod mouetur esse adhuc in eo ex quo mouetur, & non esse in eo, & ad hoc moueri, ac fieri in eo aut contradictionem non verificari secundũ eos. At si secundum quantum præsentia fluunt & mouentur, & hoc aliquis ponat, quamuis verum non sit, cur secundum quale non manent? Videntur autem haud minimè ea, quæ secundum contradictiones sunt de eodẽ prædicari ex eo, quod putant quantum in corporibus non manere. propterea, quod idem & quatuor cubitorum est, & non est. substantia vero secundum quale. hoc enim determinatæ naturæ quantum vero indeterminatæ est. Item cur cũm hunc cibum præcipiat medicus, sumunt? quid nanque

*Veritas ex quibus.*

magis hoc, panis quàm non panis sit? quare nihil differt comedere, vel nō comedere. nunc vero tāquam verum dicēte circa idipsum, & hoc cibo existente. qui præceptus fuit, sumunt illum. at non oportebat. cùm nulla natura in sensibilibus firmiter maneat, sed omnes semper fluāt, ac mutentur. Item si semper quidē alteremur, & nunquam idem permaneamus, quid mirum, si nunquam nobis eadem apparent, quē admodū etiam ægrotis? etenim his eo quòd non similiter dispositus habitus eorum sit, vt cùm sanierant. non ea apparent similia, quæ secundum sensus, cùm ipsa quidem sensibilia nullam mutationem propter hoc participent, diuersas tamen ægrotis, & non easdem sensationes faciunt. Eodem igitur modo fortasse necesse est se habere, si dicta mutatio fit. Quòd si nō mutamur, sed idem permaneamus, sit aliquid profecto permanens.

*Sensibilia omnia semper mutari.*

*Quibus supradicta opinantibus eum difficultatem facilius sit occurrere. Item locutiones omnes nec veras nec falsas esse posibile esse. Caput V.*

AD eos igitur, qui ex ratione prædictas dubitationes habent, non est facile dissoluere, si nihil ponāt, nec huius rationem quærāt. hoc enim modo omnis ratio, omnisque demonstratio fit, si enim nihil ponūt, ipsum disputare, & omnino oratione perimūt, quare ad eos quidē non est sermo. ad illos vero qui hæsitant, facile est ex iam traditis dubitationibus obuiare, & ea dissoluere, quæ faciunt in eis dubitationē. vt ex prædictis patet. Quare manifestum est ex his, quòd non est posibile locutiones oppositas de eodem, vno & eodē tempore verificari: nec ipsa contraria, cùm omnis contrarietas secundum priuationem dicatur. hoc autem patebit, resoluentibus ad principium



ipsium rationes contrariorum. Similiter nec mediorum quicquam posibile est de vno & eodem prædicari, si enim album sit aliquod subiectum dicentes illud, nec nigrum, nec album, falsum dicimus. accidet enim illud, albū esse, & non esse. alterum enim cōplexorum de eo verificabitur. hoc autem est albi contradictio. Neque igitur secundum Heraclitū dicentibus, vera dicere posibile est, neque secundum Anaxagoram aliter accidet contraria de eodem prædicari. cùm enim in omni re dicat omnis rei partem esse, non magis dicit esse dulce, quàm amarum aut quancunque cæterarum contrarietatum, si omnia quidem non solum in omni potentia, verumetiā actu, & seiunctim insunt. Similiter autē nec omnes locutiones falsas nec veras posibile est esse. cum propter alias multas difficultates, quæ ob hanc positionem euenirent: tum etiam quoniam si cunctæ falsæ sint, nec cùm hoc ipsum aliquis dicet, verum dicet. si autem vere, cùm omnes falsas dicet, non falsum dicet.

## *SVMMA TERTIA.*

Annotatur Primæ philosophiæ ad alias scientias differentia. Item ens per accidens à scientiarum considerationē abiicitur: de quibus omnibus supra in Sexto.

*Primam Philosophiā ab aliis differre scientiis, quarum hic fit diuisio, ex considerandi ratione, ac definiendi modo. Caput I.*

OMnis autē scientia circa vnūquodq. eorū, quæ sub ea scibilia sūt, principia quædā & causas quærit, vt Medicatiua, & exercitiua, ac singulæ Effectiuarū, vel Mathematicarū. harū et-

enim vnaquæque circa quoddã circunscriptũ ge-
nus, tanquã existens, & ens, non tamen prout ens
est tractat. sed hæc alia quædã scientia præter illas
scientias est dictarũ vero scientiarũ vnaquæque
accipiens aliquo modo ipsum quid est in vno-
quoque genere, cætera vel debilius, vel exactius
conatur ostendere. Accipiũt autẽ ipsum quid est
quædã per sensum, quædam supponẽtes. Vnde ex
hac inductione patet substãtiæ, & ipsius quid est
demonstratione non esse. Cùm autẽ sit aliqua de
natura scientia patet, & ab actiua & ab effecti-
ua diuersa erit. Effectiuæ nanque in faciente, non
in eo quod fit, motus principium est. & hoc aut ars
quædã aut alia vis est. Similiter & actiuæ, non in
eo quod agitur, sed magis in agentibus motus est.
Naturalis vero scientia circa ea quæ in seipsis ha-
bent motus principiũ est. Quòd itaq. neque acti-
uam, neq. effectiuam, sed speculatiuam esse Natu-
ralẽ scientiã necesse sit. ex his patet. in vnũ nan-
que horũ genus eam cadere necesse est. Cum ve-
ro vnicuique scientiarum necesse sit aliquo modo
ipsum quid est scire, & hoc vt principio vti e por-
tet non lateret quonãmodo definendũ. Naturali
sit, quoue modo substantiæ ratio tumenda sit, verũ
vt simum, an magis vt concauũ. horum enim si-
mi quidẽ ratio vna cum materia rei dicitur, con-
caui vero absque materia. simitas nanq. naso fit.
& ideo ratio quoque eius cum eo dicitur, simum
enim est nasus concauus. manifestum est igitur
etiam carnis, & oculi, cæterarũmque partiũ ratio-
nem cum materia reddendã esse. Cum autẽ quæ-
dam sit entis scientia, prout ens & separabile est,
considerandũ est vtrum eam eandem cum Na-
turali ponendum sit, an magis aliam. Naturalis
sanè circa ea est, quæ motus principium in seipsis



habent. Mathematica vero speculatiua quidem
est. & hæc quædam circa manentia, non tamen
separabilia. Circa separabile igitur ens, & immo-
bile alia præter has ambas scientia est, si aliqua
quidem talis substantia est. dico autẽ separabilis,
& immobilis, quod tẽtabimus ostendere. & si qua
tale in entibus natura sit, illic profecto diuinitas
erit. & hoc erit primum & principale principiũ.
Patet igitur tria genera speculatiuarũ esse scien-
tiarum, Naturalem, Mathematicã, Theologiam.
Optimum igitur speculatiuarum quidem scien-
tiarum genus, harum sanè ipsarum ea, quæ vlti-
mo dicta est circa nanque honorabilissimum en-
tiũ est. vnaquæque vero melior, aut deterior di-
citur secũdum proprium scibile. Dubitauerit au-
tem quispiam, vtrum entis prout ens est, scietiam
vniuersalem ponere oportet, an non. Mathema-
ticarum etenim vnaquæque circa vnum quod-
dam determinatum genus est. vniuersalis vero
communis de omnibus est. Si itaque naturales
substantiæ primæ sint entium ipsa quoque Natu-
ralis scientia prima scientiarum erit. quòd si alia
natura atque substantia separabilis, & immobi-
lis est necesse est vt scientia quoque eius alia sit,
& Naturalis prior, & vniuersalis prior.

*Ens per accidens à nulla considerari scientia: ipsum
que non habere causas nec principia. Nec etiam
de ente vero quærenda esse principia. Ité de For-
tuna causa per accidens existente.*

*Caput.* II.

CVm autem simpliciter ens pluribus esse mo-
dis dicatur, quorum vnus est, qui secundum
accidens dicitur esse, primo de ente hoc pacto
considerandum est. Quòd igitur nulla scientia-
rum, quæ traditæ sunt, circa accidens versetur,

patet. Nec enim ars ædificatoria, quidnam illi qui vsuri sunt domo, accidit, cõsiderat: vtpura si anxievel è contrario habitabunt, neq; textura, neque futura. quod vero propriũ sibiipsi est, solum vnaquæque istarum scientiarum considerat, hoc autem finis proprius est, neque quatenus musicũ & grammaticum. nec quod is, qui musicus est, factus grammaticus simul ambo erit, cùm prius non esset. quod autem cùm non semper esset, est, hoc fiebat. quare simul musicus, & grãmaticus fiebat. Hoc autem nulla earum, quæ certæ scientiæ sunt, quærit, præter Sophisticam. hæc enim sola circa accidẽs versatur. Quare non male Plato ait, cum dixit Sophisticã circa non ens immorari. Quod autem nec sit possibile accidentis scientiam esse, manifestum erit, si videre conabimur quidnã accidens sit. omne itaque dicimus quoddã quidem semper, & ex necessitate esse (ex necessitate autẽ non ea dico, quæ secundum violentiã dicitur, sed qua in demonstrationibus vtimur) quoddam vero vtplurimũ, quoddam autem, nec vtplurimũ, nec semper & ex necessitate, sed vt contingit. vtputa sub cane fiat frigus: sed hoc nec vt semper ex necessitate, nec vtplurimũ fit, quandoque tamen accidet. accidens ergo est, quod fit quidem, non semper tamen, nec ex necessitate, nec vt plurimũ. Quid itaque accidens sit, dictum est. Cur vero non sit huiusce modi scientia, patet. omnis nanque scientia eius est, quod semper aut plurimum est accidens vero in neutro horum est. Quod autem entis secundum accidens non sint causæ, & principia talia, qualia per se entis, manifestum est. essent enim omnia ex necessitate. nam si hoc existente, hoc erit, & hoc, hoc (atque id non vt contingit, sed ex necessitate illud) quoque ex necessitate

*Sophistice circa accidẽs versatur.*



cessitate, cuius hoc causa erat, vsque ad vltimum dictũ causarum. hoc vero secundũ accidẽs erat. quare ex necessitate omnia erunt, & de entibus auferetur, tum quod ad vtrumlibet se habet, tum ipsum contingere & fieri & non fieri. At & si causa non vt ens sed vt ea quæ fit, supponatur, eadẽ accident. omne nãque ex necessitate fiet: etenim crastina eclipsis fiet, si hoc fiat. hoc vero, si aliud quiddã & hoc, si aliud, & hoc itaque modo, si ab eo tempore finito, quod à nunc est vsq; cras, demetur tempus, deueniet aliquãdo ad existens. quare cùm hoc sit, cuncta, quæ sequuntur, ex necessitate profecto fiẽt. vnde ex necessitate omnia fient. Quoddã autem vt verum & non secundum accidens est ens, quod est in mentis complexione, & passio in ea, quare circa illud, quod ita est ens, non quærunturprincipia, verũ circa id, quod extra & separabile ens est. Quoddam vero non necessarium, sed infinitum, dico autem quod secundum accidens est. huius vero inordinatæ & infinitæ causæ sunt. Ipsum vero alicuius gratia in eis est, quæ à natura, aut à mente fiunt. Fortuna vero est, cùm aliquid horum secundum accidens fiat. quemadmodũ enim & ens quoddã per se, quoddam secundum accidens est, ita & causa. fortuna vero secundum accidens causa est in eis, quæ secũdum electionẽ alicuius gratia fiunt. quare circa idem fortuna & mens. electio nanque absente mente non est. Causæ vero, quibus ea fiant, quæ à fortuna sunt, indeterminatæ sunt, quare humanæ cogitationi incertæ sunt, & causa per accidens est. simpliciter vero nullius. Bona vero fortuna & malã dicitur, cum bonũ aliquod, aut malum euenerit. Fors fortuna vero & infortunium circa magnitudines horum. Cùm autem nihil secun-

*Fortuna.*

dum accidens prius his sit, quæ secundum se sunt, nec igitur casuæ. Sit itaque fortuna aut casus cæli causa prior mens & natura causa erit.

## SVMMA QVARTA.

De Motu, de infinito, de diuisionibus motus, & nonnullorum terminorum definitionibus: de quibus in Tertio, & Quinto Physicorum.

### *De Motu. Caput. I.*

*Motus.*

EST autem hoc quidem actu solum, illud vero potẽtia: hoc autem potẽtia & actu. hoc quidem ens: illud vero quãtũ. hoc autem cæterorũ aliquid. Non est autẽ motus præter res. mutatur enim semper secñdum entis prædicationes, cõmune autem nihil in his in vlla prædicatione. vnũquodq. vero dupliciter omnibus inest. velut hoc. nã hoc vt forma, hoc vero vt priuatio ac secundũ qualitatẽ hoc album. illud nigrũ, secundũ quantitatem hoc perfectũ, illud imperfectũ eodẽ modo & secundũ lationẽ. nam hoc sursum, illud deorsum. aut leue aut graue. quare motus & mutationis tot sunt species, quot entis. Cùm autẽ vnũquodq. genus in actũ & potentiã diuidatur, actum eius, quod potẽtia est, prout tale est, dico esse motum. Quod autẽ vera dicimus, hic constat. cùm enim ædificabile prout tale, ipsum dicimus esse actu quatenus ædificatur, & hoc est ædificatio. similiter eruditio, curatio, volutatio, ambulatio, saltatio, senescẽtia, ac increscẽtia. Accidit autem moueri cum actus ipse fuerit, & neque prius, neq. posterius, actus autẽ eius, quod est potẽtia. cũ actu ens agat, nõ prout ipsum, sed prout mobile, motus est. dico autẽ prout sic: nã æs potentia est statua, non tamẽ actus erit, prout æs, motus est, non enim

*Motus definitio.*



enim idẽ est æri esse, & alicui potentiæ. Quòd si idẽ esset simpliciter, ac secundum rationes, esset profectò æris actus motus quidam. at nõ est idem quod & in cõtrariis patet. siquidem posse sanari, posseque ægrotare, nõ est idẽ: alioqui & sanari & ægrotare idẽ foret. subiectũ vero, quod sanabile, aut ægrotabile est, siue humor siue sanguis, vnum idémq. est. Cùm nõ sit igitur idẽ, sicut nec color, ac visibile idẽ est, constat motũ esse actũ rei possibilis, prout possibilis est. Quod igitur ipse est, & quod tunc cõtingit moueri, cum actus ipse sit, & quod nec ante nec post, manifestũ est. nã cõtingit vnũquodq. aliquando quidem operari. aliquando minime, velut ædificabile prout ædificabile: & ædificabilis prout ædificabilis actus, ædificatio est. aut enim hoc, ædificatio in ædificabili actus, aut domus. at vbi domus fit, non vltra ædificabile erit. ædificatio vero eius est quod ædificabile est. necesse itaq. ædificationẽ actũ esse. ædificatio verò motus quidã est. eadémque in cæteris motibus ratio est. Quòd vero hæc sint recte dicta, ex his quoq. cõstat, quæ alij de ipso referũt. tum ex eo q nõ facile est ipsum aliter definire. nec enim licebit cuiquã in alio genere eum collocare. Et patet ex his etiã, quæ alij protulerũt. quidã enim alteritatẽ, inæqualitatẽ, & ipsum nõ ens quorũ nullum necesse est moueri: at neq. mutatio hæc, neque ex his potius quàm ex oppositis est. Causa vero, propter quã in his motũ statuerũt, ea est, q indefinitũ quiddã videtur esse motus, alterius verũ coordinationis principia, vtpote priuatiua, indefinita sunt. nã nec quod quid, nec tale, nec aliorũ prædicamentorum vllũ ipsorum est. Quòd vero motus indefinitus esse videatur, ea est causa, q neq. inter ea, quæ sunt potentia entia, nec quæ secũdum

actũ, ponere ipsum est.nec enim quod potest quã-
tũ esse, moueri necessariũ est, nec actu quantũ. At
motus actus quidã esse videtur, quãquã imperfe-
ctus.causa vero est, ꝙ imperfectũ est possibile, cu-
ius actus est.quãobrẽ difficile ipsum cõprehende-
re, quidnã sit. nã aut priuationẽ necessario repo-
netur, aut in potentiã, aut in actũ simplicẽ. horũ au-
tem nullũ videtur cõtingere posse. superest igitur
quod dictum est, esse actum, & non actum qui di-
ctus est, qui etsi difficilis cognitu sit, tamen con-
tigit esse. Simul & illud perspicuum est. motum
esse in moto. actus enim eius est à motuo. Neque
illius est motiui actus: oportet enim vtriu'que,
actum esse. nam motiuũ est eò quòd possit: mouẽs
vero eò quòd operetur. verum actiuum est ipsius
mobilis: quare eodẽ modo vnus vtriusque actus,
quemadmodum eadem distantia ad duo vnius, &
ad vnũ duorum, ascensus quoque, ac descensus, at
esse non est vnũ, ita etiã in mouente, & in moto.

*De Infinito. Caput. I I.*

*Quid sit infinitum.*

INfinitũ vero est, aut quod impossibile est per-
transire, eò ꝙ non sit aptũ permeari, quẽadmo
dum vox inuisibilis. aut quod transitum habet in-
consummabilem: aut quod vix: aut quod natura
aptũ est habere, nequaquã tamen trãsitũ, aut finem
*Vide cõtra dict. Zim.* habet. Itẽ secũdũ appositionẽ, aut ablationem, aut
ambo. Separabile sane ipsum quicquã esse impos-
sibile est. nã si nec magnitudo, nec multitudo est,
sed infinitũ substãtia eius est, & non accidens, in-
*Infinitũ in diuisibile.* diuisibile erit. siquidem diuisibile, aut magnitudo,
aut multitudo est. ꝙ si est indiuisibile, nõ est infi-
nitũ, nisi quẽadmodũ vox indiuisibilis est. verũ nec
sic aiunt, nec nos sic quærimus, sed tanquã imper-
meabile. Præterea, quonã modo cõtinget esse per
seipsum infinitũ, si nec numerus nec magnitudo



sit, quorum infinitum passio est? Præterea si secun
dum accidens, non esset sanè rerum elementum
prout infinitum est. sicuti nec indiuisibilis locutio
nis, tametsi vox inuisibilis est. Quòd autẽ infinitũ
non potest esse actu, patet. erit nanque quæq; pars
eius infinita, quæ accipitur. nã infinito esse, atque
infinitum, idem: si quidem infinitum substantia,
& nõ de subiecto sit. aut igitur inuisibile, aut per
infinita diuisibile, si partibile est. verum multa
infinita idem esse impossibile est quemadmodum
enim aeris aer pars, ita & infinitũ infiniti, si sub-
stantia, & principiũ sit impartibile igitur, & in-
diuisibile est. verũ hoc impossibile, actu esse ens
infinitũ: necessarium enim quantum esse, secun-
dum accidens igitur existit. at hoc modo dictum
est non posse principiũ esse, verũ id potius, cui ac-
cidit numerũ, vel par esse. sed hæc fortasse inqui-
sitio vniuersalis est. Quòd vero in sensibilibus
non est, hinc constat. nã si est corporis ratio hoc,
esse superficie definitum, non sane fuerit infini-
tum corpus, nec intelligibile, nec sensibile. Cæ-
terum nec numerus ita est, tanquã separatus, atq.
infinitus. quippe cùm numerus, aut quod habeat
numerum, numerabile sit. Quòd si naturaliter
potius contemplemur, ex his patet. neque enim
compositorum, neque simplex poterit esse. Com-
positum nanque non erit corpus, si finita qui-
dem sunt multitudine elementa: oportet nanque
cõtraria æquari, nec esse vnum eorum infinitum,
nam etsi quantumuis inferior sit alterius corpo-
ris virtus, corrumpetur finitum ab infinito. nec
possibile est vnum quodque esse infinitũ, si corpus
quidem est, quod vndecunque habet dimensio-
nem. infinitum vero, quod infinite distat: quare
infinitum corpus vndecunq. infinitum erit. Nec

*Infinitum actu esse nõ possit.*

*Infinitum in sensibilibus nõ esse.*

vero

Vero vnum & simplex contingit infinitum esse corpus. nec, vt quidam aiunt, præter elementa, vnde hæc generant. tale nanque corpus præter elementa non est. nam cuncta, ex quibus, sunt in ea etiam resoluuntur. hoc vero non videtur præter simplicia corpora, neque ignis, neque aliud vllum elementorum. etenim absque eo quòd aliquod horum infinitum sit, impossibile est vniuersum, & si finitum sit, aut esse, aut fieri aliquod eorũ vnũ, vt Heraclitus dicit, omnia quandoque ignem fieri. Eadem ratio & de vno est, quod faciunt præter elementa Naturales. omne enim ex contrario in cõtrarium veluti ex calido in frigidum transit. Item corpus sensibile alicubi est. Idémque partis ac totius locus, velut terræ, quare, si vniforme sit, aut immobile erit, aut semper pelletur, hoc vero impossibile est. quid enim deorsum potius quàm sursum, aut vsquam? velut si gleba sit. quo mouebitur, aut vbi manebit? locus enim eiusdem generis corporis illius infinitus est. continebit igitur totum locum. At quomodo? Quæ igitur mansio, motúsque eius? An vbique manebit? non mouebitur ergo. An vbique mouebitur? non ergo stabit. Quòd si vniuersum dissimile sit, loca quoque dissimilia erunt. Ac primum quidem non vnum vniuersi corpus, nisi tactu. Deinde aut finita erũt hæc, aut infinita specie. finita quidem impossibile. nam, quædam infinita erunt, quædam minime, si totum infinitum sit, velut ignis aut aqua. at hoc erit contrariis corruptio. quòd si infinita, ac simplicia, loca quoque infinita, & elementa infinita erunt. quod si est impossibile, locáque finita sint, totum item necessario finitum erit. Et omnino impossibile infinitum esse corpus, & locum corporibus, si omne quidẽ corpus sensibile, aut gra-

uitat



uitatem habet, aut leuitatem, aut enim ad medium, aut sursum mouebitur. verum impossibile infinitum, aut totum, aut medium, aut quodcunque passum esse. quo enim modo diuides, aut quo pacto infiniti hoc quidem sursum fuerit, hoc vero deorsum, aut extremum, aut medium? Omne item corpus sensibile in loco: loci vero species sex in corpore vero infinito hæ esse non possunt. Omnino autem si impossibile est locum infinitum esse, corpus quoque impossibile est. quod enim in loco est, id alicubi est. hoc vero, aut sursum, aut deorsum, aut aliquid cæterorum significat, quorum vnumquodq. terminus quidam est. Infinitum vero non idem in magnitudine, motu, & tempore, tanquam vna quædam natura, sed ipsum posterius secũdum prius dicitur, velut motus secundum magnitudinem, super quam fit motus, aut alteratio, aut augmentatio: tempus vero propter motum.

*Distinguitur motus per se à motu per accidens, & secundum partem. Quot modis aliquid in aliud mutari dicatur. In quot, & quibus prædicamentis fit motus. Immobile item quot dicatur modis.*

*Cap.* III.

TRansmutatur vero quod transmutatur, hoc quidem secundum accidens, veluti cum dicimus musicum ambulare: illud vero eò quòd eius quippiam mutetur, simpliciter dicitur mutari, vt quæ secundum partem dicuntur, sanatur nanque corpus, quoniã oculus. Et præterea, quod per se primum mouetur, & hoc est per se mobile. Est item de mouente quoque eodem modo. mouet nanque quoddam per accidens, quoddam secundum partem, quoddam per se. Est rursus aliquid quod primo mouet: & est aliquid quod mouetur

uetur. Item tempus, in que, ac præterea ex quo, de mum, & ad quod, formæ vero, passionésque ac locus, ad quæ mouentur mota, ea immota sunt, veluti scientia & calor. est vero motus, non caliditas, sed calefactio. Mutatio autem non per accidens aut quaquam in omnibus est, sed in contrariis ac medus, atque etiam in contradictione. cuius rei fides in inductione est. Mutatur autem quod mutatur, aut ex subiecto in subiectū, aut ex non subiecto in non subiectum, aut ex subiecto in non subiectum, aut ex nō subiecto in subiectum. Aio autem subiectum, quod affirmatione explanatur. Quare necesse est tres mutationes esse, illa enim, quæ ex non subiecto in non subiectū, nō est mutatio. nec enim cōtraria, neque contradictio. est, quia neque oppositio. Mutatio igitur ex non subiecto in subiectum secūdum cōtradictionem, generatio est: quæ quidem simpliciter simplex quæ vero cuiusdam, quædam. at quæ de subiecto in non subiectum, corruptio: quæ simpliciter simplex, quæ cuiusdam, quædam. Si itaque non ens multifariam dicitur, & nec quod secundum compositionem, aut diuisionem dicitur, moueri contingit: nec item quod secundum potentiam quòd oppositum est ei quidem, quod simpliciter est (non album enim aut non bonum contingit nihilominus secundum accidens moueri. esse nanque homo potest non album) quod vero simpliciter non hoc, id nequaquam. nam impossibile est nō ens moueri si igitur hoc, & generationem motum esse. fit autem non ens, nam etsi maximè secundum accidens sit, attamen verum est dicere de eo, quod simpliciter sit, quod est non ens. Eodem modo igitur & quiescere. Hæc itaque omnia accidunt absurda, si quicquid mouetur in loco



loco est, non ens vero in loco non est: esset enim vsquam. Nec corruptio igitur motus. si quidem motui motus aut quies contrarium est: corruptio vero generationi est contraria. At cùm omnis motus mutatio quædam sit: mutationes vero tres, quæ dictæ sunt: harum vero, quæ secundum generationem & corruptionem minimè sit motus (sunt autem illæ secundum contradictionem) necesse ex subiecto in subiectum mutationem solam motum esse. subiecta vero, aut contraria, aut media. nam & priuatio contrarium esse ponatur. quandoquidem & affirmatio declaratur, veluti nudum, cæcum & nigrum. Si igitur prædicamenta, substantia, qualitate, loco, facere pati, ad aliquid & quantitate diuidatur, tres esse motus necesse est, qualis, quanti, & loci. Secundum vero substantiam minimè: propterea quòd substantiæ nihil contrarium est. Nec eius quod ad aliquid. etenim altero mutato, verificatur alterum nullatenus mutatum. quare secundum accidens horum motus erit. Nec præterea agentis aut patientis, neque omnino moti ac mouentis: cùm non sit motionis motus, nec generationis generatio, nec deniq. mutationis mutatio. Bifariam enim contingit motionis motum esse. nam aut tanquam subiecti, vt homo mouetur, quia ex albo in nigrum mouetur. quare sic etiam motus, aut calefit, aut frigefit, aut loco transfertur, aut crescit, id vero impossibile est, cùm motus non sit aliquod subiectorum. Aut eo quòd aliud quoddam subiectum ex mutatione in aliam speciem mutetur. vt homo ex morbo in sanitatem. At nec hoc possibile, præterquam per accidens (omnis nanque motus in aliud ex alio mutatio est. generatio item ac corruptio eodem

modo

modo. veruntamen quæ ex oppositis sic aut sic, non sunt motus) alioqui simul ex sanitate in morbum mutatur, atque ex ipsa mutatione in aliam.constat itaque ,quòd cum ægrotauerit, in quamuis mutatus erit.continget enim quiescere. ac præterea non semper in quamcunque, & illa quoque ex aliquo in aliud quiddam erit quare opposita erit conualescentia, verum ex accidenti, vt ex reminiscentia in oblionem mutatur: quia id cui ineſt quandoque in scientiam, quandoque in sanitatem mutatur. In infinitum præterea procedet,si mutationis mutatio, & generationis generatio fuerit,necesse igitur & priorem fore, si posterior fuerit. vt si simplex aliquando fiebat generatio,illud quoque, quod fiebat, simpliciter fiebat. quare nondum erat quod simpliciter fiebat, sed quod fit aliquid, aut quod iam fiebat, si igitur hoc etiam aliquando, fiebat cur nondum erat,quod nunc fiebat? cùm vero in infinitis non sit aliquid primum, non erit primum: quamobrem neque consequens erit. nec fieri igitur,nec moueri, nec mutari quicquam possibile est. Eiusdem præterea motus contrarius atque quies,generatióque & corruptio. quare quod fit, cùm factũ fuerit, quod fit tunc corrumpitur.nec enim statim,cùm fiat, nec post.nam esse opus est quod corrumpitur. Item necesse materiam subesse ei, quod fit & mutatur. quæ igitur erit velut alterabile quiddam, aut corpus aut anima, ita quiddam etiam eius, quod fit, aut motus,aut generatio, & aliquid item ad hoc mouetur. nam opus est aliquid huius ex hoc in hoc, quod motus non est,esse motum. Quonam igitur modo? Non erit doctrina doctrinæ. quare neque generatio generationis. Cum vero neque substantiæ, nec



nec ad aliquid, neque faciendi, ac patiendi, supereſt secundum quale, & quantum, & vbi motum duntaxat esse, quandoquidem in horum singulis contrarietas est. Quale autem dico,nõ quod in substantia(si quidem differentia quale est).verum passiuum quale,quo dicitur res,aut pati, aut impassibilis esse.Immobile autem est,& quod omnino impossibile est moueri: & quod in multo tempore vix mouetur,aut quod tarde incipit, & quod natum quidem est moueri, non possit autem,quando natum est,& vbi,& quomodo: quod sane inter immobilia solum voco quiescere. contraria enim quies motui: quare priuato erit susceptiui.

*Nonnullorum terminorum assignatum definitiones. Cap.* IIII.

Simul secundum locum esse dicuntur, quæ in vno loco primo sunt. Et separata,quæ in diuerso. Tangi autem, quorum extrema sunt simul. Medium, in quod natum est prius venire quod mutatur quam ad quod vltimum mutatur,secundum naturam continue mutatum. Contrarium secundum locum, quod secundum rectitudinem plurimum distat. Consequens est, cuius principium sequentis, aut soloſitu, aut forma, aut aliquo quodammodo definito, nanque illius, cuius est consequens, nihil est medium eorum, quæ in eodem genere sunt. velut linea lineæ, aut vnitas vnitatis aut domus ipsius domus.aliud vero medium esse nihil prohibet.Consequens nanque alicuius consequens, ac quoddam posterius est. non enim vnum consequens duorum, neque nouiluniũ consequens secundæ.Attiguum vero, quod consequens tangit,Ceterum cùm omnis mutatio in oppositis sit, hæc vero contraria, ac contradi-

ctio, contradictionis vero nihil medium est; constat quòd medium in contrariis est. Continuum sane quoddam attiguum, aut tangens est. dicitur vero continuum, cùm idem fiunt, atque vnus vtriusque termini, quibus tangunt, & se continuant. quare patet in his esse continuum, ex quibus vnum quiddam natum est secundum contactum fieri. Et quod consequens primum sit, constat. consequens nanque non tangit. hoc vero consequens est. & si continuum est, tangit. quòd si tangit, nondum continuum est, in quibus vero non est tactus, in his non est cohærentia. Quare non est punctum idem vnitati. nam illorum est tactio. harum vero minime, sed consequenter. & illorum quidem est aliquid intermedium, harum vero minimè.



# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER DVODECIMVS.

## SVMMAE LIBRI.

*In Prima agitur de substantia Sensibili.*
*In Secunda de substantia Immobili.*
*In Tertia de Vniuersi bonitate.*

## SVMMA PRIMA.

*De substantia speculationem esse oportere, ex Antiquorum etiam opinionibus. Cap. I.*

Peculatio de substantia est. siquidem substantiarũ principia, & causæ quæruntur. ¶Etenim si vt totum aliquid vniuersum est, substantia prima pars est. & si ex consequenti, hoc quoque modò primum est substantia, deinde quale, postea quantum. ¶At simul (vt ita dicam) nec entia sunt ista simpliciter, verum qualitates, & motus, quemadmodum non album, & non rectum. dicimus nanque hæc quoque esse veluti est non album. Præterea, cæterorum nullum separabile est. At hoc idem opere testantur Antiquiores. quippe qui principia, elementa, & causas substantiæ quærebant. ¶Recentiores vero vniuersalia magis ponũt esse substantias. genera nanque vniuersalia sunt, quæ asserunt magis principia, atque substantias

Tex.1.
Tex.2.
Tex.3.
Tex.4.

esse, propterea quòd Logice quærunt. Antiquiores vero singularia, vt ignem & terram, non autem corpus commune.

*Dividitur substantia in sensibilem & immobilem: illaque in sempit vnam, & corruptibilem. Item ostenditur in sensibilibus sacrosanctis materiam necessariam esse: vtraque ipsarum esse principia.*

*Cap.* II.

Tex.5. VErum substantiæ tres sunt. Vna sensibilis: cuius quædã sempiterna, quædam corruptibilis, quam omnes concedunt, veluti plantæ, & animalia. Sempiterna vero, cuius elementa, sive vnum, sive multa sint, accipere necesse est. Alia immobilis, quam aliqui separabilem aiunt esse, quidam in duo dividentes, quidam in vnam ponentes naturam tam formas quàm mathematica, quidam ex his mathematica solum. ¶ Illæ itaque Naturalis cum motu nanque sunt. ista autem alterius est, si nullum eis commune principium est. Sensibilis vero substantia mutabilis est. Si itaque ex oppositis, aut mediis mutatio sit, oppositus vero non omnibus (non album enim ipsa vox, verum ex contrario) necesse est aliquid subesse quod in contrarietatẽ mutetur. non enim cõtraria transmutantur. Præterea hoc quidem permanet, contrarium vero nõ permanet. est igitur aliquid tertium præter contraria, ipsa materia. ¶ Si itaque transmurationes sunt quatuor, aut secundũ ipsum quid, aut secundum quale, aut quantum, aut vbi: ac generatio, simplex & corruptio, quæ secundũ quod quid sit augmentatio & diminutio, quæ secundum quantum, alteratio quæ secundũ passionem, latio vero quæ secundũ locum: profecto in contrarietates quæ secundum singulum mutationes erũt. necesse est igitur mutari materiam quæ ambo

*Mul. co. non habent hæc verba, Sẽpiterna vero. Has etiam duas scripturas vidit Auer. ex Alex.*

Tex.6.

Tex.7.



ambo possit. ¶ Cùm autem duplex sit ens, omne mutatur ex potentia ente in actu ens, vt ex potentia albo in actu album. eodem autem modo & de augmentatione & diminutione. Quare non solum per accidens ex non ente fieri contingit, sed etiam ex ente omnia fiunt: verum potentia quidem ente, actu vero ex non ente. ¶ Et hoc est Anaxagoræ vnum. melius nanque quàm cuncta simul, & quàm mistura Empedoclis, ac Anaximandri, & vt Democritus quoque ait, simul omnia potentia erant, actu vero minime. Quare materiam tetigerunt. ¶ Cuncta vero quæcunque mutantur, materiam habent, sed diuersam. nam & ipsorum sempiternorum quæcunque non sunt generabilia sed latione mobilia, attamen non generabilem, sed vnde, quo. ¶ Dubitare vero quispiam possit, ex quo non ente generatio fiat, tripliciter enim non ens dicitur. Si igitur quippiam est potentia, veruntamen non ex quocunque, sed cùm alterum ex altero. Nec id sufficit, quòd simul omnes res erant, quia differunt materia. cur enim infinita facta fuissent & non vnum cùm intellectus vnus sit? quare si materia vna, istud actu fuisset factum, cuius materia potentia erat. ¶ Tres itaque causæ, & tria principia. duo quidem ipsa contrarietas, cuius hoc quidem ratio & forma, hoc vero priuatio tertium vero materia.

Tex.8.

Tex.9.

Tex.10.

Tex.11.

Tex.12.

*Nec materiam, nec formam generari. Item quo pacto formas dari non male dixerit Plato: & cur etiam non negamur nos eas ponere.* *Cap.* III.

POst hæc, quòd neque materia fit, neque forma, dico autem extrema. Omne enim, quod transmutatur, aliquid est, & ab aliquo in aliquod transmutatur. ab aliquo quidem, primo mouente. in quo vero, materia: in quod autem, formam.

in insitum itaque procedet, si non solum æs rotundum fit, verum ipsum rotundum, aut æs: quare necesse est stare. ¶ Deinde, quòd quælibet substantia ab vninoco fit. Quæ enim natura, substantiæ sunt, & alia aut enim natura, aut arte, aut fortuna, aut casu fiunt. Ars igitur principium in alio, natura vero principium in ipso. homo nanque hominem generat. cæteræ vero causæ privationes horum sunt. ¶ Substantiæ vero tres. quædam materia, quæ *quod quid est eo ipso, quòd apparet quæcunque enim tactu non coadhærentia sunt, materia & subiectum sunt. Quædam vero natura, & quod quid, & quidam habitus ad quem. Terras item quæ ex his, quæ singularis est, vt Socrates, aut Callias. In quibus igitur, quod quid nō est præter compositam substantiam (vt domus forma non nisi ab ipsa arte) nec est generatio aut corruptio eorum. verum alio modo sunt, & non sunt, tum domus, quæ absque materia, tum sanitas, & omne, quod secundum artem est. sed si quidem sunt, in his sunt, quæ natura sunt. ¶ Propter quod non male Plato dixit, quòd formæ eorum sunt, quæ natura sunt siquidem formæ sunt aliæ ab his: vt sunt ignis, caro, caput. cuncta nanque materia sunt: & maxime eius substantiæ, quæ est vltima. ¶ Causæ itaque mouentes, tanquam antea ortæ, existunt. quæ vero vt ratio, simul sunt. cùm enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est, & forma æneæ sphæræ simul atque ænea sphæra. ¶ Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est. in quibusdam enim nihil prohibet. veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus. omnem nanque fortasis impossibile est. ¶ Manifestum itaque est, quòd propter hæc non oportet ideas esse. homo nanque hominem generat, singularis alium.

Tex. 13.

Tex 14. *hoc aliquid.

Tex. 15.

Tex. 16.

Tex. 17.

Tex. 18.



quem. Similiter etiam in artibus. Medendi enim ars ratio sanitatis est.

*Quot, quibusque modis sensibilium rerum principia eadem dici possint, & quibus minime. Cap. IIII.*

CAusæ vero, atque principia quodam quidem modo alia aliorum sunt, quodam vero modo non. si quis vniuersaliter dicat, & secundum proportionē omniū eadē. Dubitare nanq; quispiam posset, vtrum alia, an eadem principia & elementa substātiarum sint, & eorū, quæ ad aliquid sunt. & eodē modo in quolibet prædicamento. At absurdum est, si omniū eadem sunt. ex eisdem enim erit ad aliquid & substātia. Quid igitur hoc erit? præter enim substantiam, & alia quæ prædicantur, nihil commune est. prius autem elementum est, quàm ea, quorum est elemētum. At vero nec substantia eorum, quæ ad aliquid sunt, elemētum est. nec aliquid horum substātiæ. ¶ Item, quo modo continget omniū eadē esse elementa? nullum enim elementorum idem potest esse ei, quod ex elementis componitur. veluti ipsi B A, ipsum B, aut ipsum A. ¶ Neq; sanè vllum intelligibilium, vt vnum vel ens, elemētū est. hæc enim vnicuiq; cōpositorū insunt. nullū igitur eorū neq; substantia, nec ad aliquid erit. at necessarium est. ¶ Non sunt ergo omniū eadē elementa. An (vt diximus) quodammodo quidem sunt, quodammodo vero non. veluti fortasis corporum sensibilium calidum, tanquam forma, & alio modo frigidum, vt priuatio, materia vero, quod primo per se potentia hæc erat. substantiæ vero, tum hæc, tum ea ex his, quorum hæc principia sunt: aut si quid ex tristido, & calido fit vnum, vt caro, aut os, necesse. profectò est aliud ab his esse illud, quod factum est. horum itaque eadem elementa, atque princi-

Tex. 19.

Tex. 20.

Tex. 21.

Tex. 22.

pia sunt,alia vero aliorum.Omnium vero ita quidem dicere non est, sed analogice. quemadmodum si quis dicat,quòd principia sunt tria,forma, priuatio,& materia.verum vnumquodque horum circa vnumquodque genus aliud est,vt in coloribus album,nigrum,superficies, lumen,tenebræ, aer. ex his vero dies, & nox. Cùm vero illæ non Tex.23. solum,quæ insunt,causæ sint,verum etiam ex his, quæ extrinseca sunt,illud quod mouet,patet quòd aliud est principium,aliud elementum. ambo vero causæ sunt, & principium in hæc diuiditur, quod autem vt mouens, vel sistens est, principiũ quoddam,& substantia est. Quare elementa quidem analogice tria : causæ vero, atque principia quatuor, aliud vero in alio : & prima causa, vt mouens,in alio alia. sanitas morbus,corpus:mouens,ars Medendi. forma, inordinatio talis, latere: mouens Aedificatiua & nimirùm in hæc diuiTex.24. ditur principium. ¶ Cùm autem mouens,in naturalibus quidem homo, in his vero quæ à mente fiunt ipsa formavel contrarium sit,modo quodam tres profectò causæ erunt, alio vero modo quatuor.sanitas nanque quodammodo est ars Medendi, & Aedificatiua forma domus, & homo hominem generat præter hæc item cuncta mouens,tanTex.25. quam omnium primum. ¶ Cùm autem quædam separabilia, quædam inseparabilia sint, illa sunt substantiæ, propter quod hæc omnium causæ sunt: si quidem absque substantiis passiones, & motus non sunt deinde hæc erunt,anima fortassis, & corpus: aut intellectus,appetitus, & corpus.

Tex.26. ¶ Item alio modo analogice principia sunt eadem,vt actus,& potentia. verum hæc etiam in aliis alia,& alio modo sunt. In quibusdam enim idem quandoque actu, quandoque potentia est: vt



vt vinum,aut caro,aut homo.Cadunt autem hæc in prædictas causas,actus nanque est forma, si separabilis sit, & quod ex ambobus priuatio etiam vt tenebræ,aut ægrotans, potẽtia autem materia. hoc nanq; est,quod ambo fieri potest. Aliter autem actu potentiaque differunt, quorum non eadem materia est, quorum non eadem forma, sed diuersa est.veluti hominis causa, elementa ignis, & terra,& materia:& propria forma, & si quid aliud extrinsecus est,vt patet,& præter hæc Sol, & obliquus circulus, quæ nec materia, nec forma, nec priuatio,nec eiusdem speciei sunt,verum motientia. ¶ Præterea videre oportet,quòd quædam Tex.27. est vniuersaliter dicere, quædam minime. Omnium itaque prima principia, quod actu primum, & aliud,quod potentia. At illa,quæ vniuersalia dicimus, non sunt singulare nanque principium eorum est,quæ singularia sunt.homo enim hominis vniuersalis,sed nullus est. verum Peleus Achillis, tui autem pater. & hoc B ipsum B A, ipsum vero B omnino ipsius B A simpliciter. Deinde formæ hæ quæ substantiarum sunt, verum aliorum aliæ causæ,ac elementa,vt dictum est,eorum,quæ non in eodem genere sunt colorum,sonorum,substantiarum quantitatis, nisi proportionaliter. Eorum quoque, quæ in eadem specie sunt diuersa, non specie, sed quoniam quæ singularium aliud, & tua materia,& forma,& quod mouit, & forma, ac mea materia. vniuersali vero ratione eadem. ¶ Quærere autem quanã principia,siue elemen Tex.28. ta substantiarum, ad aliquid, & qualitatum sint, verum eadẽ an diuersa patet,quòd cùm multipliciter dicantur,vniuscuiusq; sunt, at si diuidantur, nõ eadem,sed diuersa,nisi quòd aliquo modo eadem.analogice nanq; eadẽ: quia materia, forma,

priuatio, mouens. ac illo modo substantiarum cau
sæ, quasi, omnium causæ sunt: quia peremptis, per-
imuntur. Præterea quod primum actu est, illo ve-
ro modo alia prima, quæcunque contraria, quæ
Tex.29. nec vt genera, neque multipliciter dicũtur, item
& materiæ. ¶ Quæ itaque sensibilium principia
sunt, & quòd, quóve modo eadem, & diuersa, dic-
tum est.

## SVMMA SECVNDA.

### De substantia immobili.

*Necessarium esse dari substantiam aliquam immobilem, perpetuam, semperque actu existentem. Item actum potentia esse prior.*

### Cap. I.

*Vide auer. in Epit. tra ctat. 4.*

QVm vero tres sint substantiæ, quæ quidem naturales, alia autem immobilis, de hac est dicendum quòd necesse est perpetuam aliquam, & immobilem substantiam esse. Etenim substantiæ primæ, entium sunt. & si cunctæ corruptibiles, omnia corruptibilia sunt: at impossibile est aut generari motum, aut corrumpi: nam semper erat, neque tempus, cùm non sit possibile prius & posterius esse, tempore non existente: & motus sanè ita continuus est, sicuti & tempus. aut enim idem, aut quædam ipsius motus passio est. motus vero non est continuus, præter hunc, qui
Tex 30. secundum locum, & hunc qui circularis est. ¶ At vero, si morium aut effectiuum est, non autem operans aliquid, non est motus. possibile namque est non operari, quod potentiam habeat, nulla igitur vtilitas erit, ne quidem si perpetuas substantias faciamus, quemadmodum qui faciunt formas, nisi aliquod principium insit, quod mutare possit. Non igitur sufficit illa, nec alia substantia præter



præter formas. Nam, si non operabitur, motus non erit, nec item si operabitur, substantia vero eius potentia sit. non enim erit perpetuus motus. quod enim potentia est, contingit non esse. oportet igitur esse tale principium, cuius substantia actus sit. Item has oportet esse substantias absque materia. sempiternas enim esse oportet, si aliquid quidem æternum est: actu igitur sunt. Atqui dubium est. Nam omne quidem agens posse quoque videtur, potens vero non omne, agere: quare *Dubitatio* potentia erit prior. Verum, si hoc ita sit, nihil entiũ *Solutio.* erit. contingit enim posse quidem esse, nondũ vero esse. At si, vt Theologi qui ex nocte cuncta generant, siue, vt Naturales dicunt, omnes res simul erant, idem impossibile erit. Quo namque modo mouebuntur, si nulla erit actu causa? non enim ipsa materia seipsam mouebit, verum opifex virtus, neque menstrua, neque terra, verum semina atque humanum semen. Propter quod quidam faciunt semper actum, veluti Leucippus & Plato, cùm semper esse motum dicant. cur vero, vel quem, non aiunt, nec cur sic, nec causam. nihil enim sic, neque déque mouetur, sed oportet vt semper aliquid præexistat. sicuti nunc, natura quidem hoc modo, vi etiam, aut ab intellectu, aut ab aliquo alio hoc modo. Deinde, quisnam primus sit, differt enim quàm maxime. ¶ At neque Pla- Tex.31.
toni possibile est dicere id, quod quandoque putat principium esse, quod seipsum mouet. posterior enim pariter cœlo est anima, vt ait. ¶ Arbitra Tex.32.
ri itaque potentiam actu priorem, quodammodo quidem bene est, quodammodo vero minime. dictum autem est quo modo. Quòd autem actus sit prior, Anaxagoras testatur. intellectus nãq; actus

Et Empedocles, amicitiã & cõtentionem po-

nens. & qui semper esse motum aiunt, vt Leucippus. Quare non erat tempore infinito Chaos, aut nox, verum semper eadē circuitione, aut aliter, si
Tex.33 actus quidem prior potentia. ¶ Si vero semper idem circuitione, oportet vt aliquid semper simi-
Tex.34. liter operando permaneat. ¶ Quòd si tutura est generatio & corruptio, aliud operans aliter, & aliter esse oportet. Necesse igitur est hoc quidem modo illud secundum se operari, hoc vero secundum aliud, aut igitur secundum diuersum, aut secundum primum. necesse autem est vt secundum hoc. hoc nāque rursus, & sibi & illi causa est. Dignius ergo est, quod primum est. hoc nanque, vt semper similiter se habeat, causa erat, vt vero aliter, aliud, vt autem semper aliter, ambo scilicet. Patet igitur quòd motus quoque ita se habent. Cur igitur alia quærere oportet principia? Cùm vero & ita contingat (& si non sic, ex nocte, & simul omnibus & ex non ente erunt) hæc profecto soluentur. Et est aliquid, quod semper incessabili motu mouetur. hic vero circularis est. & hoc non
Tex.35. solū ratione verūetiā opere patet. Quare æternū est profecto primū cœlum. ¶ Estque aliquid, quod mouet. Cùm vero id, quod mouetur. & mouet, medium sit, est etiam aliquid, quod non motum mo-
Tex.36. uet quod æternum, & substantia, & actus est.

*Vide auer. in Epito. tract. 4. in duobus locis.*

*Quæ paulo dicta substantia quæ primum est principium, immobilis moueat. Cap. 11.*

*Vide contra. Tim.*

MOuet autem hoc modo, concupiscibile & intelligibile mouet, non motum, horum autem prima eadem sunt. desirabile nanque, quod apparet bonum. primum vero * voluntate affectabile, quod est bonum. magis vero appetimus, quia videtur, quàm videtur, quia appetimus. ¶ Princi-
Tex.37. pium enim intellectio. Ac intellectus ab intelligibili

* *volibile.*



ligibili mouetur. Intelligibile vero alter ordo est, qui per seipsum est. & huius substantia prima, atque huiusce quæ simplex, & secundum actum est. Est autem vnum, & simplex non idem. siquidem vnum significat mensuram, simplex vero quo modo se habeat ipsum. At vero bonum quoque, & quod per se eligibile est in eodem ordine sunt. & semper primum est optimum, aut proportionale. Quòd vero cuius gratia in immobilibus sit, ipsa diuisio manifestat. est enim id cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc vero non est, mouet itaque vt quod amatur. quod mouetur autem cætera mouet. ¶ At si quid mouetur contin- Tex.38.
gitet etiam aliter se habere. Quare, si latio prima etiam actus est quo mouetur, hoc modo tanè contingit alter se habere secundum locum, quamuis non secundum substantiam. Cùm autem aliquid sit mouens, ipsum immobile existens actu ens, hoc nullo modo contingit aliter se habere. latio nanque prima murationum est huius autem, quæ circularis est. hanc autem illud mouet. Ex necessitate itaque est ens. & prout necessitas, bene est, & sic principium. Necessarium nanque toties dicitur, quoddam vi, quia præter inclinationem: quoddam, sine quo non bene esset: quoddam quod non aliter contingit se habere, sed simpliciter est. a tali ergo principio tum cœlum, tum natura dependet.

*Vnum & simplex non idem.*

*De vita, essentia, perfectioneque primi principij. Et contra nonnullos dicentes in ipso non esse optimum, ac pulcherrimum. Cap. 111.*

DEgentia vero, qualis nobis pauco tempore, Tex.39.
optima illi est. siquidem ita semper illud est, * *vita.*

*Principiũ huius tex. quod nõ est inte. auer. exponit ipse in fine commenti præcedentis.*

nobis autem profecto id impossibile est: quoniam & delectatio actus huius est. Et ob hoc vigilatio sensus intellectio maxime delectabile est. spes autem, ac memoria propter hæc. Ipsa vero intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est. & quæ maxime est, eius quod maxime est. seipsum vero intellectus intelligit assumptione intelligibilis. intelligibilis nanq; fit attingens & intelligẽs, ita vt idem intellectus & intelligibile sit. susceptiuum enim intelligibilis & substantiæ intellectus est, operatur autem, habens. Quare istud magis quàm illud est id diuinum quod intellectus videtur habere. & speculatio optimum, & maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est. quod si magis, adhuc admirabilius est. at ita se habet. Cæterum, vita quoq; profecto inexistit. siquidem intellectus operatio vita est. ille vero est actus, actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaq; Deum, sempiternum, optimúmq; *viuens esse. Quare vita, & æuũ continuum, & æternũ Deo inest. hoc enim est Deus.

*Deus quid.*
* ζῶον.
*animal.*

*Tex. 40.*

¶ Quicunque vero (vt Pythagorici & Pseusippus) putant optimum & pulcherrimum non esse in principio eò quòd plantarum quoque ac animalium principia causæ quidem sunt: bonum vero & perfectum in his esse, quæ ex his sunt, non recte putant. semen nanque ex aliis prioribus perfectis est. neque semen primum est, sed quod perfectum est. veluti hominem dicere quilpiam possit priorem semine esse non illum, qui eo generatur, sed alium ex quo ipsum semen est. ¶ Quòd itaque est quædam æterna, immobilisq; substantia, & à sensibilibus separata, constat ex dictis. Ostensum autem est quòd nec vllam magnitudi-

*Tex. 41.*



nem possibile est hãc substantiam habere, verum impartibilis, indiuisibilisque est. nam infinito tempore mouet. nihil vero finitum infinitam potentiam habet. cùm vero omnis magnitudo aut infinita, aut finita sit, finitam quidem propter hoc non haberet magnitudinem infinitam vero, quoniam omnino nulla est infinita magnitudo. At vero & quòd impassibilis, & inalterabilis est. omnes nanque reliqui motus posteriores eo sunt, qui secundum locum est. Et quidem hæc propter quid hoc se habeant modo, dilucida sunt.

*Quæ sint numero substantiæ immobiles, ac sphæræ, quæ ab eis mouentur, opiniones tum aliorum, tum propria: at peradmodum Antiquos de ipsis loquentes confirmatio. Cap. IIII.*

VTrum autem vna sit ponenda talis substantia an plures, & quot, non oportet nos latere, sed meminisse quoque aliorum sententias, quot de pluralitate nihil, quod dictum perspicuum sit, dixerunt. De ideis nanque opinio nullam accommodatam considerationem habet. Numeros nanque dicunt ideas, qui dicunt ideas esse: de numeris vero quandoque vt de infinitis aiunt, quandoq; tanquam vsque ad denarium determinatis. qua vero de causa tanta numerorũ pluralitas sit, nihil cum diligentia demonstratiua dicitur. ¶ Nobis vero ex præsuppositis atq; determinatis dicendũ est. Principium enim ac primũ entiũ, tum per se, tum per accidẽs immobile est: mouens autẽ, primo, sempiterno, & vno motu. Cùm vero quod mouetur, necesse sit ab aliquo moueri, primúq; mouẽs immobile per se esse, ac motu æterno ab æterno moueri & vnũ ab vno, videmúsq; præter simplicẽ lationẽ totius quã dicimus primã substãtiã & immobilem moueri, cæteras etiã lationes, quæ errantium sunt,

*Vide auer. in Epito. tract. 4.*

*Tex. 42.*

*Tex. 43.*

*Tex. 45.*

sempiternas esse (sempiternum nanq. & irrequiescibile circulare corpus est. monstratum autem est de his in Physicis) necesse est harum, quoque lationem vnamquanque à per se immobili, & æterna substantia moueri. nam & stellarum natura perpetua substantia quædam existens, & quod mouet perpetuū. & prius est moto. & quod prius substantia est, substantia sit necesse est. Constat itaque necesse esse tot substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, ac absque magnitudine ob causam prius dictam. ¶ Quod igitur substantiæ sunt, & harum quænam prima, quæve secunda, secundum eum ordinem, quem & lationes siderum habent, patet. Pluralitatē vero lationum ex peculiarissima Philosophia Mathematicarum scientiarum, videlicet ex Astrologia, considerandum est. hæc enim de substantia sensibili quidem, at sempiterna speculatur, cæteræ vero de nulla quidem substantia, veluti quæ circa numeros, atque quæ circa Geometriam. Et quidē quòd plures sint eorum quæ feruntur lationes, manifestum etiam est his, qui parum attigerunt pluribus enim quam vna, errātium astrorum vnumquodque fertur. ¶ Quot vero hæ sint, nunc quidem nos ea quæ quidam Mathematicorum aiunt, intelligendi gratia dicimus, vt aliquam determinatam mente pluralitatem percipiamus. Deinceps quædam quidē nos ipsos quærere decet, quædam autem à quærentibus scisciatari, si quid præterea quæ nunc dicta sunt, his videatur, qui circa hæc versantur, diligere quidem vtrosque, adhærere vero certioribus. Eudoxus igitur Solis, & Lunæ vtriusque lationem in tribus posuit sphæris esse, quarum Primam quidem eam esse, quæ non errantium stellarum. Secundam vero secundum id, quod

Tex. 44.

*Cōsideratio.*

Tex. 45.

*Solis & Lunæ latio.*



quod per medium zodiacum. Tertiam porro secundum eum, qui in latitudinē zodiaci obliquatur. in maiori autem latitudine obliquari eum, secundū quem Luna fertur, quā secundū quem Sol.

¶ Errātium vero stellarū vniuscuiusq; in quatuor sphæris, quarum Primam quidem & Secundam eandē illis esse. etenim quæ non errantiū est, eam illam esse, quæ omnes fert. at eā, quæ sub ipsa ordinata est, ac quæ secundū zodiacū lationem habet, cōmunem omnibus esse. Tertiæ vero omniū polos in eo, quod per mediū zodiacū esse. Quartæ autem lationē, secundum eum, qui obliquatus ad medium eius est. esse vero tertiæ sphæræ polos aliarum quidē proprios, Veneris autem & Mercurii eosdem. ¶ At Calippus situm quidā sphærarū eundē Eudoxo ponebat. hoc est distantiarum ordinem pluralitatē autem stellæ quidē Iouis ac Saturni eandem illi attribuebat. Solī vero & Lunæ dimas adhuc putabat sphæras addendas esse. siquis eorum quæ sensibiliter apparent, causas assignare debeat: cæteris vero errantiū vnicuiq; vnam, necesse vero esse, si debent omnes simul positæ quæ apparent reddere, secundum vnamquamque errantium alteras sphæras vna pauciores esse, quæ reuoluāt, & ad idem positione semper primā eius astri sphæra, quod inferius ordinatum est constituant. hoc enim modo solum cōtingit errantium lationem omnia facere. Cùm igitur in quibus ipsa quidem feruntur sphæris, hæ quidem octo, hæ vero vigintiquinque sint, horum sine illas solas non oportet reuolui, in quibus fertur, quod infime ordinatum est. quæ quidē duarum primarū sphæras reuoluunt, sex erunt, quæ vero posteriorum quatuor sexdecim. cunctarum vero numerus, tum earum quæ ferunt, tum quæ reuoluunt eas, quin-

Tex. 46.

Tex. 47.

quagintaquinque. quòd si Lunæ & Soli non ad-
dat aliquis, quos diximus, motus, omnes sphæræ
erunt septem & quadraginta. Pluralitas itaque
sphærarum tanta sit. ¶ Quare substantias quoque
& principia tum immobilia, tum sensibilia, tot ra-
tionabiliter arbitrandum est esse quod enim ne-
cessarium est relinquatur potentioribus dicendū.
Quod si nullam lationem possibile est esse, quæ
non ordinetur ad lationem stellæ, omnem item
naturam, omnémque substantiam impassibilem,
& per se arbitrari oportet optimum sortitam fi-
nem esse, nulla profecto præter has alia natura e-
rit sed hunc necesse est numerum substantiarum
esse. si etenim aliæ sunt, vtique mouebunt, cùm
lationis finis sint. Sed esse alias lationes præter di-
ctas impossibile est: hæc autem ex his, quæ ferun-
tur, rationabile est accipere. si enim omne, quod
fert, eius gratia, quo fertur, suapte natura est: o-
mnisque latio alicuius quod fertur est: nulla latio
sui gratia erit profecto, nec alterius lationis, ve-
rum stellarum causa. Si nanque latio lationis cau-
sa erit, illam quoque oportebit aliarum gratia es-
se quare cum non sit processus in infinitum, finis
omnis lationis erit diuinorum corporum aliquod,
quæ in cœlo feruntur. ¶ Quòd autem cœlum sit
vnum, manifestum est. si enim plures sint cœli, vt
homines, principium vnuscuiusque erit specie v-
num numero multa. at quæcunque multa nume-
ro materiam habent. Vna etenim & eadem mul-
torum ratio est, velutt hominis. Socrates vero v-
nus, ipsum vero quid erat esse primum nō habet
materiam, cùm actus sit. vnum ergo, tum ratione,
tum numero primum mouens immobile ens est.
& id igitur, quod semper continuóque mouetur:
vnum ergo tantum cœlum est. ¶ Tradita autem

*Sphærarū numerus.*

Tex. 48.

*Inde sumitur quod multæ sint intelligentiæ, quæ nō moueat aliquē orbem.*

*Omnis lationis finis.*

Tex 49.

*Quæcunq. multa numero materiam habēt.*

Tex. 50.



sunt quædam à maioribus nostris, & admodum
antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta,
quòd hi Dii sunt, vniuersámque naturam diuinum
continet. Cætera vero fabulose ad multitudinis
persuasionem, & ad legum, ac eius, quod conferat
oppotunitatem, iam allata sunt. homini formes
nanque, ac aliorum animalium nonnullis similes
eos dicunt, ac alia consequentia, & similia his quæ
dicta sunt. quorum siquis ipsum solum primum
separando accipiat. quòd Deos arbitrabantur pri-
mas substantias esse, diuinè profecto dictum pu-
tabit: & (vt verisimile est) sæpius quaque arte &
Philosophia, quò ad possibile fuit, inuenta, cor-
ruptáque rursus, has illorum opiniones, quasi quas
dam reliquias, nunc vsque saluatas esse. ¶ Pater. Tex. 51.
na itaque, ac priorum opinio in tantum nobis
manifesta sit.

*Examinantur nonnullæ dubitationes circa primi intellectus intellectionem. Cap. IIII.*

EA vero quæ circa mentem sunt, quasdam du-
bitationes habent. Videtur enim eorum, quæ
apparent, quid diuinissimum esse. quo vero mo-
do se habens, talis erit, difficultates quasdam ha-
bet. Siue enim nihil intelligat, sed ita se habeat, vt
dormiens, quidnam præcellens erit? siue intelli-
gat, huius vero aliud sit principale (non enim id,
quod est eius substātia, intellectio erit, sed poten-
tia) profecto non erit optima substātia. siquidē eo
quod intelligit, ei honorabilitas inest. Præterea,
siue mēs, siue intellectio eius substantia sit, quid in
telligit? aut enim ipsa seipsam, aut aliquid aliud. q
si aliud, aut idem semper, aut aliud. Vtrum autem
differt aliquid, an nihil intelligere bonum, vel
quodcunque? An vero de quibusdam ipsam etiam
& cogitare absurdum est? Manifestum itaque est,

quòd illud intelligit, quod diuinissimum honorabilissimúmque est. Neque mutatur. in deterius nanque mutatio fieret ac motus, quod huiusmodi iam esset. Primo igitur, si non est intellectio, sed potentia, rationabile est laboriosam ei continuationem intelligendi esse. Deinde dilucidum, quòd aliquid aliud honorabilius esset quàm mens, id scilicet, quod intelligitur. Et intelligere profecto, ac intellectio & quod pessimum intelligenti inerit. Quare fugiendum hoc est, etenim quædam melius est non videre quàm videre. alioqui non fuerit, quod optimum intellectio. Seipsam ergo intelligit si est quidem quod optimum est, & est intellectio intellectionis intellectio. At videtur semper alterius esse, tum scientia, tum sensus, & opinio, ac cogitatio: sui vero ipsius, *præter necessitatem. Si aliud præterea intelligere aliud intelligi sit, secundum, quod horum inest ei bene esse? quandoquidem non est idem intellectioni esse & intellecto. An in quibusdam scientia est ipsa res, in effectuis quidem absque materia substantia, & ipsum quid erat esse: in speculativis vero, ratio res, & intellectio. Cùm igitur non sit diuersum id, quod intelligitur & intellectus, quæcunque non habent materiam, idem erunt, ac intellectio vna eius quod intelligitur. Item restat dubitatio, vtrum compositum sit, quod intelligitur. mutaretur etenim in partibus totius. An omne non habens materiam indiuisibile est, quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet. nam non bene esse habet in hoc aut in hoc, verum in toto quoddam, quod optimum est, aliud ab eo existens. sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet.

*Non videre quædam dignius est quàm videre.*

*accessorie.*

*Omne non habens materiam indiuisibile est.*

Summa



## SVMMA TERTIA.

*Quo pacto vniuersi natura ipsum bonum, ipsumque optimum habeat, opimo propria aliarumque impugnatio.*

PErscrutandũ autem etiam hoc quonam modo natura vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimum. vtrum seiparatum quiddã, & ipsum an per se, an ipso ordine. An vtroq; modo, quemadmodũ exercitus. etenim bene esse eius in ordine, & dux ipse est, ac magis ipse. non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est. Cuncta autem coordinata quodãmodo sunt, verũ non similiter & natantia, & volatilia, & plantæ, nec ita se habent, vt sit vllum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam: ad vnum nanque coordinata sunt omnia. Verũ, quemadmodum in domo liberis quidẽ minime licet quodcũq; facere, sed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata sunt: mancipiis vero & bestiis parum, quod ad communem conferat. sed vt plurimum quodcunq; contingit (tale nanq; principium cuiusque eorum natura est.) ¶ Dico autẽ pariformiter quòd necesse est omnia in * discrimen venire. & alia ita sunt, quibus omnia communicẽt ad vniuersum. Quæcunque vero impossibilia, siue abitu da aliter dicentibus accidunt, quæve dicunt elegantius dicentes, ac in quibus minime dubitationes sunt, non decet nos latere. Omnes nanque ex contrariis omnia faciunt. At non recte id, omnia, neque id, ex contrariis. quibus autem contraria insunt, quonam modo ex contrariis erunt, non dicunt: quandoquidẽ contraria impossibilia sunt à se inuicem. A nobis autem rationi consentanee hoc

Tex. 52. *Vide auer. in Epito. tract. 4.*

*Ad vnum omnia coordinata esse.*

Tex. 53. * *segregatum.*

soluitur, cùm aliqui drertium sit. Quidá verò alterum contrariorũ materiam faciunt, quêadmodũ qui in æquale æquali, aut vni multa. Soluitur autem etiam hoc eodem modo. nam materia vna nulli contrarium est. Tex.54. ¶ Item cuncta participabunt malo præter ipsum vnum, alicui tũ nanque elementorum ipsum malum est. Et alii neq. principia bonum & malum, quanquam in omnibus maxime ipsum principiũ ipsum bonum sit. Quidam autem hoc quidem recte, quòd principium: quo vero modo ipsum bonum principiũ sit, vtrũ vt finis, an vt mouens, an vt forma, non dicunt. Empedocles quoq. absurde amicitiam facit bonum, cùm hæc principium sit, & vt mouens, siquidem congregat: & vt materia: nam mixti pars est. At si etiam eidem accidat, & vt materiæ principio esse & vt mouenti, ipsum tamen esse non idem est. secundum quod igitur horum amicitia est? Inconueniens item est contendi nem incorruptibilem esse, cum hæc ipsa malí natura sit. ¶ Anaxagoras autem bonum ponit principium, vt mouens, mens enim mouet. verum alicuius gratia mouet quare alterum, nisi sit, vt nos dicimus. ars enim medendi quodammodo sanitas est. Inconueniens etiam est quòd non fecerit aliTex.55. quid bono mentique contrarium. ¶ Porro nullí eorum qui ponunt contraria, vtuntur contrariis, si quidem inquirere non pigeat: & cur quædá corruptibilia, quædam incorruptibilia nemo dicit. omnia nanque entia ex eisdem principiis faciũt. Præterea, quidam ex non ente faciunt entia, quidam vt hoc non cogantur, vnum cuncta faciunt. cur itẽ semper generatio erit, quidq; generationis causa sit, dicit nemo. At tũ illis, qui duo principia faciunt, aliud principalius principium necesse



cesse est esse: tum illis, qui formas, quia aliud principalius principium est. cur enim participauit, aut participat? Et aliis quidem necesse est Sapientiæ, ac nobilissimæ scientiæ aliquid contrarium ponere esse, nobis vero minime. nihil enim est primo contrarium, quandoquidem cuncta contraria materiam habent, & potentia hæc sunt. contraria vero ignorantia ad contrarium. primo autem nihil contrarium est. Præterea, si non erunt alia præter sensibilia, non erit principium, & ordo, & generatio, & ipsa cœlestia, sed semper principii principium, vt Theologis, Naturalibúsque cunctis. Si autem erunt formæ, aut numeri, nullius causæ erunt. si vero non, neque prorsus ipsius motus. Quo nanque item modo ex non habentibus magnitudinem magnitudo continuúmque erit? numerus nanque non faciet continuum, neque vt mouens, neque vt forma. Cæterum nihil contrariorum erit quod & factiuum & motiuum. alioqui contingere sane possit non esse. verum enimuero & facere posteriùs quàm potentia est. Entia ergo non erunt sempiterna: attamen sunt. Intuendum igitur aliquid horum est. hoc autem aliquo pacto nictum est. Item, quomodo numeri sunt vnum, aut anima, & corpus, & omnino forma & res, nemo aliquid dicit, nec dicere potest, nisi (vt nos) dicat, quod vt mouens faciat. Qui vero dicunt mathematicum numerum primum, & ita semper aliam antiquam substantiam, ac alia cuiusque principia, * in conspirantem vniuersi substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit siue non sit) & principia multa. At entia nolunt male gubernari. non est bonum pluralitas principatuum: vnus ergo princeps.

* ἐπιτευξιν adeptionem

Universidad de Deusto Biblioteca

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM

## LIBER XIII.

### SVMMAE LIBRI.

*In Prima, de Mathematicarum rerum essentia pertractatur.*

*In Secunda, disputatur contra Ideas.*

*In Tertia, probatur Numeros non esse substantias separatas.*

### SVMMA PRIMA.

*De quibus agendum sit in subsequentibus libris.*

*Cap. I.*

DE sensibilium itaque substãtia, quænam sit, dictum est: in *traditione quidem naturalium, de materia posterius vero de actu. Cùm autẽ hæc consideratio sit, vtrum præter sensibiles substantias aliqua sit immobilis & æterna necne, & si sit, quænam sit, quæ ab aliis dicuntur, primo speculandum est: vt tum si quid non recte dicant, non simus eisdem consci: tum si quod nobis & illis commune decretum sit, hoc separatim non contra nos grauiter feramus. sufficiens enim erit, si quis quædam melius dicat, quædam non deterius. Duæ autem de his opiniones sunt. Quidam etenim ipsa Mathematica substantias esse aiunt,

*μεθόδα.



aiunt, vt numeros, lineas, & quæ his eiusdem generis sunt. Et rursus Ideas. Cùm autem quidã ideas, numerósque mathematicos duo genera faciant, quidam vnam amborum naturam, quidam autem alii mathematicas tantum substantias esse dicant: primum quidem de mathematicis cõsiderandum est, nullam aliam eis addendo naturam, veluti vtrum ideæ sint necne, & vtrum principia, substantiæque entium, an non: verum tantum, vt de mathematicis, vtrum sint an non sint: & si sint, quonam modo sint. Deinde posteà seorsum de ipsis ideis simpliciter, & aliquantulum legis gratia. diuulgata nanq. plurima sunt etiam in exterioribus rationibus. Præterea ad illam considerationem oportet maiorem sermonis partẽ attendere, cùm de his consideremus, vtrum substantiæ, principiáque entium numeri ac ideæ sint. post enim ideas hæc tertia consideratio restat. Necesse autem, si mathematica sunt, aut in sensibilibus ea esse, quemadmodum aliquid dicunt, aut sensibilibus separata (& hoc etiam modo quidam aiunt) aut si neutro modo sunt, aut alio modo sunt, Quare dubitatio nobis non de ipso esse erit, verũ de modo.

*Mathematica substantias non esse magis quàm corpora, nec eis priora nisi ratione, nec ab eis separata esse posse.* *Cap. II.*

ET quidem quod in sensibilibus ea esse impossibile est, quódque simul fictitia ratio est, dictum sane in dubitationibus est, quòd simul duo solida esse impossibile est. Item quòd eiusdem rationis est cæteras quoque potentias & naturas in sensibilibus esse, ac nullam separatam. hæc itaque prius dicta sunt. Verum ad hæc etiam constat, quod impossibile esset quodcunque corpus diuidi. diuideretur enim secundum superficiem, &

hæc secundum lineam, & ista secundum punctum: quare si punctum impossibile est diuidere, etiam lineam, quòd si hanc, cætera quoque. Quid igitur differt aut has esse tales naturas, aut non esse quidem in eis tales naturas? idem nanque accidet. diuisis enim sensibilibus, dividentur, aut nec ipse sensibiles. At nec separatas esse tales naturas possibile est. Nam, si erunt præter sensibilia solida separata ab his diuersa, prioráque sensibilibus, patet quòd etiam præter superficies alias necesse est esse superficies separatas, puncta quoque, & lineas: quandoquidem eadem ratio est. Quod si hæc rursus præter mathematici solidi superficies, lineas, & puncta, alia separata siquidē incomposita, prior a compositis sunt. & si sensibilibus priora sunt corpora non sensibilia, eadem ratione superficiebus etiam, quæ in solidis immobilibus sunt. priores sunt hæ, quæ per se ipsas existunt. Quare aliæ sunt hæ, tum superficies, tum lineæ, ab his, quæ simul cum separatis solidis sunt. hæ nanque simul cum mathematicis solidis, illæ vero eis priores sunt. Rursus illarum superficierum lineæ erunt, quibus priores alias oportebit eadem ratione lineas, puncta quæ esse & eorum, quæ in prioribus lineis, alia puncta priora, quibus non erunt amplius alia priora. At absurda sane coacervatio fit. accidit nanque solida quidem vnica præter sensibilia esse, superficies vero triplices, præter sensibiles. illæ scilicet præter sensibiles, quæ in mathematicis sunt solidis, quæ quē præter eas, quæ in his sunt, lineæ autem quadruplices, puncta autem quincupla. Quare circa qualia horum mathematicæ scientiæ erunt? non enim circa superficies, lineas, & puncta, quæ in immobili solido sunt quandoquidem semper scientia circa priora est. Eadem ratio de



numeris quoque. præter enim quælibet puncta aliæ vnitates erunt, ac præter quælibet entia sensibilia. deinde præter intelligibilia. quare numerorum mathematicorum infinita genera erunt. Item quonam modo quæ in dubitationibus enumeramus solui possunt? etenim ea, circa quæ Astrologia est simili modo præter sensibilia sunt, ac circa quæ Geometria. esse vero cœlum, & partes eius, quonam modo possibile est, aut aliud quodcunque motum habens? similiter autem Perspectiuæ & Harmonicæ obiecta? erit nanque vox, & visus præter sensibilia & particularia. Quare pater, quòd alii sensus etiam, aliáque sensibilia sunt. cur enim magis illa quàm ista? quòd si hæc sunt, animalia quoque erunt, siquidem & sensus. Item quædam à mathematicis vniuersaliter præter has substantias scribuntur. erit igitur hæc quoque alia quædam substantia separata, ac media inter ideas, ac media, quæ nec numerus, nec puncta, nec magnitudo. nec tempus sit. quòd si hoc impossibile est, constat quoque illa impossibile esse à sensibilibus separata. Et omnipo contrarium, tum vero, tum ei, quod existimari solitum est, accidit, si quis ita esse mathematica ponat, vt quasdam naturas separatas. necesse enim est propterea quidem, quod ita se habeāt, priores sensibilibus magnitudinibus esse, secundum autē veritatem posteriores. siquidē imperfecta magnitudo genera tione prior, substantia posterior sit, vt inanimatum animato. Item quo & quando magnitudines mathematicæ vnum erunt? quæ quidē interdum animæ, aut parti animæ, aut alicui, quæ particeps est rationis, insunt? quòd si non multa erunt, ac dissoluentur. Illis vero (cum diuisibiles, quanta quæ sint) quidnam causæ est, vt vnum sint, con-

iunctæque maneant? Item ipsæ etiam generationes hoc manifestant, quandoquidem, quod primum est, ad longitudinẽ, deinde ad lautudinem, & tandem ad profunditatem fit, ac finem nactum est. Si itaque substantia prius, quod generatione posterius est, corpus profecto, tum superficie. tum longitudine prius erit. & hac ratione perfectum magis, atque totũ, quia fit animatum. Linea vero, siue superficies, quodammodo animata erit? supra nanque nostros sensus hæc certe dignitas erit. Ité corpus quidem substantia quædã sit, quippe quòd iam perfectionẽ quodammodo habet, lineæ vero quodammodo substantiæ erunt? nec enim vt species, & forma quædã, veluti si anima sit, quod tale est, nec vt materia, veluti corpus. nihil enim ex lineis, neq. ex superficiebus, neque punctis videtur cõsistere posse. Atqui si qua materiales substantia esset, hoc pati posse profecto videretur. Ratione itaq. prior sit. nõ tamẽ omnia. quæcunq. ratione priora, substantia quoq. priora sunt. substantia nanque priora quæcunq. separata ipso esse excedunt. ratione vero his, quorũ rationes ex rationibus. hæc autẽ non sunt simul. si enim passiones non sint præter substantias, veluti quiddam motum vel album, homine albo secundum rationem albedo prior est, non secundũ substantiam. non enim potest separata esse, verum semper vna cum toto est. dico autẽ totum hominem album. Quare manifestum est, neque prius esse, quod ex ablatione est, neque posterius, quod ex appositione est: ex appositione nanque, ipsa albedine albus homo dicitur. Quòd igitur nec substantiæ sint magis quàm corpora, nec essentia sensibilibus priora sint, verum sola ratione, nec vsquam esse separata possibile esse. satis dictum est.

*Non omnia quæcunque ratione, & substantia sunt priora.*

*Mathe-*



*Mathematica & entia esse, & quo pacto: & quomodo non priora, & quomodo priora. Vbi de abstractione multa. Cap. III.*

CVm vero nec in sensibilibus ea esse contingat, manifestum est, quòd aut omnino non sunt, aut modo quodam sunt, & ob hoc nõ simpliciter sunt. multipliciter nanque ipsum esse dicimus. Quemadmodum enim vniuersalia in Mathematicis nõ sunt de separatis præter magnitudines, numerósque, verum de his, quanquam non quatenus talia, vt magnitudinem habeant, aut diuisibilia sint, patet quòd etiam de magnitudinibus sensibilibus rationes & demonstrationes sunt: verum non prout sensibiles, sed prout tales sunt. quemadmodum enim prout mota solum multæ rationes sunt, absq; eo quòd quid sit vnumquodque eorum, ac eis accidentium consideretur, & non est necesse proterea idem aliquid motum à sensibilibus separatum esse, vel in eis aliquam naturam segregatam esse: ita de his, quæ mouentur etiam erunt rationes, atque scientiæ, non tamen quatenus mota, verum quatenus corpora tantum, & rursus prout superficies tantum, & prout longitudines tantum, & quatenus diuisibilia, & quatenus indiuisibilia situm habentia, & prout indiuisibilia tantum. Quare cum simpliciter verum sit dicere, non solum separabilia sed & non separabilia esse, veluti ea quæ mouentur, & mathematica (quia etiam talia esse) & quemadmodum cæteris scientias simpliciter verum est dicere huius esse, non eius quod ei accidat, veluti quòd albi (si salubre album sit) verum prout salubre est, ac illius, cuius vnaquæque est, si salubris salubre, si vero hominis prout homo est, ita & Geometriam, non si accidentia

*De quibus sint ipsa Mathematica, & eorum de non tot rationes, Quo pacto fiat abstractio.*

*Instantiæ solutio.*

dit sensibilia esse quorum est, non est autem eorum, prout sensibilia sunt: non erunt sensibilium Mathematicæ scientiæ, neq. profecto circa hæc, aliis separatis. Multa vero per se rebus accidunt, prout vnumquodque talium est: quoniam & quatenus fœmina animal, & quatenus mas, propriæ sunt passiones: & si nō est quicquam fœmina neque mas separatum ab animalibus. Quare etiam prout longitudines solum, & prout superficies, & quanto de prioribus ratione, ac simplicioribus, tanto magis id certitudinē habet. hoc autem simplex est. quare absque magnitudine magis quàm cum magnitudine, & maxime absq. motu, quod si habet motum primū maxime. siquidē hic simpliscissimus est, & huius qui regularis est. Eadem ratio de Harmonica, & Perspectiua est. neutra nanque prout visus: vel prout vox speculatur, verum prout lineæ, & numeri. at hæc, propriæ illorum passiones sunt: Mechanica quoque similiter. Quare si quis ab accidentibus separet, ac de eis aliquid, quatenus talia sunt, consideret, minime propter hoc mentietur. quemadmodum nec cum in terra describat, ac eam, quæ pedalis non est pedalem dicat. nō enim in propositionibus falsitas inest. Optime vero ita vnumquodque profecto considerabit, si quis separans ponat quod non est separatū quod Arithmeticus, Geometraq. facit. Vnum etenim & indiuisibile est homo, prout homo. ille vero posuit vnum indiuisibile: deinde speculatus est, si quid homini prout indiuisibile est, accidit. at Geometra nec prout homo, nec prout indiuisibilis, verum prout solida. quæ enim etiam tametsi nullibi erat indiuisibilis, inerant ei paret quod etiam absque his contingit ei posse inesse. Quare propter hoc non male Geometræ di-

*Idem primo Priorū con. 25. & primo Posteriorū. 80.*

*Inſtantia ſolutio.*

cunt



cunt, & de entibus differunt, & entia sunt. duplex enim est ens, hoc quidem actu, hoc vero materiaiter. Cùm autem bonum & pulchrum differant (siquidem illud semper in operatione, pulchrum vero etiam in immobilibus est) qui dicunt Mathematicas scientias nihil de bono vel pulchro dicere falsum dicunt. Dicunt etenim & maxime ostendunt. nam etsi non nominant, cùm tamen opera & rationes ostendunt, nonne dicunt de eis? Pulchri nanque maxime species sunt, ordo, commensuratio, & definitū, quæ maxime ostendunt Mathematicæ scientiæ. Et, cùm hæc multorum causæ esse appareant (dico autem veluti ordo & definitum) patet quòd etiam similem causam, quæ vti bonum causa est, quodammodo dicant. magis autem aperte in aliis dicemus. De mathematicis igitur, & quòd entia sunt, & quomodo entia, & quomodo non priora, & quomodo priora, tot dicta sint.

*Ens duplex.*

*Boni & pulchri diſcrimen.*

*Quo pacto Mathematicæ ſcientiæ bonum & pulchrum conſiderent.*

*Pulchri ſpecies.*

## SVMMA SECVNDA.

### Disceptatio contra Ideas.

*Quæ mouerint Idearum aſſertores ad eas ponendas. Cap. 1.*

SI Ideis autem primo ipsam, quæ de idea est, opinionē considerandum, ad numerorū naturā nihil cōsortii *habentē, sed quēadmodū opinati sunt à principio, qui primi ideas esse dixere. Accidit vero de ideis opinio illis, qui dixerūt, propterea quòd de veritate adhæserant. Heraclīti rationibus, tanquam omnia sensibilia semper fluant. Quare, si qua cuiuspiam scientia, prudentiaq. erit, oportet alias quasdam naturas permanentes esse, præter sensibiles. non enim fluentium

* a. l. Hæ-

esse scientiam. Cùm vero Socrates circa morales virtutes vacaret, & de his vniuersaliter definire primus quæreret, (naturalia enim parumper Democritus tetigerat solum, & aliquatenus calidum & frigidum definierat. Pythagorici etiam prius de quibusdam paucis, quorũ rationes ad numeros reducebant, veluti quid est tempus, aut iustũ, aut nuptiæ) ille sane rationabiliter quærebat ipsum quid est. syllogizare enim quærebat. syllogismorum vero principiũ est ipsum quid est. nondum enim tunc erat vis dialectica, vnde & possent absque eo ipso quid est contraria considerare, vtrum contrariorum eadẽ scientia esset. Duo nanque sunt, quæ Socrati iurè proprio attribuat quispiam, inductiuas orationes, & definitionem vniuersalis. hæc enim ambo circa principium scientiæ sunt. At Socrates quidem vniuersalia non ponebat separata, nec definitiones. quidam vero separarunt, ac talia entium ideas appellarunt. quare ferè accidebat eis eadem ratione omnium, quæ vniuersaliter dicuntur, ideas esse.

*Syllogismorum principium est ipsum quid est.*

*Quid Socrati in discerendo peculiare fuerit.*

*Destruuntur fundamenta eorum, qui ideas ponunt. Cap. II.*

AT simile est, sicuti si quis numerare velẽs, cùm quidem pauciora existant, arbitretur non posse: cum vero plura faciat, numeret. plures etenim (vt ita dicam) formæ sunt, quàm sensibilia particularia. de quibus cùm causas quærerent, ex his ad illas processerunt. nam & secundum vnumquodque eiusdem nominis sunt, & præter substantias, cæterorum quoque in multis est vnum, & in his, & sempiternis. Cæterũ quibus modis ostenditur, quòd formæ sunt, secundum nullum horum apparet: è quibusdam nanque non est necesse fieri syllogismum: è quibusdam vero, etiam quorum non putant, horum formæ fiunt. Secundũ nanq; rationes, quæ ex scientiis, formæ erunt omnium quorum scientiæ sunt. secundum vero vnum in multis, etiam negationum. & secundum q̃ intelligimus aliquid eius, quod corruptum est, etiam corruptibilium: siquidem horum aliqua conceptio est. Insuper quædam rationum, eorum etiam quæ ad aliquid sunt (quippe cùm exactissimæ sint) ideas faciunt, quorum non dicimus esse per se genus. Quædam etiam tertium hominẽ dicunt. Et simpliciter hæ de formis rationes, illa perimunt, quæ magis quàm ipsa ideas esse volũt, quia formas dicunt. Accidit enim non esse prius dualitatem, sed numerum: & huius quod est ad aliquid eo, quod est per se. & cuncta, quæcũque cum quibusdam sequerẽtur de ideis opinionis aduersa facere principiis. Item secundum existimationem secundum quàm dicunt idea esse, non solum substantiarum, verum etiam multorum aliorum formæ erunt. etenim vnus conceptus non solum de substantiis, sed non de substantiis etiam est. Et scientiæ non solum substantiæ erunt. & alia id genus accidunt infinita. Secundum vero necessitatem & opiniones de eis, si formæ participabiles sunt, necesse est substantiarũ solum esse ideas. non enim secundum accidens participatio earũ est, sed ea tenus vnaquæque participare est, quatenus dicitur nõ de subiecto, dico autem, vt si quid ipso duplo participat, hoc etiam æterno participat, sed secundum accidens, accidit enim duplo æternum esse. quare formæ substantia erunt. hæc autem hic & ibi substantiam significant. An aliquid est dicere esse præter hæc ipsum quid vnum in multis? etsi eadem quidem forma est idearum, & participantium, erit aliquid comm. cur enim

magis de corruptibilibus dualitatibus, & pluribus quidem, sed æternis dualitas vnum. & idem sit, quàm de hac & de aliqua? quod si non est eadem forma æquinoca erit profecto, & simile ac si quis Calliam, & ligneum homines appellarit, nullam inspiciens communicationem eorũ. Si autem cætera quidem, cõmunes videlicet rationes formis connumerare ponemus, veluti ad ipsum circulum figuram planam, & cæteras rationis partes, & quod ei cuius est, apponatur, considerandum est, ne omnino vanum hoc sit. cui nanq. apponetur? medio, an plano, an cunctis? Omnia enim, quæ in substantia sunt, ideæ sunt, vt animal & bipes. Item patet, quod ipsum quoque necesse est quid esse, veluti planum naturam quandam, quæ omnibus speciebus vt genus inerit.

*Ideas ipsas neque rebus, neque scientiis prodesse.*

*Cap. III.*

POtissimum vero quispiam dubitabit, quidnam formæ conferant, aut sempiternis sensibilium, aut illis, quæ fiunt, & corrumpuntur. nec enim motus, nec alicuius transmutationis, eis ipsis causæ sunt. At nec ad scientiam aliorum prosunt. nec enim horum illæ substantiæ sunt: in his etenim essent. Nec adesse, quippe cùm non insint participantibus. Ita etenim fortassis causæ putabuntur esse, vt albũ mistum albo. Sed ista ratio facile redargui potest, quam Anaxagoras prior, Eudoxus vero posterior dubitans, & alii quidam dixerunt, facile enim est multa & impossibilia ad hãc opinionem congerere. At nec ex formis cætera sunt secundum vlium illorum modorum, qui dici solent. Dicere vero exemplaria eas esse, & cætera participare, vana & figmenta poëtica est dicere. Quid enim est, quod agit, ad ideas inspiciens? Possi



Possibile enim est & esse, & fieri quodcũq;, etiam non ex imagine. quare, & existente Socrate, & nõ existente, fiet vtique quale Socrates est. Similiter etiam dilucidum, si Socrates sempiternus esset, & eiusdem erunt plura exemplaria, quare & forma, vtputa hominis animal, & bipes: simul autem & idealis homo. Item nõ solùm sensibilium exemplaria forma erunt, verumetiam ipsarum: vtputa genus formæ, quæ in generis sunt. quare idem erit exemplar & imago. Item videretur impossibile esse separatam substantiam, & id, cuius substantia. Quamobrem, quomodo ideæ, cùm rerum substantiæ sint, separatæ erunt? In Phædone vero hoc modo dicitur, & tum ipsius esse, tum ipsius fieri formæ causæ sunt. attamen quamuis formæ existant, non fiunt, si non sit, qui moueat, & multa alia fiunt, vt domus, & annulus, quorum non dicunt formas esse. Quare patet cætera quoque, quorum aiunt ideas esse, posse & esse & fieri propter tales causas, quales eorum sunt, quæ nunc dicta sunt, & non propter formas sed de ideis quidem, & hoc modo, & per alias tum magis dialecticas, tum certiores rationes, multa iam considerantis, similia congregari possunt.

*SVMMA TERTIA.*

Opinionum numeros substantias separatas ponentium destructio.

*Quot modis possibile sit dicere numeros substãtias esse separatas: & quimodis illis vsi sint. Cap. I.*

VIn autem de his determinatum sit, decet rursus, quæ circa numeros illis accidũt, qui eos substãtias separatas dicũt, ac entiũ causa primas speculari. Necesse vero est, si numer⁹, quædã

natura est, nec est alia quædam eius substantia, sed hoc ipsum, vt quidē aiunt, aut quoddam eius primum esse, quoddam consequens, quod sit secundum, quodque specie diuersum. & hoc aut in vnitatibus confestim existit,& est quæcunque vnitas cuique vnitati incombinabilis: aut sunt confestim consequenter omnes, & quæcunque quibuscunque combinabiles, qualem aiūt mathematicum numerū esse, (in mathematico enim nulla vnitas alia ab alia differt) aut quasdam combinabiles, quasdam non: veluti si post vnum est prima dualitas,deinde trinitas,& sic alius numerus. Sunt autem vnitates in vnoquoque numero: veluti quæ in prima dualitate sunt, inuicē combinabiles, & quæ in prima trinitate sunt,inuicē: & ita in cæteris numeris. Quæ vero in ipsa dualitate incombinabiles eis, quæ in ipsa trinitate sunt & similiter de aliis cōsequentibus numeris. Ideo mathematicus quidem numeratur, post vnū duo,cum anteriori vno aliud vnum. tria quoque cum his duobus aliud vnum, & reliquus quidem similiter. iste vero post vnū duo alia, absque primo vno. & trinitas absque dualitate, similiter autem & reliquus numerus. Aut igitur quendam numerorum esse oportet qualis primus dictus est, quendam autem qualem Mathematici dicunt: tertium vero qualis vltimo dictus est. Item istos numeros aut separatos à rebus esse, aut non separatos, sed in ipsis sensibilibus. non autem ita vt prius considerabamus, sed vt ex numeris inexistētibus ipsi sensibilibus. aut quendam eorum esse, quendam non. aut omnes esse. Modi quidem, secundum quos contingit eos esse, hi sunt necessario soli. At hi etiam, qui dicunt ipsum vnum principium substantiam, ac elementum omnium



omnium esse, & ex hoc & alio quodam numerum esse, ferè singuli horum aliquem modorum dixerunt, præterquàm qp omnes vnitates incombinabiles sint. & rationaliter accidit. non enim contingit alium modum esse, præter eos qui dicti sunt Quidam itaq; ambos numeros esse aiūt. illum quidem qui prius & posterius habeat ideas: mathematicum vero, præter ideas & sensibilia: ac ambos à sensibilibus separatos. Quidam mathematicum solum numerum esse primum entium, ac à sensibilibus separatum. Pythagorici quoque vnum ipsum mathematicum, verum non separatum, sed eo sensibiles substantias constare dicunt. totum enim cælum ex numeris construunt, præter id, quod non ex monadicis, sed vnitates existimant habere magnitudinem. Quo autem modo primum vnum consistit magnitudinem habens, dubitare videntur. Alius autem quidam primum, numerum, ipsum formarum vnum esse: alii vero & ipsum mathematicum, hunc eundem esse. Simili modo etiam circa longitudines, & plana, & solida. quidam enim alia esse mathematica, & alia, quæ post ideas. Eorum vero qui aliter dicunt, quidam mathematica, & mathematice dicunt: quicunque ideas non faciunt numeros, nec esse ideas aiunt, quidam mathematica, non mathematice. non enim secant omnem magnitudinem in magnitudines, neque quascunque vnitates dualitatem esse. monadicos autem numeros esse ponunt omnes, præter Pythagoricos, quicunque vnum, elementum, atque principium entium aiunt esse. illi enim habentia magnitudinem aiunt, vt prius dictum est. Quot igitur modis contingat de eis dici, quódque omnes modi dicti sint, ex his manifestum est.

*Pythagoricorum opinione sensibiles substātias mathematico constare.*

Sunt autem cuncta quidem impossibilia, magis vero fortassis altera alteris.

*Disputatio contra ponentes Ideas numeros esse.*

*Caput.* II.

PRimo itaque considerãdum est, vtrum combinabiles sint vnitates, an incombinabiles. Quòd si incombinabiles, quonam modo, vt diuisimus. est enim quamcunque cuicunque vnitati incombinabilem esse. est autẽ & eas, quæ in ipsa dualitate sunt, ad eas quæ in ipsa trinitate, & sic eas, quæ in vnoquoque numero primo sunt, incombinabiles inuicem esse. Si omnes igitur vnitates combinabiles, & indifferentes sint, mathematicus numerus sit, & vnus solus, neque contingit ideas numeros esse. qualis nanque numerus idealis homo, aut animal, aut aliqua alia specierum erit? Idea nanque vna vniuscuiusque veluti ipsius hominis vna, & ipsius animalis alia vna. hi vero similes & indifferẽtes infiniti. Quare nihil magis hæc trinitas ipse idealis homo erit, quàm quæcunque. Quòd si ideæ nõ sunt numeri, nec omnino possibile est eas esse. ex quibus nanque principiis ideæ erunt? numeris enim ex vno & dualitate indeterminata est. ac principia & elementa ipsius numeri dicuntur, neque ea contingit, aut priora, aut posteriora numeris ordinare. Si vero vnitates incombinabiles sunt, & ita incombinabiles, vt quæcunque cuicunque, nec mathematicum hunc contingit esse numerum. mathematicus nanque ex indifferentibus est. & quæ de eo ostenduntur, tanquam in tali conueniunt. Nec hunc esse formarum. non enim erit dualitas prima ex vno & indeterminata dualitate. Deinde cõsequẽtes numeri, vt dicitur, dualitas, trinitas quaternitas. simul etenim quæ sunt in prima



prima dualitate vnitates generantur: siue quemadmodum qui prius dixit, ex inæqualibus (factis nanque æqualibus fiebant) siue aliter. Deinde, si altera vnitas prior altera erit, dualitate etiã, quæ ex his fit, prior erit. cùm enim aliquid sit, quoddam prius, quoddam posterius, & quod ex his, hoc quidem prius, illo vero posterius est. Item, cum primum quidem ipsum vnum sit, deinde cæterorum est aliquod primum vnum, secũdum vero post illud, & rursus tertium, secundũ quidem post secũdum, tertium vero post primum, vnum. Quare priores profecto erunt vnitates, quàm numeri, qui eas amplectuntur. veluti in dualitate erit tertia vnitas, antequam tria sint: & in trinitate, quarta & quinta, antequam hi numeri sint. At nemo eorum hoc modo dixit vnitates incombinabiles. verum secundum quidem principia eorum ita esse rationabile est, secundum autem veritatem impossibile est. etenim vnitates priores & posteriores esse rationabile est si & quædam quidem prima vnitas est, vnumque primum & dualitates similiter, si & prima quidem dualitas est. post nanque primum rationabile & necessarium est secundum quiddam esse: & si secundum tertium, & ita cætera cõsequenter. Simul vero vtrũque dicere, vnitatémque primam post vnam esse atque secundam & primã dualitatem impossibile est. hi vero vnitatem quidem & vnum primum faciunt, secundum vero, & tertium nequaquam, ac dualitatem primam, secũdam vero & tertiam minimé. Constat autem, quòd si omnes vnitates incombinabiles sunt, non contingit dualitatem ipsam esse, ac trinitatem, & sic cæteros numeros, siue nãq. sint vnitates indifferentes, siue differẽtes singulæ à singulis, necesse est numerũ numerari

per additionem. veluti binarium, ad vnum vno alio addito. ternarium quoque, alio ad duo apposito. & simili modo quaternariũ. Quare cùm ita sint, impossibile est numerorũ esse generationẽ, quemadmodum ex dualitate & vnitate generãtur binarius nanque pars ternarii sit, & hic quaternarii. eodem autem modo & in consequentibus accidit. At ex primo binario, indeterminatóque binario fiebat quaternarius, duo binarii præter ipsum binarium, quòd si non, pars erit ipse binarius. alter vero adhuc erit vnus binarius. & binarius erit ex ipso vno & alio vno. Quod si est, non est possibile alterum elementum esse indeterminatum binarium. vnam enim vnitatem generat, sed non determinatum binarium. Item præter ipsum ternarium, ipsúmque binarium, quomodo erunt alii ternarii & binarii? quóue modo ex prioribus & posterioribus vnitatibus componũtur? hæc enim omnia & ficitia sunt & impossibile esset esse primum binarium: deinde ipsum ternarium. at necesse est, postquam vnum quidem & indeterminatus binarius elementa erunt, quòd si quæ accidunt, impossibilia sunt, hæc quoque principia impossibile est esse. si itaque vnitates quæcunque à quibuscunque differant, hæc & alia huiuscemodi necessario accidunt. Si autem quæ quidem in alio differentes sunt, quæ vero in eodem numero indifferentes intricem solæ, non pauciora difficultatem ingerentia, hoc quoque modo accidunt, veluti in ipso denario decem vnitates sunt componitur autem denarius, tum ex his tũ ex duobus quinariis. Cùm vero ipse denarius nõ sit quicũq; numerus, nec ex quibuscunque quinariis componatur, sicuti nec vnitatibus necesse est vnitates, quæ in hoc denario sunt, differre. nã si nõ differant nec quinarii differont, ex quibus denarius est: cum verò differant, vnitates quoque different. Si igitur differant, vtrum non erunt quinarii alii, sed hi duo tantum, an erunt? siue igitur non erunt, inconueniens est siue erunt qualis ex eis denarius erit? non est enim in denario alius denarius præter ipsum. at vero etiã necesse est, vt non ex quibuslibet binariis quaternarius cõponatur. indeterminatus nanque binarius (vt aiunt) determinatũ accipiens binarium, duos binarios effecit: eo enim, quod cepit, binarii fuit efficiens. Item, quonammodo contingit binarium præter duas vnitates, ac ternariũ præter tres vnitates aliquam esse naturã. aut enim certè alterũ alterò participabit, quemadmodum albus homo præter album & hominem (his enim participat) aut cum alterum quædam alterius differentia sit, quemadmodum homo præter animal & bipes. Item quædam tactu quædam mistione, quædam positione sunt vnum, quorum nihil vnitatibus, ex quibus binarius atque ternarius fit, competit: sed quemadmodum duo homines nõ sunt vnum quid præter vtrúque, ita de vnitatibus quoque necesse est. Et non, quoniam indiuisibile, idcirco different. etenim pũcta quoque indiuisibilia sunt: verumtamen dualitas eorum nihil aliud est præter duo. At vero nec hoc latere decet, quod accidit priores, posterioréſque dualitates esse, similiter autem & alios numeros. Binarii enim, qui in quaternario sunt, sunt intricem simul: sed ipsi his qui octonario insunt, priores sunt & genuerunt (quẽadmodum binarius ipsos) ipsi quaternarios, qui in ipso octonario sunt. Quare si & primus binarius idea. hi quoq; quædã idea erũt. Eadẽ ratio de vnitatibus etiã est. quæ enim in prima duali-

tate sunt vnitates, generant quatuor. quæ in quaternario sunt. Quare omnes vnitates ideæ sunt, & componetur idea ex ideis. Quamobrem patet, quòd etiam illa, quorum hæ sunt ideæ, compositæ erũt. veluti si quis animalia dicat ex animalibus componi, & horum ideæ sunt, ex animalibus ideæ erũt. Et omnino facere vnitates quomodocunque differentes, absurdũm & fictitium est. Dico autem fictitium, quod ad suppositionẽ coactum est. nec enim secundum quantum, nec secundum quale videmus differre vnitatem ab vnitate. necesséque est aut æqualem, aut inæqualem esse omnem quidem numerum, sed præcipue monadicum. quare si nec maior neque minor, æqualis. æqualia verò & omnino indifferentia eadem putamus esse in numeris. Quòd si non ita sit, nec dualitates, quæ in hoc denario sunt, indifferentes erunt, cum æquales sint. quam enim causam dicturus est, qui dicit indifferentes esse? Item, si omnis vnitas & vnicas alia, duo vnitas quoque quæ ex ipsa dualitate, & quæ ex ipsa trinitate duas erit, & ex indifferentibus. Et vtrum trinitate prior an posterior? Magis nanque videtur necessarium priorem esse. hæc nanque vnitatum simul trinitati, illa verò simul dualitati. Et nos quidem omnino putamus vnum & vnum, siue æqua ia, siue inæqualia sint, duo esse, veluti bonum & malum, & hominem & equum. qui verò ita dicunt nec ipsas vnitates. Siue autem non est maior numerus ipsius trinitatis quàm dualitatis, mirũ est. siue est maior, constat quòd æqualis etiam dualitati ineſt. quare ipse indifferens ab ipsa dualitate. verum non contingit. si primus aliquis numerus est, & secundus. Nec erunt ideæ numeri. hoc enim i psum rectè diunt, qui vnitates differentes debere



esse arbitrantur, si quidem erunt ideæ (vt prius dictum est) vna profectò erit species. Si verò vnitates indifferentes, dualitates quoque, ac trinitates indifferentes erũt. quare necesse est eis dicere ita numerandum esse, vnum, duo, non superaddito iam præexistenti. nec enim generatio ex indeterminata dualitate erit, nec ideam esse contingit. inerit nanque altera idea in altera, cunctæque formæ vnius partes. quare secũdum suppositionẽ quidem rectè dicunt, simpliciter verò non rectè. multa nanque perimunt. Cùm autem hoc ipsum habere quandam profectò dicãt dubitationem, vtrũ cùm numeremus & dicamus vnũ, duo, tria, assumẽtes numeramus, an secundum particulas. vtroque autem modo facimus: quapropter ridiculum est, hanc ad tantam substantiæ differentiam reducere. Ante autem omnia probe se habet determinare quænam numeri, & vnitatis differentia est, si est. Necesse autem est, aut secundũ quantum, aut secundum quale differre. neutrũ autẽ horũ videtur posse esse. verũ prou. numerus, secundum quantum. Si itaque etiam vnitates quantitate differrent, numerus quoq; à numero differret, qui æqualis est, plenitudine vnitatũ. Item vtrum primæ maiores, an minores, & posteà crescant, an econuerso? hæc enim omnia absurda sunt. At vero nec secundum qualitatem differre cõtingit. nullam enim inesse passionẽ possibile est. etenim numeris quoq; posterius aiunt inesse qualitatem quàm quantitatem. Item nec ab vno hoc ipsæ patientur, nec à dualitate. hoc enim non est quale, illa verò quantum, quale. nam vt entia musta sint, hæc natura causa est. Si igitur aliter quoquo modo se habet, dicendum hoc maxime in principio est, & de differẽtia vnitatis determinandum.

maxime quidem & propter quid necesse est existere, quòd si non, quam dicũt? Et quidem, si ideæ numeri sunt, dilucidum est. quòd neutro modorum contingit, nec combinabiles cunctas vnitates esse, nec inuicem incombinabiles.

*Distruuntur opiniones: Et ea, quæ numeros mathematicos rerum principia ponit: Et ea, quæ eundem esse numerum & mathematicum, & idealem dicit: Et ea, quæ Pythagoricorum ipsi dicentium numeros quidem separatos non esse, sed ex ipsis constare corpora. Redditúrque earum erroris causa. Cap. III.*

ATnec, vt alii quidem de numeris dicunt, recte dicitur. sunt autem hi, qui cunque ideas qui lem esse non putant, nec simpliciter, nec vt numeros quosdam existentes: mathematica vero esse, & numeros entium primos, ac eorũ principium esse ipsum vnum. Absurdũ nanq; est, vnum quidem esse quid primum vnorum, vt illi aiunt, dualitatem vero nõ esse dualitatum, neque trinitatem trinitatum. eiusdem enim rationis omnia sunt. Si igitur ita se habeant quæ circa numerum sunt, & solum mathematicum quis esse ponat, ipsum vnũ nõ est principium. necesse enim esset, vt tale vnum differret ab aliis vnitatibus. quòd si hoc, dualitatẽ quoque primam à dualitatibus. similiter autem cæteros quoque consequẽtes numeros si autem ipsum vnum est principium, necesse magis est quæ circa numeros sunt se habere (vt Plato aiebat) ac esse dualitatem primam & trinitatem, nec esse numeros ad se inuicem combinabiles. si quis vero rursus hæc ponat, dictum est quòd multa impossibilia accidunt. At necesse est aut hoc, aut illo modo se habere. quare si neutro modo non est possibile numerum esse separatum.



tum. Constat autem ex his, quòd tertius modus pessimè dicitur, eundem videlicet esse mathematicum & formarum numerum. Necesse est enim in vnam opinionem duos errores conuenire. nec enim mathematicum numerum contingit hoc modo esse, sed proprias suppositiones supponentem necesse est prolixum esse. Et in super quæcũque accidunt eis, qui vt formas numerum dicũt, hæc etiam necesse est dicere. Modus vero Pythagoricorum partim pauciores habet difficultates, quàm prius dictæ sunt, partim alias proprias. Nã nõ separatum facere numerum aufert multa impossibilia. Corpora vero ex numeris esse composita, & hunc numerum mathematicum esse, impossibile est, nec enim indiuiduas magnitudines dicere verum est. Deinde, quia hoc modo maximè se habent, vnitates vero nõ habent magnitudinem. magnitudinem vero ex indiuisibilibus componi quonam modo possibile est? At vero numerus arithmeticus monadicus est. illi vero numerum entia dicunt. speculationes enim adaptant corporibus, tanquam existentibus ex ipsis numeris. Si igitur necesse quidem est horum aliquo dictorum modorum esse, numeris quidem aliquid per se entium est, nullo autem horum esse contingit, constat non esse aliquam talem numeri naturam, qualem asserunt, qui eum separatum faciunt. Item vtrum vnaquæque vnitas ex magno & paruo adæquatis sit, aut hæc quidem è paruo, illa vero ex magno? Si itaque sic, nec ex omnibus elementis vnumquodque est, nec vnitates sunt indifferentes, in hac quidẽ magnum, in hac vero paruum ineſt, suapte natura cõtrarium existens. Item quæ in ipsa trinitate quonam modo sunt? vna enim superflua est. sed propterea fortassis

tasis ipsum in impare medium faciunt. Quòd si vtraq. vnitatum ex ambobus est adæquatis, quonam modo dualitas vna quædam existens natura, ex magno & parvo erit? aut quid ab vnitate differt? Item vnitas prior dualitate. perempta nanq perimitur dualitas. ideam igitur ideæ necesse est eam esse, cùm prior idea sit, ac priorem factâ fuisse ex aliquo igitur, indeterminata enim dualitas dualitatis efficiês erat. Item aut finitum, aut infinitum necesse est numerum esse. numerum enim separatum faciunt. quare nõ est possibile non esse horum alterum. Et quidem quòd infinitum esse non contingit, pater infinitus enim, nec par nec impar est. generatio vero numerorũ, aut impar numeri, aut paris semper est. cùm enim vnum hoc non cadat in parem, impar efficitur. cùm vero hoc modo dualitas incidat, qui ab vno duplicatur. sic autem imparibus, alius par. Item si omnis idea alicuius est numeri vero ideæ sunt, infinitus quoque numerus erit alicuius vel sensibilium, vel alicuius alterius idea. quamuis nec secundum positionem, neque secundum rationem contingit, ita tamen ordinant ideas. Quòd si finitus, vsquequo? hoc enim dici oportet, non solùm quod est, verumetiam propter quid est. A vero, si numerus ac denarium vsq. vt quidam aiunt, primo quidem cito deficient formæ. puta si trinitas est homo idealis, quis numerus erit idealis equus? etenim ad denarium vsque numerus est idealis, ideo necesse est quosdam eorum numerorũ in eis esse. hi enim horum substãtiæ, ideæque sunt attamen deficient si formæ quidem animalis excedent. Simul autem constat, quòd si hoc modo trinitas idealis homo sit, & cæteræ quoque trinitates, cum simules sint, qui

*Generatio numerorũ.*



in eisdem numeris sunt. quare infiniti homines erunt, aut vniuscuiusque idealis homo, si vnusquisque trinitas idea est, aut si non, saltem homines. Et si minor pars sit maioris, qui ex his combinabilibus vnitatibus est, quæ in eodem sunt numero, si alicuius ideo sit ipsa quaternitas, veluti equi aut albi, homo erit pars equi, si homo dualitas sit. Absurdum item est denarii quidẽ ideã esse, vnde narii autẽ non, neque sequentiũ numerorũ. Item & sunt & fiunt quædam, quorum formæ nõ sunt, vnde qua de causa non sunt illorum formæ? non sunt ergo formæ causæ. Item inconueniens est, si numerus vsq; ad denariũ magis quid ens, & ipsius denarii species, tametsi huius quidem non sit generatio tanquam vnius, illius tamen sit. tentãt autem tanquam si is, qui ad denariũ vsque est perfectus numerus sit. generant porro quæ sequuntur veluti vacuum, proportionem, abundans cæteraque huiusce modi. infra denarium quædam quidem principiis attribuunt, puta motum, stationem bonũ, malum. alia vero numeris ideo vnum impar est. si enim in trinitate, quomodo quinarius impar? Magnitudines item, & quæcunque similia quousque quanta? veluti prima linea indivisibilis. deinde dualitas, deinde hæc etiam ad denarium vsque. Item, si numerus separatus est, dubitauerit quispiam verum vnum prius, an trinitas & dualitas, quatenus enim numerus compositus est, vnum est. quatenus vero vniuersale & forma prior numeris est. vniquæque enim vnitatum pars numeri, vt materia est: ille vero, vt forma ac quodam quidem modo rectus prior acuto, quia & in ratione definiente positus est: quodã vero modo acutus, quia pars est, ac in hũc diuiditur. tãquã igitur materia acutus, elemẽtum,

&

& vnitas, prius. at vero secundum formam, & eam, quæ secundum rationem est, substantiam, rectus, ac totum, quod ex materia & forma. quod enim ambo est, propinquius est formæ, & ei cuius ratio est: generatione vero posterius.

*Principiū quomodo vnum.*

Quo igitur modo ipsum vnum principium est? quia non est diuisibile, aiunt, sed indiuisibile, tum vniuersale, tum particulare, & elementum. verum alio modo, illud quidem secundum rationem, hoc vero secundum tempus. Vtroque itaque modo ipsum vnum est principium? vt enim dictum est, & rectus acuto, & iste illo prior esse videtur, & vtroque vnus. Vtroque igitur modo ipsum vnum faciunt principium. At impossibile. hoc enim vt forma, & substantia: hoc vero vt pars & materia. Est nanque quodammodo vnum vtrunque secūdum veritatem quidem potentia. siquidem vnum quid est numerus, & non acervus. sed alius ex aliis (vt aiūt) vnitatibus: actu vero non est vtraque vnitas. Causa vero erroris, qui accidit, quia simul ex mathematicis & vniuersalibus rationibus venabantur, ita vt ex illis quidem tāquam punctum posuerint ipsum vnum, & principium. vnitas enim & punctum sine positione est quemadmodum igitur quidam ex minimo entia composuerunt, ita & ista. quare vnitas efficitur numerorum materia, simúlque dualitate prior. rursúsque posterior. tanquam dualitate existente toto quodam, & vno, & forma. ex eo vero, quòd vniuersale quærebant prædicatū vnum, & ita vt partem dixerunt. at simul hæc eidem inesse impossibile est. Quod si ipsum vnō sine positione esse oportet (in nullo enim differt, nisi quòd principium est, & dualitas quidem diuisibilis, vnitas vero non, similior erit profecto ipsi



ipsi vni vnitas. si autem vnitas, illud quoque vnitati quam dualitati ea quoque de re vtraque vnitas prior dualitate erit. an nō dicunt: generant sanè dualitatem primo. Item, si dualitas ipsa vnum quid est, ac ipsa trinitas, ambo dualitas, ex quo igitur hæc dualitas? Dubitabit autē quispiā, quòd cùm tactus quidem in numeris minime sit, cōsequentibus quidem his, quarumcunque non est aliquid medium, vnitatibus, veluti his, quæ in dualitate, trinitatéve sunt, vtrum consequentes sint ipsi vni, an non: & vtrum dualitas prior est his, quæ consequuntur, an quacunque vnitatum. Simili modo hæ difficultates de posterioribus etiam numero generibus, linea, plano, & corpore accidūt. Quidam enim ex magni & parui speciebus faciunt: veluti ex longo quidam & breui lōgitudines, ex lato vero & stricto plana, ex profundo autem & humili moles. hæ autem magni & parui species sunt. principium vero est, quod secundum ipsum vnū est. Alii ea, quæ eorum sunt, aliter posuerunt. At etiam in his infinita videntur impossibilia, & fictitia, & omnibus rationabilibus contraria, absoluta nanq. abinuicem accidet ea esse, si principia etiam non consequuntur, vt sit latum & strictum, longum & breue. at si hoc erit, planum erit linea, & solidum planum. Anguli item & figuræ & huiusmodi. quonā modo assignabuntur? idémque accidet, quod eis, quæ circa numerum. hæ nanque magnitudinis sunt passiones. non ex his magnitudo quemadmodum nec ex recto & curuo longitudo, nec ex leui & aspero solida. His autem omnibus commune, quod in speciebus, quæ sunt vt generis, dubitari accidit, cum quis vniuersalia ponat: vtrum animal ipsum in animali, an alterum ab ipso ani-

mali. Hoc nanque, si sit non separatum, nullam dubitationem faciet. si vero sit, quemadmodum qui hæc dicunt separatum ab vno & numeris. non est facile soluere: si non facile dicere oportet, quod impossibile est. cùm enim vnum quis in dualitate intelligat, & omnino in numero, vtrum ipsum quid, an aliud intelligit? Quidam itaque ex tali materia magnitudines generant, quidam ex puncto (punctum autē eis non vnum, sed quale vnum esse videtur (& altera materia qualis est multitudo, sed non multitudine. de quibus nihil minus eadem accidit dubitare. Nam si materia vna est, idem linea, planum, & solidum sunt. ex eisdem enim vnum & idem erit. Quòd si materiæ plures. & altera quidem lineæ, altera plani, altera solidi, aut sequuntur inuicem, aut non. quare hoc etiam modo eadem accident. planum etenim aut non habebit lineam, aut linea erit. Item quo quidem modo contingit ex vno & multitudine numerum esse, nihil dicere conantur. quomodocunque autem dicant, eædem difficultates accidunt, quæ illis quoque, qui ex vno & indeterminata dualitate dicebant. Quidam nanque ex eo quòd vniuersaliter prædicatur, & nulla multitudine numerum genera. quidam ex aliqua multitudine, prima tamen dualitatem nanq. primam aliquam multitudinem esse. Quare (vt ita dicam) nihil differunt, sed eædem dubitationes sequentur, siue mistio sit, aut positio, aut temperamentum, aut generatio, & quæcunque alia similia. Maxime autem aliquis inquirat si vna sit quæque vnitas, ex quonam est, non enim erit vnaquæque ipsum vnum. necesse autem est, aut ex ipso vno, & multitudine esse. aut ex parte multitudinis. atqui multitudinem dicere vnitatem esse, impossibile



bile est, cùm indiuisibilis sit. Quòd autem ex parte sit alias habet multas difficultates. vnamquanque enim partium, aut indiuisibilem, aut multitudinem necesse est esse, ac vnitatem diuisibilem, & ipsum vnum, ac multitudinem non esse elementum. quandoquidem vnaquæque vnitas non est multitudine, ac vno. Item qui hoc dicit, nihil aliud quàm alium numerum facit. multitudo nanque indiuisibilium numerus est. Item quærendum etiam ab eis, qui sic dicunt, vtrum numerus infinitus an finitus sit. erat nanque, vt apparet, multitudo quoque finita, ex qua & vno sunt vnitates finitæ. aliúdque est ipsa multitudo, multitudóque infinita. qualis itaque multitudo, & vnum est elementum? Similiter autem de puncto quoque aliquis quæreret, ac elemento, ex quo faciunt magnitudines. non enim vnum solum punctum hoc est. ex quo nanque vnum quodque aliorum punctorum? non enim ex quadā dimensione ipsoque puncto. At vero nec partes diuisibiles esse contingit partes dimensionis, quemadmodum multitudinis, ex quibus vnitates. numerus nanq. ex indiuisibilibus cōponitur. magnitudines vero minime. Hæc itaq. omnia, cæteraq. similia manifestant, q impossibile sit numerum ac magnitudines separatas esse. Præterea, quod ipsi primi de numeris discordant, signū est ipsas res, cùm non sint veræ, ipsis præbere confusionem. Quidam enim qui mathematica tantum faciunt præter sensibilia. cùm viderent difficultatem atq. fictionē circa formas, destiterūt à numero ideali, ac mathematicum fecerunt. Quidā vero, cùm formas simul & numeros facere vellēt, neque viderent quonam modo si quis hæc principia ponat, mathematicus numerus præter idealē esset,

eundem idealem ac mathematicum numerum fecerunt ratione: quia autē opere sublatus est mathematicus, proprias profecto & non mathematicas suppositiones dicunt. Qui vero primus formas & numeros esse posuit, formas & mathematicas esse rationabiliter separauit. quare accidit omnes secundum quid recte dicere, omnino vero non recte, ac ipsi etiam fatentur non eadem, sed contraria dicentes. Causa vero est, quòd suppositiones atque principia falsa sunt. difficile autem est (vt ait Epicharmus) ex non bene præsuppositis bene dicere. cùm primū enim aliquid dicitur, confestim apparet non bene dictū. sed de numeris quidem sufficiant quæ dubitata & quæ determinata sunt. cuicunque nanque persuasum est, magis ei ex pluribus persuasum fuerit. vt autē illi persuadeatur, cui nō est persuasum, nihil magis.

*Exuppositionibus nō bonis difficile est bene dicere.*

*Considerandum esse quid & quomodo dicitur Ideas Numerósue esse rerum principia. Ostenditur autem quod ideæ principia esse non possunt.*

*Caput.* IIII

DE primis vero principiis, primisque causis & elementis quæcūque quidem dicunt, qui de sola sensibili substantia determinant, quædam in Naturalibus dicta sunt, quædam non sunt præsentis scientiæ, Quæcunque vero aiunt, qui dicunt præter sensibiles esse alias substantias, consequens est dictis speculari. Cùm igitur quidam ideas, ac numeros tales esse dicant, elementáque eorum elemēta, principiáque entium esse, considerandum de his, quid & quonam modo dicunt. Verum qui numeros tātum & hos mathematicos faciunt, posterius examinandi sunt. Eorum autem, qui ponunt ideas. simul quispiam, & modum profecto viderit, & dubitationem, quæ de eis sit. simul nanque vniuersales substantias faciunt ideas, & rursus vt separatas & singularium. hæc vero, quod non contingant, dubitatū est prius. Causa vero eis, qui vniuersales ideas dicunt, vt eas in idem coniungant, fuit, quia sensibilibus non faciebant easdem substantias. singularia etenim, quæ in sensibilibus, fluere putabant, nec aliquid horum manere. vniuersale autem præter hæc, tum esse, tum aliud quid esse. Hoc autem (vt antea dicebamus) mouit quidem Socrates propter definitiones, nō tamen à singularibus separauit. & hoc recte intellexit, non separans. constat autem ex operibus. etenim absque vniuersalibus quidem nō est accipere scientiam: separare autem causa difficultatum, quæ circa ideas accidunt. est. Quidam vero tanquam necessarium sit, si substantiæ quædam præter sensibiles, & fluentes erunt, separatas esse (alias quidem non habebant) eas sane, quæ vniuersales dicuntur, attulerunt: vt fere accidat easdē naturas vniuersales, ac particulares esse. at hæc ipsa per seipsam erit difficultas eorū, de quibus dictum est.

*Difficultatis determinatis, quo pacto vniuersalis dicatur esse scientia, si substantiæ separatæ non sunt.* *Cap.* V.

QVòd vero & his qui dicunt ideas, & his qui non dicunt, aliquam dubitationem habet, quod & à principio in dubitationem dictum est prius, modo dicamus. Nam si quis substantias non ponat esse separatas, & hoc modo sicuti entium singularia dicuntur, perimet substantiam, quemadmodum dicere volumus. Quod si quis substantias separatas ponat, quomodo principia earum & elementa ponet? si singulare nanque & vniuersale, tot erunt entia

quot elementa, neque scibilia elementa. sint etenim syllabæ quidem, quæ in voce sunt substantiæ. elementa vero earum elementa substantiarum necesse autem est B A, & vnamquanque syllabarum vnam esse, si non vniuersaliter quidem & specie eædem, sed vna numero vnaquæque, & quod quid, nec æquiuocum. Item ipsum quod est vnumquodque vnum ponunt. quod si syllabæ, ita illa quoque, ex quibus sunt. non erunt igitur plura A, quàm vnum, nec aliorum elementorum vllum secundum eandem rationem, secundum quam nec aliarum syllabarum eadem altera & altera. At vero si hoc præter elementa non erunt alia entia, sed solum elementa. nec item erunt scibilia elementa, cùm non sint vniuersalia, scientia vero vniuersalium sit. constat vero ex demonstrationibus, ac definitionibus. non enim fit syllogismus, quòd hic triangulus duobus rectis, nisi omnibus duo recti nec quòd hic homo animal, nisi omnis homo animal. At vero si principia vniuersalia sunt, aut etiam substantiæ, quæ ex his fiunt, vniuersales sunt, erit non substantia prior substantia. vniuersale namque non est substantia: elementum vero & principium vniuersale est. est autem elemẽtum & principium prius his, quibus principium & elementum est. Hæc itaque omnia rationabiliter accidunt, tum cùm ex elementis ideas faciunt, tum cùm præter ea ideas, substantiásque, quæ eandem formam habent, vnum quid separatum esse censent, quòd si nihil prohibet, quemadmodum in vocis elementis multa A, multáque B esse, nihilque præter multa ipsa A, ipsáque B esse, erunt ob hoc infinitæ similes syllabæ. Quod autem omnis scientia vniuersalium sit, quamobrem necesse



esse sit, tum entium principia vniuersalia esse, tum non esse separatas substantias, hoc plus quàm alia prædicta, maxime dubitationem habet. At quodam quidem modo verum, quod dicitur est, quodam autem modo non verum. Scientia nãque sicut & ipsum scire, duplex est: quorum aliud potentia, aliud actu est. Potentia igitur, cùm sit tanquam materia ipsius vniuersalis, ac indefinita, vniuersalis, indefinitiq; est. actus vero determinatus & indeterminati, cùm quod quid huiúsq; alicuius sit. Verum per accidens videt visus colorem vniuersalem, eò quòd hic color, quem videt, color est, & quod Grammaticus hoc A speculatur, A est. Nam, si necesse est principia vniuersalia esse, necesse est illa quoque ex his vniuersalia esse, quemadmodum in demonstrationibus est, quod quidem ita est, nihil separatum, ne substantia quidem sed constat, quod quodammodo quidem scientia vniuersalis est, quodammodo vero minimé.

*Quo pacto sit & nõ sit ipsius vniuersalis scientia.*

# ARISTOTELIS METAPHYSICORVM LIBER XIIII.

## SVMMA LIBRI.

In hoc libro disputat contra eos, qui mathematica, vel ideas numeros entium principia ponebãt.

### *Circa immobiles substantias non posse principia contraria existere Cap. I.*

DE hac itaque substantia tot dicta sint. omnes vero, quemadmodum in naturalibus, similiter etiam circa immobiles substantias principia contraria faciunt. Si autem nullis principiis posit prius aliquid esse, impossibile erit profecto principium, aliquid aliud existens, principium esse. veluti siquis dicat album esse principium, non prout aliud, sed prout album: esse tamen de subiecto, & aliquid aliud existens album esse, illud sane prius erit. at vero cuncta ex contrariis fiunt, tanquam cuiusdam subiecti. necesse ergo est maxime hoc contrariis inesse. semper igitur cuncta contraria de subiecto sunt, & nullũ est separabile. Cæterũ quemadmodum



dum apparet, ratioque testatur, nihil substantiæ contrarium est. nullum ergo contrariorum omniũ proprie principium est, sed alterum.

### *Narrantur opiniones multæ Antiquorum de principiis. Cap. II.*

QVidam vero alterum contrariorum materiam faciunt. quidam vni scilicet æquali inæquale, quasi hoc natura multitudinis sit. quidam vni multitudinem. generantur enim numeri à quibusdam ex dualitate inæqualis, magno ac paruo. à quodam ex multitudine, ambobus tamen ab substantia vnius. etenim qui inæquale & vnum dicit elementa, inæquale vero ex magno & paruo dualitatem, tanquam vnum sint inæquale & magnum & paruum dicit nec determinat quòd ratione, numero vero minimè. At vero principia etiam, quæ elementa vocant, non bene assignant. Cùm autem quidam magnum paruum pariter cum vno hæc tria numerorum elementa dicunt duo quidem materiam, vnum vero formam. Quidam vero multum & paucum: quia magnum & paruum magnitudini magis secundum naturam peculiaria sunt. Alii autem quod magis vniuersale in his, excedens & excessum. At nullum istorum aliquid differt (vt ita dicam) quoad quædam, quæ accidunt, nisi ad logicas tantum difficultates, à quibus cauẽt, propterea quod alii quoque logicas afferunt demonstrationes. eiusdem tamen rationis est excedens & excessum, at non magnum & paruum principia esse ac numerum dualitate priorem ex elementis ponere. ambo nanque magis vniuersalia sunt. at illud quidem dicunt, hoc vero minimè. Quidam vero alterum & aliud ad vnum opponunt. alii autem multitudinem & vnum.

*Narratæ opiniones confutantur. Cap. III.*

SI igitur entia (vt volunt) ex contrariis sunt: vni vero aut nihil contrarium, aut si est, multitudo est, & inæquale æquali, & alterum eidem, etiam aliud eidem: maximè quidem qui vnum opponunt multitudini, aliqua opinione nituntur, nec hi tamen sufficienter. vnum etenim erit paucum, quandoquidem multitudo paucitati, multum vero pauco opponitur. Vnum vero, quòd mensuram significet, manifestum est. ac in cunctis est aliquid aliud suppositum, veluti in harmonia primus sensibilis tonus in magnitudine digitus, aut pes, aut aliquid simile. & in rhythmis gradus, aut syllaba. similiter in grauitate pondus aliquod determinatum est, ac eodem modo de omnibus in qualitatibus quale quid, in quantitatibus quantum quid. mensura enim indiuisibile, quædam secundum formam, quædam secundum sensum, tanquam vnum, non sit aliqua per se substantia. & hoc rationabiliter, vnum nanque significat, quòd mensura cuiusdam multitudinis est. ac numerus multitudo mensurata, & multitudo mensurarum. Quare rationabiliter vnum non est numerus, neque enim mensura mensuræ. Verum tam mensura quàm vnum, principium est. Oportet autem vt mensura semper idem cum omnibus sit: veluti si equus mensura equis, & si homo hominibus, quòd si homo, & equus, ac Deus animal, numerus quoque eorum fortasis animalia erit. si autem homo, & album, ac ambulans, minimè quidem horum numerus est, eò quòd eidem vnique secundum numerum omnia insunt. attamen numerus horum generum erit, aut alicuius alterius similis appellationis. Qui vero inæquale vt vnum quid,



quid dualitatem autem indeterminatam ex magno, paruoque faciunt, vehementer longe, tum ab apparentibus, tum à possibilibus dicũt. passiones nanque magis hæc, & accidentia, quàm subiecta numeris & magnitudinibus sunt. multum nanque & paucum numeri, ac magnum & paruum magnitudinis, sicuti par & impar, læue & asperum, rectum & curuum. Præterea ad hunc quoque errorem etiam necesse est magnũ & paruum, & quæcunque similia ab aliquo esse. Ad aliquid vero minimè prædicamentorum omnium natura quædam, aut substantia est, ac posterior. tum quali, tum quanto, & quædam quanti passio (vt dictum est) sed non materia, aut aliquid aliud quàm omnino commune ad aliquid, partibúsque eius, & speciebus. nihil enim est, nec magnum nec paruum, nec multum nec paucũ, nec omnino ad aliquid, quod non aliquid aliud existens, multum aut paucum, aut magnum aut paruum, aut quod ad aliquod est. Quod autem ad aliquid minimè aliqua substantia, aut ens aliquod sit, signum est, quòd eius solum non est generatio, neque corruptio, neque motus: quemadmodum secundum quantum augmentatio & diminutio, secundum quale alteratio, secundum locum latio, secundum substantiam simplex generatio & corruptio. At secundum ad aliquid minimè. absque enim quòd moueatur, quandoque maius, quandoque minus, aut æquale erit, altero secundum quantum moto. Necesse item est cuiusque materiam esse, quod potentia tale est: quare etiam substantiæ est. ad aliquid vero, neque potentia, neque actu substãtia est. inconueniens itaque est, imò impossibile substantiæ elementum facere non substantiã, ac prius, posteriora nanque omnia

præd

prædicamenta sunt. Item elementa non prædicantur de his, quorum elemẽta sunt. multum vero & paucum seorsum & simul prædicatur de numero. ac longum & breue de linea, planúmque latum & strictum est. quòd si qua multitudo est, cuius semper ipsum paucum sit, vt dualitas (nam si eius multum sit, vnum profecto paucum erit) & si multum simpliciter, nimirum erit veluti denarius multum, & si hoc pacto non est) plus quam dena millia. Quo igitur modo iste ex pauco multóque numerus erit? aut enim ambo prædicari oportebat, aut neutrum. nunc vero alterũ tantum prædicatur. Simpliciter autem considerandũ est vtrum possibile sit æterna ex elementis componi materiam nanque habebunt omne nanque, quod ex elementis est, compositũ est. Si itaque necesse sit, ex quo quid est (siue semper sit, siue factum sit) ex eo fieri, omne verò fiat ex eo, quod potentia est id, quod fit (nec enim ex impossibili factum fuisset, nec esset) quod vero possibile est, contingit vt & quis agat, & non, numerum quoque (& si quàm maxime semper sit) aut quodcunque aliud materiam habens, contingat profecto non esse haud secus, & quod vnum diem habet, & quod annos quotcunque. si verò sic, & tẽpus cum tantum sit, vt cuius non est terminus. non erunt ergo æterna: siquidem quod contingit non esse, non est æternum, quemadmodum in aliis tractatum est. Quòd si verum vniuersaliter est, quod nunc dicitur, nullam substantiam æternam esse, si non sit actu, elementa vero materia substantiæ sint. nullius profecto æternæ substantiæ elementa erunt, ex quibus inexistentibus fit. Sunt autem quidam qui dualitatem quidem indeterminatam vna cum vno faciunt elementum, inæquale vero haud



haud abre sperhũt, propter impossibilia quæ accidunt, à quibus tot solũ de difficultatibus ademptæ sunt, quodcunq; necesse est illis accidere, qui inæquale & ad aliquid faciunt elementum. quotcunq; vero præter hanc opinionem sunt, has illis quoque necesse est accidere, siue idealem numerum, siue mathematicum ex eis faciant.

*Multis de causis Antiquos in has causas lapsos fuisse: præcipue vero ob Parmenidem dicentem ipsum ens vnum esse: quod ab Aristotele redarguitur.*

*Caput. 1111*

MVltæ igitur causæ sunt, quare in has causas lapsi sunt. maxime vero ea, quæ ob antiquitatem dubitatio est. videbatur nãq; eis omnia entia fore vnum, scilicet ipsum ens. nisi quis soluat, & consentanee Parmenidis rationi incedat. nunquam enim hoc vllo modo esse non ens. verum necesse esse ostendere, quòd non ens sit. hoc nanque modo ex ente & aliquo alio entia fore, si multa sunt. Profecto in primis quidem, si ens multipliciter dicatur: quoddam enim, quia substantiam significat, quoddam, quia quale, quoddam, quia quantum, & reliqua quoque prædicamenta: quale igitur vnum omnia entia erunt, si non erit non ens? vtrum substantiæ, an passiones, & alia quoque similiter. an cuncta? & erit vnum hoc & tale, & tantum, & alia quæcunque vnum quid significant? At inconueniens est, imò vero impossibile vnam aliquam naturam factam causam, & huius entis, & eiusdem entis sit quoddam hoc, quoddam tale, quoddam tantum, quoddam vero vbi. Deinde ex quasi non ente, ac ente entia? Multipliciter enim, & quod non ens, sicuti etiam ens, etenim quod non hominem significat, non

esse hoc: quod non rectum autem, non esse tale? quod non tricubitum vero, non esse tantum. ex quali igitur ente, & non ente multa entia erunt? Vult itaq; falsum, & hanc naturam non ens dicere, ex quo & ente multa entia. qua de re dicebat quòd oportebat aliquod falsum supponere, quem admodum Geometræ pedalem esse, quæ non sit pedalis. At impossibile est hæc ita se habere. nec enim Geometræ vllum supponunt falsum. non enim id in syllogismo propositio est. neque entia sunt ex ita non ente, neque corrumpuntur. verum quoniam non ens, quod secundum casus dicitur, æquè ac prædicamêta dicitur, præter hæc autem non ens dicitur, quod vt falsum, ac id, quod secundum potentiam. ex hoc generatio est. ex non homine potentia vero homine, homo, & ex non albo potentia vero albo, album, similiter, siue vnum quid, siue multa fiant. Videtur autem quæstio, quomodo ens, quod secundum substantias dicitur, multa sit cùm profecto numeri, longitudines, & corpora, ea sint, quæ generantur. inconueniens itaque est, quomodo quidem ens, quod quid est multa sit quærere, non autem quomodo, aut qualia, aut quanta. non enim indeterminata dualitas nec magnum & paruũ causa est, vt duo alba, aut multi colores, aut sapores, aut figuræ sint: numeri nanque hæc etiam erunt, ac vnitates. At vero, si hæc considerassent, vidissent profecto quid etiam in eis causæ est. eadẽ enim & proportionalis causa est, ipsa enim transcensi causa, & id quod quærebant enti & vni oppositum, ex quo & his entia facerent, causa sint, vt ad aliquid & inæquale supponerent, quod neque contrarium, neque negatio illorũ est, sed vna natura entium, quemadmodum quid & quale. Oportebat igitur



hoc etiam quærere, quodammodo ad aliquid multa esset, & nõ vnum. Nunc vero quo quidem modo multæ vnitates præter primum vnũ quæritur, quomodo vero multa inæqualia, minimè. Quantis vtuntur & dicunt magnum paruum, multum paucum, ex quibus numeri, longum breue, ex quibus longitudo, latum strictum, ex quibus planum, profundum humile, ex quibus moles etiam adhuc plures species eius dicunt, quod ad aliquid est. quid igitur his causæ est, vt multa sint? Necesse itaque est (quemadmodum dicimus) vnicuique supponere potentia ens: nam & ille, qui hæc dixerat, hoc quoque commonstrauit, quod aliquid potentia sit ens, hoeque substãtia, nõ ens autem per seipsum, videlicet quia ad aliquid. ac si diceret, tale quod neque potentia est vnum, aut ens. neque vnius aut entis negatio est, verũ vnum quid entium est. at multo magis (vt dictum est) si quæsiuisset, quonammodo entia multa sunt, non quæ in eodem prædicamento, quomodo multæ substantiæ, aut multa qualia quærendo, verum quomodo multa entia. quædam nanque substantiæ, quædam passiones, quædam ad aliquid sunt. In alijs igitur prædicamentis habet aliam etiam quandam considerationem, quonammodò multa sint. Etenim propterea quòd non sint separabilia, eò quòd subiectum multa fit, & est, qualia quoque multa sunt, & quanta. & quamuis oportet vnicuique generi aliquã esse materiam, separabilem tamen à substantijs impossibile est. In his autem, quæ quod quid sunt, habet quandam rationem quomodo multa ipsum quid sunt, si non quid erũt & quod quid, & quædam talis natura. hæc vero dubitatio illinc magis est, quomodo multæ actu substantiæ, & non vna. At vero si non

idem

idem sit hoc & quantum, non dicitur quomodo, & cùr entia multa sunt, sed quomodo, & quare multa quanta. Omnis nanque numerus quantum quid significat. & vnitas non est nisi mensura, quia ea, quæ secundum quantũ, indiuisibilis est. si igitur quantum, & quod quid est alterum non dicitur quod quid est, ex quo neque quomodo multa. si autem idem, multas subsitnet contradictiones, qui hæc dicit.

*Examinantur opiniones variæ ponẽtium numeros rerum principia: eademque improbantur. Cap. V.*

SVggerere autem quispiam de numeris etiam considerationẽ possit, vnde nam sit accipienda fides quòd sint. apud eum nanque, qui ponit ideas, præbent quandam entibus causam siquidem vnusquisque numerorum idea quædam est, idea sanè cæteris vt sint, quomodocunque causa est. Sit enim hoc eis suppositum. Illi vero qui hoc quidem modo non putet, propterea quòd videat difficultates, quæ circa ideas existunt, ita vt propter hæc eas non faciat numeros, faciat vero numerum mathematicũ. vnde credendum est, quòd talis numerus sit, ac quod quicquam cæteris vilior nullius nãque, nec ille ait qui dicit eum esse, verum vt quandam ipsam per se existentem naturam esse dicit: nec apparet eum causam esse, quandoquidem omnia Arithmeticorum theoremata etiam de sensibilibus (vt dictum est) erunt. Qui igitur ponunt ideas esse dicere tentant quomodo & qua de causa sint: eò quod secundum expositionem cuiusque vnum quid præter multa accipiunt vnumquodque. At vero quoniam hæc neque necessaria neque possibilia sunt neque numerum propter hæc esse asserendum est. Pythagorici



gorici vero, eò quòd multas numerorum passiones sensibilibus inesse corporibus videbant, numeros quidem esse entia fecerunt, non tamen separatos, verum ex numeris entia. Cur autẽ? quoniam numerorum passiones in harmonia sunt, & in cœlo, cæterisque multis. Illis vero, qui mathematicum solum numerum esse dicunt, nihil tale secundum suppositiones dicere contingit verum quòd non erunt de eis scientiæ, dicebant. nos autem dicimus esse, quemadmodum diximus prius. Et patet quòd mathematica non sunt separata. si enim separata essent, nõ inessent corporibus passiones eorum. Pythagorici vero secundum talo nullius culpabiles existunt. At secundũ quod naturalia corpora ex numeris faciunt ex non habẽtibus grauitatem vel leuitatem, grauitatem & leuitatem habẽtia videntur de alio cœlo corporibusque aliis, non autẽ de sensibilibus dicere. Qui vero faciunt separatum, eò quòd dignitates non sunt in sensibilibus, quódq; vera sunt quæ dicuntur, & animæ adblandiuntur, & esse existimant, & separata esse, similiter quoque & magnitudines mathematicas. At dilucidum est, quòd oratio quoque contraria dicet contraria, & quod iam dubitatum est, soluitur ab illis hoc pacto scisitantibus: quam ob causam, si nullatenus ea sensibilibus insit, passiones eorum in ipsis sensibilibus sint. Sunt autem quidam, qui ex hoc, quòd termini, extremáque sunt, punctum lineæ, hæc superficiei, ista solidi putant debere tales naturas ex necessitate esse. Oportet igitur & hanc rationẽ considerare, nónne nimũ debilis sit. Nec enim substantiæ sunt extrema, imò omnia hæc termini. Cùm & ambulationis, & omnino motus aliquid terminus sit, is ne igitur est quod quid, & substantia

quædam. at absurdum est. At vero etsi sunt, sensibilia sane omnia erunt. in his nanque esse ratio dixit. cur igitur separata erunt? Item inquiret quispiam, qui non admodum facilis sit ad credendum, de omni quidem numero, & mathematicis hoc ipsum, quòd nihil conferant inuicem priora posterioribus. nam & numero non existente, nihil minus magnitudines erunt illis, qui mathematica solum esse aiunt: & his non existentibus anima, & corpora sensibilia. Ex his vero, quæ apparent, non videtur natura inconnexa, quemadmodum vitiosa Tragœdia. Qui vero ponunt Ideas, hoc quidem eos fugit: ex materia nanque & numero faciunt magnitudines. ex dualitate quidem longitudines: ex trinitate vero fortassis plana: ex quaternitate solida, aut ex aliis numeris. nihil enim interest. Sed vtrum hæc erunt ideæ? aut quis modus earum est, quidve conferunt entibus? Nihil profecto, quemadmodum neque mathematica, nec istæ conferunt. At vero nec vllum theorema de eis est, nisi quis velit mathematica motum efficere, ac proprias quasdam opiniones facere. non est autem difficile eos, qui quascunque suppositiones sumunt, prolixum quippiam facere, atque connectere. hi quidem hoc modo mathematica ideis annectentes peccant. Primâ autem duos numeros facientes, tum idealem, tum mathematicum, nullo modo dixerunt, nec dicere habeant, quomodo, vel ex quo mathematicus erit: faciunt enim eum medium inter idealem, & sensibilem. Si enim ex magno & paruo, idem erit illi, qui idearum est. verum ex alio quodam magno & paruo magnitudines sane facit. si autem aliud quoddam dicet, plura elementa dicet. Et si principium vtriusque vnum quid est, commune quid.



quid in his id vnum erit. at quærendum est quomodo hæc multa vnum sint? Et simul secundum eum aliter quàm ex vno, & indeterminata dualitate numerum fieri impossibile est. Hæc itaque omnia irrationabilia sunt, a ipsa sibi ipsis, & bene ratione vtentibus compugnant. videtúrque in eis esse longus Simon dis sermo. fit nanque longus sermo, quemadmodum is qui seruorum est, cùm nihil sanum dicant. Ipsa quoque elementa magnum, & paruum videntur conqueri, quòd trahuntur. non possunt enim vllo modo generare numerum, nisi cum, qui ab vno duplicatur. Inconueniens etiam est, imò impossibile generationem quoque eorum facere, cum perpetua sint. vtrum autem Pythagorici faciant, an non faciant generationem, nihil dubitandum est manifeste nanque dicunt quòd vno constituto, siue ex planis, siue ex colore, siue ex semine, siue ex quibus egent dicere, confestim infinita propinquissimum trahebatur, terminabatúrque à termino. Verùm quoniam de mundi factura, ac naturaliter hæc dicere volunt, decens erat aliquid eos de natura inuestigare, a præsenti vero via discedere. Quærimus nanque principia quæ in immobilibus sunt: quare talium numerorum generationem considerare oportet. Imparis itaque generationem non dicunt, quasi videlicet paris generatio sit. Parem vero primo ex inæqualibus, magno & paruo æquaris, quidem constituunt. necesse itaque est prius esse ipsis inæqualitatem, quàm ipsum æquari. si autem semper æquata fuissent, non fuissent inæquatia prius. ipso enim semper nihil est prius: quare patet quòd non contemplandi gratia faciunt generationem numerorum.

*Dubitatio, quo pacto bonum in ipsis principiis insit: de qua re diuersæ Antiquorum redarguuntur opiniones.*

*Cap. VI.*

HAbet autem dubitationem, & à bene dubitante reprehensionem, quonammodo ad bonum, atque pulchrum elementa, principiaque se habent. dubitationem quidem hanc verum aliquod istorũ tale sit, quale volumus ipsum ideale bonum: & optimum dicere, an non, sed posterius genita sint. A quibusdam enim recentioribus Theologis concessum esse videtur, qui non aiunt, nisi quòd entium natura præcedente, bonum quoque, ac pulchrum apparet. hoc verò faciunt veram veriti difficultatem, quæ accidit dicentibus. quemadmodum quidam ipsum vnum principium. Difficultas autem est, non quoniam principio bonum tanquam insitum attribuerunt. verum propterea quòd ipsum posuerunt principium, & principium, vt elementum. numerum quoque ex vno. Poetæ vero Antiqui similiter quomodo regnare, eo & principia esse aiunt, non enim primos, veluti noctem, & cælum, aut chaos, aut etiam oceanum, sed louem. At vero his quidem, eò quòd mutant entium principes, talia dicere accidit. quia hi quidem eorum qui misti fuerunt, nec omnia fabulose dicunt, (vt Pherecydes, & alii quidam) primum generans optimum ponunt, ac etiam Magi, & posteriorum quoque Sapientum. vt Empedocles, & Anaxagoras: cùm hic quidem amicitiam, ille vero intellectum principium fecerit. eorum vero, qui immobiles substantias esse dicunt, quidam ipsum vnum ipsum bonum esse aiunt. substantiam tamen eius ipsum vnum maxime putabant esse. Dubitatio quidem hæc est, vtro modo dicendum est. Mirabile autem est, si primo, & perpetuo, ac sibi ipsi sufficientissimo hoc ipsum primum, per se sufficientia, & salus non sit tanquam bonum. enimuero propter nihil aliud incorruptibile, vel sibi sufficiens est, nisi quoniam bene se habet. Quare dicere quidem principium tale esse rationi consentaneum est verum esse: hoc vero esse ipsum vnum. Aut si non hoc, elementum, & numerorum elementum esse impossibile est. Accidit enim multa difficultas, quam cùm quidam fugerent, qui vnum quidem fatebantur primum principium esse, ac elementum ipsius, tamen mathematici numeri abnegarunt. cunctæ nanque vnitates re vera fiunt aliquod bonum, & magna bonorum erit abundantia. Item, si formæ numeri, omnes formæ ipsum bonum aliquod. At vero cuiuscunque velit ponat quis ideas esse, siquidem bonorum solum ideæ, non erunt substantiæ. Quòd si etiam substantiarum, cuncta animalia, & plantæ bona sunt, & participantia. Hæc itaque inconuenientia accidunt. Et ad hæc contrarium elementum (siue multitudo, inæquale, & magnum & parvum sit) ipsum malum erit. Quare quidam fugiebat bonum vni copulare, tanquam necesse sit, cùm generatio sit ex contrariis, naturam multitudinis malum esse. quidam inæquale mali naturam dicunt. accidit igitur omnia entia, præter vnum, quod est ipsum vnum, malo participare. & numeros eo magis puto participare, quàm magnitudines, & malum locum esse boni, ac participare, & appetere corruptiuum. contrarium nanque corruptiuum contrarii est. At si, quemadmodum dicebamus, quòd materia est id, quod potentia vnumquodque, veluti ipsius actu

*Co. Græ. ita legit. Poetæ vero Antiqui hac similiter, qua regnare & dominari aiunt. non primos &c.*

igois, quod est potentia ignis, malum erit ipsum potentia bonum. Hæc igitur, omnia accidunt. quoddam quidem, quia omnes principium faciunt elementum. quoddam, quia contraria principia. quoddam, quia ipsum vnum principium. quoddam, quia numeros primas substantias, & separabiles, ac formas. Si igitur tum non ponere bonum inter principia, tum ita ponere impossibile est, constat quòd non recte assignantur principia, neque primæ substantiæ. At etiam nec is recte putat, qui vniuersi principia, animalium, plantarumque principio assimilat. quia ex indeterminatis, ac imperfectis semper perfectiora: & ideo etiam in primis ita se habere aiunt, vt nec ens aliquod sit ipsum vnum. Verum etiam hic perfecta principia sunt, ex quibus hæc sunt. homo enim hominem generat, nec semen primum est.

*Contra ponentes locum simul cum magnitudinibus fieri. Item contra dicentes ex numeris, vt ex elementis entia fieri ipsum autem aliud ex alio esse, quæ mediis dicatur non dividentibus.*

*Cap.* VII.

ABsurdum item est locum simul cum solidis mathematicis facere. locus namque singularium proprius: quare loco separabilia sunt. mathematica vero non sunt alicubi. At insuper dicere quidem quòd alicubi erunt, quid vero locus sit, non absurdum est. Oportebat vero eos, qui entia dicebant esse ex elementis, primáque eorum numeros, dividere qualiter aliud ex alio sit: & ita dicere quonammodo numerus ex principiis sit. Vtrum mistione? At non est omne miscibile, & quod fit alterum, non erit separabile vnum ipsum, nec altera natura, neq; volunt. At compositione dicent,



dicent, vt syllabam? Sed situm necesse est esse. & qui intelligit, seorsum intelliget vnum, & multitudinem. hoc igitur numerus erit, vnitas & multitudo, aut vnum & inæquale. Et cùm id, quod est ex aliquibus esse, est quidem, vt ex his, quæ insunt, est vero vt non, vtrónam modo numerus est? Sic enim vt ex his, quæ insunt, non sunt nisi ea, quorum generatio est. Sed tanquam a semine erit? At non possibile ab indiuisibili aliquid abire. Verum fortasis tanquam vt ex contrario non permanente? At quæcunque ita sunt, ex alio quoque quodam permanente sunt. Cùm autē vnum, quidam quidem vt contrarium multitudini, quidam vero inæquali ponat, vno vt a quali vtens, tanquiā ex contrariis erit numerus profecto, est igitur quippiam aliud, ex quo permanente, & altero est, aut factus est. Præterea cur cætera quidem, quæcunque ex contrariis sunt, aut ea, quibus contraria sunt, corrumpuntur numerus vero, & si ex omni sit, minime? de hoc enim nihil dicitur, quamuis contrarium tam quod ineſt, quàm quod non ineſt, corrumpat, vt contentio misturam. attamen nos oportebat. non enim est illi contraria.

*Numerum non esse causam aliquam ipsorum verum.* *Cap.* VIII.

NIhil autem determinatum est, qualiter numeri substantiarum. & existentiæ causæ sunt: vtrum vt termini, veluti punctā magnitudinum, & vt Eurytus ordinabat, hæc numerus eius: puncta, hic quidem hominis, hic vero equi quemadmodum illi, qui numeros ad figuras, triangulum, & quadratum reducunt, ita plantarum formas supputationum calculis assimilans. An quoniam ratio, & consonantia numerorum similiter etiam homo, & aliorum vnum quodque? At passiones,

qualiter sunt numeri, album, dulce, & calidum? Quòd vero numeri veri non sint substantia, neq; causæ formæ, patet: substantia nanque ratio est. numerus vero materia. veluti carnis, aut ossis numerus substantia sic, tria ipsius ignis, terræ vero duo, & semper numerus, quicunq; fuerit, aliquerum est, vel igneus, vel terrenus, vel monadicus. verum substantia tantùm ad tantum esse secundum mistionem: hoc sanè non est numerus, sed ratio mistionis numerorum corporalium, aut quorumcunque. Nec igitur eò quòd faciat, causa numerus est: nec omnino numerus monadicus, aut materia, aut ratio, & forma rerum est: sed nec quidem vt id, quod cuius causa.

*Contra ponentes bonum, quod est hic, omne à numeris prouenire. Contra etiam nonnullos Homeri expositores, fatua quædam in numeris dicente. Et quo pacto in numeris ponendum est ipsum bonum.*

*Cap. IX.*

DVbitauerit autem aliquis, quidnam sit illud bene, quod à numeris, si misti in numero rationali, aut impari sit. nunc etenim nihil salubrius, ter tria, si melicratum sit mistum, sed magis proderit fortasis, si in nulla proportione sit, & aquosum, aut si in numero sit purum. Item rationes mistionum in additione numerorum: non in numeris sunt. veluti tria ad duo, non ter duo. idem enim genus esse oportet in multiplicationibus. Quare ipso A mensurare oportet ordinem, in quo A, B, C, & ipso D eum, in quo D, E, Z, quare eodem omnia. erit igitur ipsius ignis B, E, Z, & aquæ numerus bis tria. Si autem necesse est omnia numero participare, necesse est multa eadem accidere, & numerum eundem huic, & alii esse. Vtrũ igitur hoc est causa, & propter hoc res est? An



An id immanifestum, veluti est quidam Solis, ac rursus Lunæ lationum numerus, & vitæ vniuscuiusque animaliũ? Quid igitur prohibet, quosdã eorum quadratos esse, quosdam cubos & æquales, alios duplos? Nihil enim prohibet, sed necesse est in hos conuerti, si omnia numero participabant, & quæ differunt contingebat sub eodem numero cadere. Quare, si quibusdam idem accidens acciderit, eadem inuicem illa erunt, eandem habentia numeri speciem, puta Sol & Luna, eadem. Sed propter quid causæ eædem? septem quidẽ vocales, septem autẽ chordæ, aut harmoniæ, septem vero pleiades, in septem autem quædam emittũt dentes, quædam vero non, septem etiam, qui ad Thebas. Vtrum igitur quoniam talis quidam numerus suapte natura aptus est, ideo aut illi fierũt septem, aut pleias septenarum stellarum est? An hi quidẽm propter portas, aut aliam quandam causam? Illam vero nos ita numeramus, vrsam autem duodecim, quidam autẽ plures. nam ξ ψ ζ consonantias aiunt esse. & quoniam illæ tres, hæc quoque tria. quòd autẽ mille talia sint, nemo curat. ipsi enim ϡ & ϟ esse possit vnum signum. Si autem quoniam duplum aliorum vnumquodque, aliud vero minime, causa quidem est, quia cùm tria loca sint, vnum in vno quoque infertur ipsi, ꝛ, propterea tria tantum sunt, sed non quoniam consonantiæ tres: nam plures consonantiæ sunt. hic vero non amplius possunt. Similes vero hi quoque sunt Antiquis homericis, qui paruas similitudines vident, magnas vero non vident. Dicũt autem quidam, quòd multa talia sunt, veluti ipsæ mediæ, quædam nouem, quædam octo, & carmen decem & septem his esse æquale numero, accedit autem in dextro quidẽ nouem syllabis, in

in sinistro vero octo, & quòd æqualis distantia ā in literis ab α ad ω, quàm in tibiis à grauissimo bombo ad acutissimā neten, cuius numerus æqualitas est omnimodæ cœli melodiæ. Videri autem non debet talia. nā nullus dubitaret neq; dicere, nec inuenire in perpetuis, quoniā & in corruptibilibus. Vtrum quæ in numeris naturæ laudatæ, & quæ his contraria, ac omnino, quæ in Mathematibus, vt quidā dicūt, & causas naturæ faciunt, videntur hoc modo considerantes fugere. secundum nullū enim modum eorum, qui circa principia determinati sunt, vlla eorum causa est. Vt tamen manifestum faciunt, quod ipsum bene est, & quod de coordinatione ipsius boni est impar, rectum, æquale, quæ quorundā numerorum sunt potentiæ (simul nanque anni tempora, & talis numerus) & cætera, quæcunque colligunt, ex theorematibus mathematicis hanc potentiam omnia habent. Quare assimilantur casualibus accidentibus. sunt enim accidentia quidē. sed conuenientia inuicem omnia. vnum autem, quod proportionale est. In vnaquaque enim entis prædicatione est, quod proportionale est vt rectum in longitudine, ita in latitudine, æquale in numero vero fortasis impar, in colore autem album. Præterea harmonicorum, atque similium non sunt causa numeri. qui in formis sunt. Illi nanque æquales ab inuicem specie differunt. etenim ipsæ quoque vnitates: quare propter hæc non sunt faciendæ formæ. Quæ igitur accidūt, hæc, & alia etiam his plura, si colligerentur. Videtur autem ad indicio eſſe multis male affici circa generationem eorum, & nullo modo posse connecti, eò quòd mathematica non sit à sensibilibus (vt quidam dicunt) separata, nec ipsa quidem sint principia.

*Aristi. libri XIIII. Metaphy. Finis.*



# THEOPHRASTI METAPHYSICORVM LIBER.

*Dubitationes, quo pacto se habeant intelligibilia cum naturalibus, & quæ sint ipsa intelligibilia.*

*Cap. I.*

QVo pacto, ac quibus eam, quæ de primis est, speculationem determinare oportet: Etenim ea, quæ naturæ est, plurifida, vel (quemadmodum quidam aiunt) ordinata minus existit, mutationes subiens omnimodis. At quæ circa prima versantur finita est, & circa eadem semper. Quamobrem intelligibilibus quoque, quæ sensui peruia non sunt, ipsam ponunt, vtpote motu, mutationéque primatis: atque in summa honorabilio rem, maioremque eam esse existimant. Sit igitur initium, vtrum consensum quendam, ac naturam veluti societatem cum naturalibus intelligibilia habeant: an nullam, sed tanquam seiuncta vtraque, ad omnem quidem substantiam quodam modo sese adiuuent. Rationi profecto magis consentaneum existit, propinquitatem quandam inesse, & non peregrina fateri omnia, sed verbi gratia, aliqua quidem esse priora, aliqua vero posteriora: nonnulla autem principia, quædam sub

principiis collocata, quemadmodũ & æterna ad ea, quæ corruptioni obnoxia sunt se habere videntur. Si igitur res ita habeat, quænã ipsorum, & in quibus erit natura? Quippe solis sint mathematicis intelligibilia, vt nonulli aiunt, neq. admodum insignis cum sensibilibus, neque prorsus idonea esse videbitur cognatio cuiusque: vtpote quæ profecto excogitata sunt. Esse autẽ videtur, nobis figuras, formasque, ac rationes accõmodantibus. At hæc per illa nullam nacta sunt naturam. Si vero non, fieri nequit. vt sic cũ iis, quæ natura constant, conspirent. vt illis tanquam vitam, ac mouendi facultatem suggerant. Sed ne numerus quidem ipse hoc præstare posset, quem etiã primum atque maxime, principem quidam faciunt. Est autem alia quædam, quæ prior, ac præstãtior est, substantia, de qua disserere tentandum est, sitne vna aut numero, aut specie, aut genere. Erit igitur oppido quam rationabile eã, quæ principii naturam sortita est, in paucis esse, si abundantibus insit nisi & in primis, & eo, quòd primum est, collocata sit. Quænam ergo sit hæc, quique plures ipsi quoquo modo demonstrare conandum est, siue proportione siue similitudine alia. Forsitan autẽ potestate quadam atque aliorum excessu, perinde atque Deus, accipi debet. diuinum siquidem omnium principium existit, per quod & sunt, & permanent vniuersa. Hoc itaque modo assignare forte erit perfacile. at vel clarius, vel ad suadendum aptius, difficile. Cũ autem principium sit huiusmodi, quod cũ sensibilibus affinitatem habeat: natura vero (vt simpliciter dicam) in motu persistat, quod & illi propriũ existit: manifestum est ipsum constitui debere motus causam. At cum per se immobile habeatur, constat ipsum non esse causam, vt



vt quæ à natura sunt, moueantur. sed hoc alii cuidam meliori, ac priori relinquendum est potestati: qualis est illius ipsius, quod expetitur natura, à qua circularis cõtinua, & irrequieta latio prouenit. Quapropter secundum hoc haudquaquã motus esse principium resoluamus oportet: aut si sit. cum mouetur, mouebit. Sed hactenus quidem veluti perfecta ratio, quæ omniũ vnum facit principium, actum assignans, & substantiam, atque etiam quantitatem aliquam dicens, verum ad meliorẽ quandam, diuinioremque attollens particulam sic enim assignare potius oportet, quàm id, quod sectionem, partiúmque distractionem recipit auferre. Nam eminentiore simul, atque vera magis fulcitur ratione ita loquentium sententia.

*Dubitationes, de desiderio superiorum ac inferiorum rerum, & an inferiora sint cœli partes, & quo pacto & an circularis latio sit de cœli substantia.*

*Cap. II.*

QVòd autem consequens est de desiderio, quanam sit, & quorum, iam fusiore indiget sermone: quippe cum multa sint ea, quæ in gyrum feruntur, & lationes quodammodo contrariorum, & vanum, & cuius gratia incertum est. Etenim siue vnum est, quod mouet, non omnia idem principium mouere, erit absurdum. Siue secundum vnumquodque aliud, atque diuersum, & principia quoque plura. Quamobrem ipsorum concordia ad optimam tendentium expetitionem, nequaquam esse constabit. Quò autem ad sphærarum pluralitatem, de causa maiorem requirit sermonem. Nec enim iste Astrologorum est. Dubium etiam est, quo pacto cum naturali habitu prædicta sint, non quietem, sed motum sectentur. Cur igitur simul per imitationem illud pari modo dicunt, &

qui vnum, & qui numeros aiunt. Ipsi enim numeros, id vnum esse inquiunt iam desiderium, præsertim indeterminatæ rei, cum anima existit, nisi quis similitudine ac differentia, quæ moueantur animata dicat: simul autem anima, & motus esse videtur. Siquidem vita ineſt habentibus, à qua appetitus quoque, qui circa vnum quodque est, tanquam per alia patiantur, animam tamen obtinet. Quòd si igitur motus circularis causa prima sit, non erit vtique optimus quippe cum is, qui animæ est, præstantior sit. Primus autem est vel maxime, qui cogitationis est, à qua appetentia quoque existit. At hoc forte quispiam interrogabit, quam ob causam solum quæ circulo mouentur desiderio afficiantur, eorum vero, quæ circa medium, nullum: quanquam & ipsa mobilia sint. An quòd impotens si, aut pertransire nequeat id, quod primum est. At si propter imbecillitatem, hoc sane erit absurdum. Robustius nanque ipsum quispiam existimauerit Ioue Homer. qui ait.

*Vtrum inferiora sint cæli partes & quomodo.*

*Ipse quidem à terra abesset, & ponto quoq; ab ipso.*

Quare reliquum est, vt tanquam incomprehensibile quippiam, atque minime compositum sit. Forsitan autem rogabit prius aliquis, quo modo se habeant. Vtrum cœlestes partes hæc sint, an non. Et si partes, quo pacto partes. Nam nunc non secundum regiones modo, verum etiam secundum actionem à nobilissimis quasi abiecta videntur: siquidem circularis latio huiusmodi est. Contingit enim veluti per accidens ex ea, quæ in gyrum fit, latione, tum ad locum, tum inuicem mutationes. Quòd si & optimo melius esset aliquid, circulari motu à primo (nisi recipiendi vetaret impotentia) indigere, quandoquidem quod primum est, ac diuinissimum, quæ optima sunt,



sunt, vult omnia id autem forte excedes aliquid, & inuestigabile existit. Arbitratur sane qui hoc dicit, similia esse omnia, & in oppositis tenuem aliquam esse, aut nullam habere differentiam. Sed forte quispiam hoc addubitauerit ad ipsum primum cœlum referens, vtrum circularis ratio de ipsius substantia sit. & si à quiete habita, statim in corruptionem haberetur, an cupidine quadam, atque appetentia per accidens, nisi illa vtique appetendi facultas ei cognita sit. nihilque prohibeat talia quædam esse entia. Sed forsitan eum, qui talem appetitum detraxit, de ipsa latione ambigere cõtinget, si sublata cœlum corrumperet. Atque hoc quidem quasi ad alios sermones pertinere videtur. Verum hoc ipsum de hac, aut de his principiis quispiam existimabit.

*An latio sit de cæli substantia.*

*Narrantur opiniones multæ circa rerum principia.* Cap. IIII.

FOrtassis autẽ pòst, alia protinus assignare, quæ ordine sequuntur principia, atque in eo, quod ante cecessit, subsistere non oportere quispiam affirmabit. Hoc enim est perfecti, sapientisque viri quo pacto Eurytum calculos quosdam disponentem aliquando Archytas prodidit facere, diceréque hunc esse hominis, illum vero cuiusuis alius numerum. Nunc vero multi, aliquatenus progressi, quieuerunt, quemadmodum qui & vnum, & indefinitã dualitatẽ ponunt. Numeros enim planaq;, & corpora cũ creauerint, reliquæ pene omittunt. paucillũ attingẽtes: & hoc tãtũ declarãtes, ꝙ alia quidẽ ab indeterminata dualitate proficiscuntur, vt locus, inane, infinitum: alia vero à numeris, & vno, vt anima, & alia quædã. tẽpus autẽ simul, & cœlũ, & alia quoq; cõplura negligunt: nec vllam postea de cœlo, ac reliquis faciũt mentionẽ. Parã

modo Speusippi discipuli, non autem aliorum vllus, præterquam Xenocrates quippe qui omnia quodam modo mundo similiter accommodat, sensibilia, intelligibilia, mathematica, item & diuina. Conatur quoque Estiæus vsque aliquid (non quemadmodum dictum est) de primis solum differere. Plato autem, dum ad principia redigit, alia quoque tangere videtur, ad ideas ea referens: istas vero ad numeros: ex his autem ad principia: deinde per generationem, vsque ad ea quæ dicta sunt. Alii autem ad principia solum. Nonnulli vero & veritatem in his esse, entia enim circa principia tantum esse. At secus hic atque in aliis accidit disciplinis. In illis enim quæ post principia sunt, robur maius obtinent: atque interea, quæ in illis sunt scientiis, veluti perfectiora solent haberi. Forte autem & hoc rationabiliter. nam ibi principiorum, in reliquis vero à principiis quæstio est.

*Dubitatio, an principia informia sint, vel formam adepta. Cap. IIII.*

SEd forte ambiget aliquis, quonam pacto, & qualia supponi principia oporteat. vtrúmne informia & veluti potentia solum existentia, vt qui ignem & terram principia faciebant, an formam adepta, quasi maxime foret opus, vt finita essent, quemadmodum in Timæo inquit. Etenim ordo, atque finitio, rebus perquàm excellentibus maxime familiaria sunt. Videtur autem hoc in reliquis quoque, vt Grammatica, Musica, Mathematicisque, ad hunc fere modum se habere. Consequuntur etiam quæ post principia sunt, item & quæ secundum artes, quæ quidem naturam similiter imitantur, & instrumenta, & alia secundum principia. Alii igitur omnia admodum formalia putant principia. alii vero materiali tantum nonnulli, vtrunque, & formalia admodum, & materialia, tanquam in ambobus perfectio contineatur: quippe qui ex contrariis substantiam omnem fieri dicant. Absonum autem & illis quoq; videatur, si totum cælum, & singulæ eius partes, atque vniuersæ, ordine, ratione, formis, viribus, circuitionibus præditæ forent, ipsis vero principiis talę ipesset nihil: sed vt caro eorum, quæ temere confusa sunt (optimus inquit Heraclitus) sese mundus haberet. Atque secũdum minima (vt ita dixerim) accipiunt perinde atque inanimis. Definita namque singulorum natura est, vt ita dicam, quamuis temere facta sint: principia vero indeterminata. Rursum, id quoque haud facile in omnibus, & in animalibus, & plantis, atque in ipsa bula, ad id, cuius gratia sunt partes reducere, singulásque rationes adhibere, nisi aliorũ ordine, mutationéque omnigenas, ac varias eorum, quæ tum in aere tantum in terra gignuntur, formas fieri contingat. quorum maximum quoddam exemplũ nonnulli faciunt ea, quæ circa anni tempora sunt, in quibus animalium, plantarum & fructuum, veluti producente ea Sole, generationes apparent. Atq; hæc quidem hoc in loco contemplando, inuestigant exiguam libationem, quæ ordinis constitutionem ad quantitatem vsque reperit. Cur item magis fieri nequeat in deterius transitus.

*Dubitatio circa principiorum motum & quietem. Cap. V.*

IN principiis autem, vnde prima quoque cœpit oratio, de quiete merito aliquis dubitauerit. nam si ea vt præstantius aliquid sit, in principiis collocabit: sin vero vti quædam segnities, atque motus priuatio, minime. verum si actionem esse

fateatur, contra tanquam prior, ac honorabilior est existimandam: motus vero in sensibilibus. Cùm autem hoc propter illud quiescat, fieri nequit, vt id, quod mouens est semper moueat. Non enim fuerit periculum, quod primum est, neque rationis speciem habere, neque alioqui fide dignum esse, sed maiorem quàdam caulam quærit. At quod mouet, abeo, quod mouetur diuersum non esse propter actionem, & passionem quodammodo sensus acclamare videtur ceu possibile. Sed est qui ad ipsam mentem, Deúmque referat. Absonum autem est aliud quoque dictum, illa non moueri, quæ eius quod quiescit, appetitu ducuntur, siquidem ipsa alia sequerentur entia. Verumenimuero forsitan non sic accipi debet, vt ad id, quod imperfectum est reducamus, sed vt quàm maxime sibi consonum, perfectúmque sit veluti cuitas, aut animal, aut quiduis aliud eorum, quæ in partes secari possunt, aut etiam omnino calum, quod tanc aiùt esse perfectissimum.

*Dubitatio, quo pacto entium diuisio in materiam & formam fiat. Cap. VI.*

CAEterum aliquem & talia quoque sermonem postulant, quo pacto in materiam, atque formam entium partitio fiat. sitne alterum quidem ens, alterum vero non ens, potentia autem vnum, & ad actum reductum: aut vnum quidem, sed indeterminatum ens, eo, quo in artibus modo. Generatio autem quæ ipsorum quid m essentia, est secundum rationes formari. sed ita quidem ad id, quod præstantius est forte fieret transitio. Ipsum autem esse, per eam esse nihilominus verum fuerit. non enim esset, ipsa non existente. At illud, neque hoc, neque quale, neque quantum. quippe quod formis indeterminatum est, potestate



potestate autem quadam eas habet. sed hoc proportione ad artes omnino sumi debet, & si qua sit alia similitudo.

*Dubitatio quo pacto vniuersi natura in contrarium existat. Cap. VII.*

PRæterea illud quoque dubitationem (nisi curiosa quærendi diligentia sit) habere videtur, cúrnam ipsa natura, totáque vniuersi substantia in contrariis consistat: idque, quod deterius est, æquales fermè cum optimo partes habeat, imò vero etiam longè numerosius sit. Quapropter in vniuersum dicere videtur Euripides, quòd nequeũt bona esse separata. Talis autem sermo parum abest quin dicat, neque bona, neque similia esse omnia: atque, quod de omnibus ipsum esse dicimus. porrò nulla inuicem esse similia, vt quæ alba, & nigra sunt in seipsis. Est etiam, quod præter opinionem magis esse videtur, fieri no posse, vt quod est, absque contrariis existat. Nonulli vero adhuc magis inopinabili vtentes, id, quod neque est, neque fuit, neque futurum est, in vniuersi naturam adnumerant. sed hæc quidem est, veluti excedens quædam sapientia.

*De variis essendi modis: quibusque vnum quodque persequi deceat. Quo item pacto circa principia speculari debeamus.*

*Caput VIII.*

AT ens, quòd multis dicatur modis, manifestum. etenim differentias sensus speculatur, causásque inquirit. Sed forsitan verius fuerit dicere, quòd eorum, quæ cogitatione excellentia sunt, quædam quidem simpliciter quærit, quædam vero dubitationem faciendo: quam tametsi transcendere non valet, lucem tamen aliquam in tenebris plus aliquid indagare volentium

ostendit. Itaque ipsum scire non sine differentia quadam erit. Etenim, si inter se diuersa sint differentia quædam inerit. Atque in vniuersalibus, cùm sub eis plurima sint, discrimen inueniri est necesse, siue hæc vniuersalia genera sint siue species Omnis autem scientia fere propriorum est. substantia nanque & quidditas secundum vnumquodque proprium existit. Et quæ in speculationem veniunt secundum se, non per accidens, aliquid vtique de aliquo sunt Omnino autem in pluribus idem conspicere, ajut vniuersaliter, communitérque, aut secundum quodque, modo quodam proprie esse scientiæ dicimus: vt numero, lineis, animalibus, plantis. Finis autem ex ambobus. Sunt etiam nonnulla vniuersalium finis. in eo enim causa. At horum id, quod in parte est, quatenus sectio in individua fit, quemadmodum & in factibilibus. nam ad hunc modum se habet ipsorum actio. Præterea idem substantia, numero, specie, genere, proportionéque scimus: & si quæ, præterhæc, diuisiones habeantur. at vtplurimum per analogiam, tanquam plurimum eam recipientes. atque aliqua quidem per nosmetipsos, aliqua vero per rem subiectam nonnulla autem per vtrumque. Sed, cùm multipliciter scire sit, quo pacto vnumquodque persequi deceat? Nempe luus cuiusque modus, principium est. ac maximum. vt prima & intelligibilia, & mobilia, & quæ sub natura sunt, atque ex his ipsis, quæ in principio quæque sequuntur vsque ad animalia, plantas, & vltima animæ expertia Nam in vnoquoque genere proprium est aliquid quemadmodum & in mathematicis Ipsa nanque mathemata, quamuis varius quodammodo sint generis, sortita sunt differentiam. Sunt autem diuisa sufficienter. At si quædam

*Quo pacto vnumquod quæ vt sciatur persequi deceat.*



dam nota, eò quòd ignota sint (quemadmodum inquiunt nonnulli) proprius sane inerit modus. Insiget autem quadam diuisione. Sed fortasis in quibus fieri potest, proportione aliquid sciri magis proprium fuerit dicere, quàm per id, quod ignotum est. quemadmodum si quis per inuisibile intuisibile. Tentandum est igitur diuidere quot modi sint, & quoties ipsum cognoscere dicatur. ad hæc autem ipsa principium. Atque primum ipsum scire definire difficilius videbitur. Nam sieri nequit, vt vniuersale, communéque quippiam in his capiamus, quæ multis dicuntur modis. Atque tum quatenus, tum de quibus causas inuestigare pari in sensibilibus, & intelligibilibus ratione deceat, aut dubium hoc, aut dictu non facile existit. Quippe cùm via in infinitum in vtrisque aliena sit, perimátque sapientiam. vtraque autem quodammodo principium. Sed forte hoc nostrũ, hoc vero simpliciter. aut hoc quidem finis, hoc vero nostrum quoddam principium. Aliquatenus igitur per causam speculari possumus principia, à sensibus incipientes. Sed cùm ad ipsa summa, primáque transimus (siue quòd causam non habemus, siue ob nostram imbecillitatem) sicuti desideratissima intueri non amplius valemus. Forte autem veritati magis consonum illud existit, palpante ac veluti attingente fieri speculationem. Quamobrem circa ipsa nulla contingit hallucinatio. At difficillis est circa idipsum intellectus, atque fides. Cùm autem & alioqui magnum quippiam sit, & ad singulares tractationes necessarium, & potissimum maximas, facere conuenit definitiones, tum de natura ipsa, tum circa ea, quæ adhuc propria sunt. Siquidem qui de omnibus rationem quæritant, simul cum ratione

*Quo pacto circa principia speculari debeamus.*

scientiam tollunt, imò verius erit dicere eos rationem petere eorum, quorum neque est, neque fuit, quicũque cælum ipsum æternum existimant. Iationes autem, magnitudines, figuras, distantiásque, & alia, quorum Astrologia demonstrationem facit, & ipsa, quæ prima mouent, & cuius gratia dicere omittunt: quænam ita cuiusque natura, quis inuicem situs, quæ ipsius vniuersi substantia, ad alias quoque singulares species, ad citures vsque animantes, plantásque descendendo. Itaque siquid coadiuuat Astrologus, in his, quæ prima sunt in natura, non erit. Alia enim maxime propria sunt, ac priora, quippe cùm modus (vt quidam putant) naturalis non sit, aut saltem non omnis. At qui moueri simpliciter naturæ, cælóque maxime peculiare existit: quare & substantiæ cuiusque rei actio, & quod secũdum vnumquodque, dum in opere est atque motu, vt in animalibus, & plantis. Sin vero minus, æquiuoca sunt. quamuis videlicet in reuolutione cælum sit secundum substantiam, separatum tamen & quietem agens, æquiuocum esset Nam velut quædam vita est circumlatio vniuersi.

*De causa cuius gratia in inferioribus à superioribus dependentibus: vbi & nonnulla antiquorum opiniones adducuntur.*

*Caput IX.*

QVærendum est igitur, si in animalibus, aut cui competit, vita non existente, in cælo quoque atque cælestibus, neque latio, neque determinatus quidam modus inesset. Præsens autem dubitatio ad eum, qui ab immobili est, motum modo quodam



quodam pertinet. Quod vero omnia alicuius sint gratia, & temere nihil, sed perinde ac definitio, haud facile existit. vt sæpe dicitur. Vnde enim incipere, & in quæ desinere oportebat? Cæterum nonnulla sunt eorum, quæ ita habere non videntur, sed alia quidem casu, alia vero necessitate quadam, vt in cælestibus, & plerisque eorum quæ circa terram sunt. Cuius enim gratia sunt fluxus maris, ac refluxus? aut cuius exporrectiones, aut exsiccationes, humectationésque, & omnino alius in aliud mutationes, corruptiones, generationes, aut quæ in ipsa terra fiunt alterationes, & eorum, quæ in aliud ex alio transmutantur, mutationes, & id genus alia pleraque? In ipsis autem animalibus aliqua veluti vana existunt, ceu mammæ maribus, & fœminis emissio (si quidem nihil confert) & nonnullis barbæ, aut omnino pilorum quibusdam in locis productio. Tum etiam cornuum magnitudines, vt cernuorum. Nonnullis quoque læsis quòd mob ha, quòd in terram directa, quòd ante oculos posita gestarent. Quódque aliqua vi fiant, aut præter naturam, quemadmodum ardeola coit, vitámque viuit manſuetiorem. Et alia non pauca quispiam deprehendat istiusmodi. Quod autem maximum est, maximéque appareat, circa educationes, generationésque animalium est. nullius enim gratia hæc sunt, sed cæterorum, atque per necessitates alias. Oportebat enim, si alicuius quidem gratia sint, semper secundum idem, similique modo fieri. Atque etiam in plantis, & præsertim in animatis præfinitam quandam (vt formis, specie, ac potestatibus apparent) obtinent naturam. Hæc autem cuiusnam gratia sint, quæreret aliquis. Nam rationem non habere, idipsum dubium est: idque in aliis prius,

ac honorabilioribus non ponentibus. quatenus & ratio quæquam, quod fide dignum sit, habere videtur, quoniam hæc ideas quasdam aut inter se differentias à casu & vniuersi latione, quæ in circulum fit accipiunt. Quod si neque hoc propter aliquid, & ad id quod optimum est, definitiones quasdam sumere, non in omnibus simpliciter ponere decet. Quandoquidem, quæ huiusmodi existunt, quandam continent dubitationem. Atque simpliciter dicimus, quæ & de vnoquoque. Simpliciter quidem, quando in omnibus naturam, quod optimum est expetere, & in quibus fieri potest, ordinem largiri, atque æternitatem videmus. Pari autem modo in animalibus quoque similiter. Nam vbi quod melius est, fieri potest, ibi haud quaquam prætermittit: veluti, quod ante gulam guttur sit. Optimam nanque temperiem in medio cordis ventriculo inueniri præstantius est: quippe cum medium honorabilissimum sit. Simili modo & quæ ad mundum pertinent si quidem & appetitus haud secus. Quin illud quidem, quæ neque obediunt, neque quod bonum est, admittunt cur multa sint, imo vero multo plura, declarat. Paucum nanque aliquid animatum est, at inanimum infinitum. Et ipsorum esse animatorum breue, ac malius existit. In vniuersum autem, tum rarum, tum in paucis bonum est. multum vero numero quod malum existit. Nunquid si determinato solum & veluti materiæ species, vt quæ ipsius naturæ sint esse dicatur, ditissimum erit? Si etenim qui de tota diffuunt substantia, dicant (quemadmodum Speusippus quidem pretiosum est, rarum quippam esse facit) hoc circa medii locum esse, illa vero summa, & vtrinque, entia profecto pulchre eunt existentia Plato autem, & Pythagorei longo imitari



tari interuallo volunt omnia: quanuis quandam indeterminatæ qualitatis, & vnius, perinde quasi oppositionem faciant, in qua infinitum inordinatumque & omnis (vt ita dicam) formæ carentia per se existit. In summa autem, vt absque hac vniuersi natura sit, fieri nequit, sed veluti æquam sortiri portionem, aut aliud antecellere, aut contraria esse principia oportet. Quamobrem, nec Deū fatentur esse qui asscribunt indeterminatum agere posse omnia. Quinetiam, si aliquatenus fieri potest, neque hoc fortassis prælegerit: quippe cum totam substantiam ex contrariis quidem, ac in contrariis existentem perire contingeret. Videntur autem & in primis considerata pleraque, & vt accidit, sicuti quæ circa terræ mutationes dicta sunt. Neque enim quod melius est, neque cuius gratia, sed si consequi aliquid est necesse. Multa nanque tum in aere, tum in aliis talia contingunt. Ex sensibilibus autem cælestia potissimum ordinem habere videntur, cæteris priora loco, nisi mathematica sint. Nam & si non totum, at major pars in his ordinem adseruat nisi quis formas tales accipiat, quales Democritus indiuiduis supponit corpusculis. Sed de his quidem considerandū. Quod autem initio dictum est, & in ipsa natura in vniuersi substantia finitionem quādam eius, quod alicuius gratia existit, atque illius, qui ad melius est impetus, capere tentandum est. Nam in quibus entia sint, & quonam inter se modo sese habeant, hoc eius, quæ de vniuerso speculationis, exordium fuit.

*Metaphysicorum Theophrasti finis.*

# ARISTOTELIS STAGIRITAE, PERIPATETICORVM Principis Quæstiones Mechanicæ:

Nicolao Leonico Thomæo interprete.

*Quæ sit artis Mechanicæ facultas.*

Miraculo sunt ea quidem, quæ natura contingunt, quorum ignorantur causæ: illa vero, quæ præter naturam, quæcunque ad hominum vtilitatem arte fiunt. In multis enim natura ei quod nobis vsui esse potest, contrarium facit. natura etenim eundem semper habet modum, & simpliciter: vtile autem multifariam commutatur. Quando igitur quippiam præter naturam oportuerit facere, difficultate sua hæsitationem præstat, artéque indiget quam ob rem eam artis partem, quæ huiusmodi succurrit difficultatibus, Mechanicam appellamus. Quemadmodum enim Antipho scribit poeta, sic se res habet: arte enim superamus ea, à quibus natura vincimur. Huiusmodi autem sunt, in quibus & minora superant maiora: & quæcunque momentum



tum paruum habentia, magna mouent ponderaque omnia ferè illa, quæ mechanica nuncupamus problemata. Sunt autem hæc neque naturalibus omnino quæstionibus eadem, neque seiugata valde: verum mathematicarum contemplationum, naturaliúmque communia.

*De dignitatibus, admirandisque Circuli proprietatibus.*

De numero autem eorum, quæ hoc in genere dubitantur, illa esse dicũtur, quæ circa vectem fiunt. Absurdum enim esse videtur, magnum moueri pondus ab exigua virtute, cum pluri præsertim pondere. quod enim sine vecte quispiam mouere non potest, idipsum ponderis citius mouet, vectis ad illud pondus adiungens. Omnium autem huiusmodi causæ principium habet circulus. Istud vero ratione contingit: ex admirabili etenim mirandum accidere quippiam, non est absurdum. Maxime autem est admirandum simul contraria fieri. Circulus vero ex huiusmodi est constitutus. statim enim ex commoto effectus est, & manente, quorum natura ad se inuicem est contraria. quamobrem isthæc cernentes minus admirari conuenit contingentes in illo contrarietates. In primis enim lineæ illi, quæ circuli orbem amplectitur, nullam habenti latitudinem, contraria quodammodo inesse apparent, concauum scilicet, & curuum. hæc autem eò à se inuicem distant modo, quo magnum & paruum, illorum etenim medium est æquale: horum vero rectum. quapropter cùm ad se inuicem commutantur, illa quidem prius æqualia fieri necesse est, quàm extremorum vtrumlibet: lineam vero rectam, quando ex curua concauia, aut ex huiusmodi rursum curua fit, & circularis.

Vnum quidē igitur istud absurdum inest circulo. Alterum autē, quòd simul cōtrariis mouetur motionibus. simul enim ad anteriorem mouetur locum, & ad posteriorē. Et ea, quæ circulum describit, linea eodem se habet modo. ex quo enim incipit loco illius extremum, ad eundem rursus redit. illa enim cōtinuo commota, extremū rursus efficitur primum. quamobrem manifestum, quòd inde mutatum est. quapropter (vt dictū est prius) non est inconueniēs ipsum miraculorū omnium esse principiū. Ea igitur, quæ circa libram fiunt, ad circulum referuntur: quæ vero circa vectem, ad ipsam libram: alia autē fere omnia, quæ circa mechanicas sunt motiones ad vectem. Præterea etiam, quoniā vnica existente, quæ ex centro est, linea, nullum aliud alii, quæ in illa sunt punctorum æqua velocitate feratur, sed citius semper quod à manente termino est remotius, pleraque miraculorum accidunt in circuli motionibus: de quibus in iis, quæ posthac adducentur, quæstionibus erit manifestum. Quoniam autem secundum contrarias simul motiones mouetur circulus & alterū quidem diametri extremum vbi A, in ante mouetur, alterū vero vbi B, ad retro: efficiunt nonnulli, vt ab vnica motione multi contrario simul moueantur circuli: quemadmodum sunt illi, quos in locis proponunt sacris, æneos, & ferreos fabricantes orbiculos. Si enim A B circulum alter contigerit circulus in quo C D, mota circuli in quo A B, diametro in ante, mouebitur C D ad retro, diametro circuli vbi est A, circa idem mota. In cōtrarium igitur mouebitur circulus vbi C D, ad illum vbi A B, & rursus ipse contiguum vbi E F, in cōtrarium sibiipsi mouebitur propter eādem causam. Eodē etiam modo si plures,



res fuerint, idem facient, vno solo cōmoto. Hanc igitur in circulo existentem animaduertentes naturam architecti instrumentū fabricant, celantes principiū, vt machinæ solum manifestum sit illud, quod admirationē præstat, causa vero lateat.

In primis igitur, quæ accidūt circa libram, dubitare faciunt, quamnam ob causam exactiores minoribus maiores sunt libræ. huius autem rei principium est, quamobrem in ipso circulo, quæ plus à centro distat linea, eadē vi cōmota citius fertur, quàm illa, quæ minus distat. Citius enim bifariam dicitur siue enim in minori tempore æqualem pertransit locum, citius fecisse dicimus: seu in æquali maiorem. Maior autem in æquali tempore maiorem describit circulum. qui enim extra est, maior eo qui intus est. Horū autem causa, quoniam duas fertur lationes ea quæ circulum describit, linea. Quandoquidē igitur in proportione fertur aliqua id, quod fertur, super rectam ferri necesse: & hæc diameter efficitur figuræ, quam faciunt illæ, quæ in huiusmodi proportione coaptantur lineæ. Sit enim proportio secundū quam latum fertur, quam habet A B ad A C: & A quidem feratur versus B, A B vero subter feratur versus M C: latum autem sit A quidem ad D. vbi autem est A B versus E: quoniam igitur lationis erat proportio, quam A B habet ad A C, necesse est & A D ad A E hanc habere proportionem. Similē igitur est proportione paruum quadrilaterum maiori: quamobrem & eadem illorum est diameter. & A erit ad F. Eodem etiam ostendetur modo, vbicunque latio deprehendatur. semper enim supra diametrū erit. Manifestū igitur quòd id, quod secundum diametrum duabus fertur lationibus, necessario secundum laterum propor-

tionem fertur. Si enim secundum aliam quampiam nō feretur secundum diametrum. Si autem in nulla feratur proportione secundum duas lationes nullo in tēpore, rectam esse lationem est impossibile. Sit enim recta. Posita igitur hac pro diametro, & circum repletis lateribus, illud quod fertur, secundum laterum proportionem ferri necesse est: hoc enim demonstratum est prius. non igitur rectam efficiet id, quod secundum nullam proportionē in nullo fertur tempore. * Si autem secundum quampiam feratur proportionē, & in tempore quopiam, hoc necesse est tēpus rectam esse lationem per ea quæ retro sunt dicta. Quamobrem circulare est id, quod secundum nullam proportionem nullo in tēpore duas fertur lationes. Quōd quidem igitur ea, quæ circulum describit, duas simul feratur lationes, manifestum est cum ex istis, tum quia secundum rectum lata, ad perpendiculū peruenit, vt sit rursus ipsa à centro perpendiculum. Sit circulus A B C D: extremum autē vbi est B, feratur ad ipsum D: peruenit sane aliquando ad ipsum C. Si quidem igitur in proportione feratur, quam habet B E, E C: feretur vtique secundum diametrum vbi B C. nunc autem quoniam in nulla proportione, in circumferentia certe fertur vbi B E C. Si autem duobus ab eadem potentia latis, hoc quidem plus repellatur, illud vero minus, rationi cōsentaneum est tardius moueri id, quod plus repellitur, eo quod repellitur minus: quod videtur accidere maiori & minori illarum, quæ ex centro circulos describunt. quoniā enim proprius est manenti, eius quæ minor est, extremum, quàm id quod est maioris, veluti retractum in contrarium ad medium, tardius fertur minoris extremū. Omni quidem igitur circulum describenti istuc accidit: fertur quæ eam quæ secundū naturam est lationem, secundum circunferentiam: illam vero quæ præter naturam, in trāsuersum, & secundum centrum. maiorē autem semper eam, quæ præter naturam est ipsa minor fertur: quia enim centro est vicinior, quod trahit, vincitur magis: Quōd autem magis quod præter naturam est mouetur ipsa minor quam maiorilarum, quæ ex centro circulos describunt, ex iis est manifestum. Sit circulus vbi B C D E: & alter in hoc minor vbi M N O P, circa idem centrum A: & proiicianturdiametri in magno quidem, in quibus C D, B E, in minori vero ipsæ M O, N P: & altera parte longius quadratum suppleatur D K R C. si quidem A B circulum describens ad id peruenit, vnde est egressa manifestum est, quod ad ipsam fertur A B. Similiter etiam A M ad ipsam A M perueniet. Tardius autem fertur A M, quàm A B, quemadmodum dictum est: quia maior sit repulsio & magis retrahitur A M. Ducatur igitur ipsa A L F, & ab ipso L perpendiculum ad ipsam A B, ipsa L Q in minore circulo: & rursum ab L ducatur iuxta A B L S, & S T ad ipsam A B perpendiculum, & ipsa F X: ipsæ igitur vbi sunt S T, & L Q, æquales: ipsa ergo B Γ minor est, quam M Q æquales enim rectæ lineæ in æqualibus coniectæ circulis perpendiculares diametrò, minorem diametri resecant sectionem in maioribus circulis est autē ipsa S T æqualis ipsi L Q. In quanto autem tempore ipsa A L ipsam M L lata est, in tanto temporis spatio in maioris circulo maiorem, quàm sit B S, latum erit extremum ipsius B A. Latio quidem * igitur secundum naturam æqualis: ea autem quæ præter naturam est *enim minor

*Hoc vsque ad id, per ea quæ retro sunt dicta, ideo asteriscō signaui, quoniā non videtur Philosophi brevitati convenire. frustra enim replicat quod dictū ist supra, & interiectæ cuidam glossulæ simile est, qualia inis ipsis commentariis pleraque alia esse animadverti potest.

minor, videlicet B T. quàm M Q. Oportet autem proportionabiliter esse, sicut quod est secundum naturam, ita quod est præter naturam, ad id quod est præter naturam. maiorem igitur circunferentiam pertransiuit, quàm sit ipsa ↄ B. Necesse autẽ est ipsam F B in hoc tempore pertransisse. hic enim erit, quando proportionabiliter vtrinque accidit quod est præter naturam, ad id quod est secundum naturam. Si igitur maius est quod est secundum naturam in maiori, & quod est præter naturam, magis vtique hic concidet vno modo: ita quòd B sit latum per ipsam B F in tanto tempore, in quo M punctum per ipsam M L. hic enim secundum naturam quidem signo B sit X F: est enim ab ipso F perpendiculum: præter naturã verò ad ipsam X B. Est autem quemadmodum F X ad X B, sic L Q ad M Q. manifestum autem, si coniunguntur ab ipsa B M. ad F L. Si autem minor, aut maior, quàm sit F B, erit illa quàm latum est B, non similiter erit, neque proportionabile in vtrinque quod est secundum naturam, ad id quod est præter naturam. Quã igitur ob causam ab eadem potentia celerius fertur id quod plus a centro distat punctum, ex iis quæ dicta sunt, est manifestum.

*Quæstiones.*

CVr autem maiores libræ exactiores sunt minoribus, palã est ex iis. Spartũ enim fit centrum: id nanque manet. quod autẽ libræ vtrinq. est, excũtes à centro. Ab eodẽ igitur põdere citius moueri necesse est extremum libræ, quo plus à sparto discesserit. Et nonnulla quidẽ in paruis libris impositis non manifesta sensui sunt ponderã: in



in magnis autem manifesta. nihil enim prohibet minorem moueri magnitudinem, quàm vt vi sioni sit manifesta. In magna autem libra idem pondus visibile efficit magnitudo. Quædam vero manifesta quidem sunt in vtrisque, sed multò magis in maioribus, quoniã multò maior inclinationis sit magnitudo ab eodem pondere in maioribus. Quamobrem machinãtur ii, qui purpuram vendunt, vt pendendo defraudent, tum ad medium spartum non ponentes: tum plumbum in alterutram libræ partem infundentes: aut ligni quod ad radicem vergebat, in eam quam deferri volunt, partem constituentes: aut si nodum habuerit. ligni enim grauior ille est pars in qua est radix. nodus vero radix quædam est. Cur siquidem sursum fuerit spartum quando deorsum lato põdere, quispiam id admonet, rursum ascendit libra: si autem deorsum constitutũ fuerit, non ascendit, sed manet? An quia sursum quidẽ sparto existente, plus libræ extra perpendiculum sit: spartum enim est perpendiculum: quare necesse est deorsum ferri id quod plus est, donec ascendat quæ bifariam libram diuidit, ad ipsum per pendiculũ, cùm onus incumbat ad libræ partem sursum raptam. Sit libra recta vbi B C, spartum autem A D, hoc igitur deorsum proiecto perpendiculum erit vbi A D M. Si igitur in ipso B pona tur onus, B quidem erit vbi E, C autem vbi H. quamobrem ea quæ bifariam libram secat, primo quidem erit D M ipsius perpẽdiculi: incumbente autẽ onere erit L G. quare libræ ipsius vbi E H, quod extra perpendiculum est A M, vbi est P Q. maius est dimidio. Si igitur amoueantur onus ab ipso E, necesse est deorsum ferri H. minus enim est ipsum E. Si quidem igitur sursum

*Exẽplaria omnia hac in quæstione ne adeo sunt mendosa, præcipuèque in secunda eius parte, vt vix ex eis sensus elici possit, ac cũ difficultate rei ipsius ratio valeant.*

habuerit spartum, rursum propter hoc ascendit libra. Si autē deorsum fuerit, id quod substat contrarium facit. plus enim dimidio fit libræ, quæ deorsum est pars, quàm quod perpendiculum secet, quapropter nō ascendit: elevata enim pars leuior est. Sit libra recta vbi N O, perpendiculum autem K L M bifariam igitur secatur K G. Impositio autem onere in ipso N, erit quidem N vbi O, ipsum autem G vbi R, K L autem vbi L P. quare maius est K O, quam L R. ipso P K L. Et ablato igitur onere, necesse est manere. incumbit enim ceu onus excessus medietatis eius vbi est F.

3 Cur exiguæ vires (quemadmodum à principio dictum est) vecte magna mouent pondera, vectis insuper onus accipientes? cùm facilius sit minorem mouere grauitatem: minor autē est sine vecte. An quoniam ipse vectis est in causa libra existens, spartum inferne habens, in inæqualia diuisa. hypomochlion enim est spartum. ambo nanque stant, vt centrum. quoniam autem ab æqualis pondere celerius mouetur maior earum, quæ à centro sunt: duo vero pondera, quod mouet, & quod mouetur: quod igitur motum pondus admouens, longitudo paratur ad longitudinem semper autem quanto ab hypomochlio distabit magis, tanto facilius mouebit. Causa autem est, quæ retro commenti rata est quoniam quæ plus à centro distat, maiorem describit circulum: quare ab eadem potentia plus separabitur mouens illud, quod plus ab hypomochlio distabit. Sit vectis vbi A B, pondus vbi C, quod mouet autē vbi D, hypomochlion vbi E quod autem vbi est D mouens, vbi F. motum autem vbi C, pondus, vbi G.

4 Cur ij qui in nauis medio sunt remiges, maximè nauem mouent? An quia remus vectis est hypomochlion autem sit scalmus, stat enim ille: pondus vero mare est, quod propellit remus: vectem autem mouens ipse est remex. Semper autē plus mouet ponderis, quanto magis ab hypomochlio distabit, quicunque id mouet. maior enim ita fit, quæ ex centro. scalmus autem hypomochlion existens, centrum est. In medio autem nauis plurimum remi intus est: illa enim parte latissima est nauis: quare maior vtrinque remi pars vtrorunque nauis parietum intrinsecus est. Mouetur autem nauis, quoniam appellens ad mare remo, extremum illius, quod intus est, in ante promouetur. nauem vero scalmo alligatam simul promoueri contingit, quo remi extremum. vbi enim plurimū maris diuidit remus, eò maxime propelli necesse est plurimum autem diuidit, vbi pars plurima remi à scalmo est. Et eam ob causam remiges qui in media sunt naui, mouent illam maxime. maxima enim remi pars à scalmo in nauis medio intus est.

5 Cur parum existens gubernaculum, & in extremo nauigio tantas habet vires, vt ab exiguo temone, & ab hominis vnius viribus, alioquin modice vtentis, magnæ nauigiorum moueantur mōles? An quoniam gubernaculum vectis est onus autem mare: gubernator vero mouens est. Non autem secundam latitudinem, veluti remus mare, accipit gubernaculum. non enim in ante nauigium mouet, sed ipsum commotū mare accipiens inclinat oblique: quoniam enim pondus est mare, contrario innixum modo nauem inclinat. hypomochlion enim in contrarium versatur: mare vero interius, si illud externus. illud autem sequitur nauis, quoniam illi est alligata. Et remus quidem secundum latitudinem

onus propellens, & ab eodem repulsus, in rectum propellit gubernaculum autem, vt obliquum iacet, hinc inde in obliquum motionẽ facit. In extremo autem & non in medio iacet, quoniã moueri facillimum est ab extremo motum mouere. Prima enim pars celerrimè fertur: quoniã quemadmodum in iis quæ feruntur, in fine deficit latio, sic ipsius cõtimui in fine imbecillissima est latio imbecillissima autem a expellendum est facilis. Propter hæc igitur in puppi gubernaculum ponitur. Nec minus quoniam parua ibi motione facta, multò maius in reliquum fit in vltimo quia æqualis angulus semper maiorem spectat: tantoque magis quanto maiores fuerint illæ, quæ contingunt. Ex iis etiam manifestum est, quam ob causam magis in contrarium procedit nauigium, quàm remi ipsius palmula. eadem enim magnitudo iisdem mota viribus. in aëre plus, quam in aqua progreditur. Si enim A B remus, G vero scalmus: A autem in nauigio sit remi principium, B vero in remi palmula. Si igitur A vbi D translatum est, non erit B vbi E: æqualis enim B E ipsi A D æquale igitur trãslatum erit, sed minus erit igitur vbi est F minor enim B F ipsa A D. quare ipsa G F ipsa D G. similes enim sunt trianguli.

*Eadẽ elemẽta vtriq; figuræ deseruiunt.*

Stans autem erit medium vbi est C in cõtrarium enim ipsi, quod in mari est, extremo videlicet B procedit, vbi extremum in nauigio est A. Non procederet autẽ vbi est D, nisi comoueretur nauigium, & eò transferretur, vbi remi est principium. Idipsum etiam facit gubernaculum, nisi, q (vt dictum est retro) nihil nauigio ad id, quod ante est confert, sed solum puppim in obliquum pellit, vbicunq; fuerit. in cõtrarium enim eo modo vergit prora. Vbi igitur applicatum est gubernaculum, id oportet rei motæ, ceu quoddam intelligere medium: & quemadmodum scalmus remo. Medium autem procedit secundum quòd gubernaculũ transfertur. si quidẽ introrsus agit, & puppis eò transfertur, prora vero ad contrarium vergit. in eodem enim existente prora, totum transfertur nauigium.



Cur quando antenna sublimior fuerit, iisdem velis & vento eodẽ celerius feruntur nauigia? An quia malus quidem sit vectis: hypomochlion vero mali sedes, in qua collocatur: pondus autem, quod moueri debet ipsum nauigium: mouens vero is, qui vela tendit, spiritus. Si igitur quanto remotius fuerit hypomochlion, facilius eadem potentia & citius idem mouet pondus, altius certè sublata antenna, velum à mali sede, quæ hypomochlion est, remotius faciens, id efficiet. 6

Cur quando ex puppi nauigare voluerint, non flante ex puppi vento, veli quidem partem, quæ ad gubernatorem vergit, constringunt: illam vero quæ proram versus est, pedem facientes relaxant? An quia retrahere quidem multo existente vento gubernaculum non potest: pauco autem potest, quem constringunt. Propellit quidem igitur ipse ventus. in puppim vero illum constituit, gubernaculum retrahens, & mare cõpellens: simul & nautæ ipsi cum vento contendunt, in contrariam enim se reclinant partem. 7

Cur ex figurarũ genere, quæcũque rotũdæ sunt & circinatæ, facilius mouẽtur? Trifariam autem circulũ rotari contingit. aut enim secundum absidem centro simul moto, quemadmodum palustri vertitur rota aut circa manens centrũ, veluti trochleæ stantæ centro: aut in pauimento manente centro, sicut figuli rota cõuertitur. An celerrima 8

quidem huiusmodi sunt, quoniam parua sui parte planum cõtingunt, veluti circulus secundũ punctum: & quoniam non offendant. à terra enim semotus est angulus. Præterea etiam cui obuiam fiunt corpori, id rursum secundum pusillum tangunt. si autem rectilineum esset, rectitudine sua multũ plani contingeret. Ad hæc quo nutat pondus, eò motor mouet, cùm igitur ad rectum super plano circuli fuerit diameter, planum secundum punctum contingente circulo æquale vtrinque pondus disterminat diameter. cùm autem mouetur, plus illico, ad quod mouetur, ceu inde nutans. ab impellente facilius in ante mouetur. quò enim vnũquodque vergit, mouetur ex facili: siquidem difficulter ad contrarium nutus sui, mouetur modum. Præterea nonnulli autumant quod circuli linea in perpeti versatur motu, quemadmodum manentia propter contrarium nixum manent: sicut maioribus contigit circulis ad minores. Celerius enim ab æquali mouentur potentia maiores circuli, mouentque onera, quoniam circuli maioris angulus ad minoris angulum circuli nutum habet quendam. & sicut diameter ad diametrum, ita maior circulus ad minorem. infiniti autem sunt minores. Si autem ad alterum nutum habet circulus similiter est bene mobilis. Et aliam sanè habet inclinationem circulus, & ea quæ à circulo mouentur, licet planitiem absíde non contingat, sed aut iuxta planitiem, aut veluti trocheæ. etenim hoc se habentes modo facillime mouentur, & onera commouent. An non quia parua sui portione cùm tangit tum offendit circulus, sed aliam ob causam. ea autem est, quæ dicta est prius, quòd circulus scilicet ex duabus effectus est lationibus. quam ob rem illarum alteram



nam pro nutu semper habet, & veluti continuo motum illum mouent, quicunque mouent, quando secundum circumferentiam illum mouerint: latam enim ipsam mouent. Eam quidem igitur, quæ in obliquum est motionem, ipsum impellit mouens. secundum vero illam, quæ super diametrum est, seipsum mouet circulus.

Cur ea quæ per maiores circulos tolluntur & 39
trahuntur, facilius & citius moueri contingit, veluti maioribus trochleis quàm minoribus & scytalis similiter? An quoniam quanto maior fuerit illa quæ à centro est, inæquali tempore maius mouetur spatium. Quam ob rem æquali inexistẽte onere, idem faciet quemadmodum diximus & maiores libras minoribus exactiores esse. spartum enim in illis centrum est: libræ autem vtrinque partes, quæ ex centro sunt, existunt.

Cur facilius quando sine pondere est, mouetur 40
libra, quàm cùm põdus habet? Similque modo rota, & huiusmodi quippiam, quod grauius quidem est, maius autem minore & leuiore? An quia non solum in contrarium quod graue est: sed in obliquum etiam difficulter mouetur. In contrarium enim ei, ad quod vergit onus mouere difficile est. quò autem vergit, est facile. in obliquum autem haudquaquam vergit.

Cur super scytalas facilius portantur onera, 41
quàm super currus, cùm tamen ii magnas habeãt rotas, illæ vero pusillas? An quoniam in scytallis nulla est offensatio, in curribus autem axis est, ad quem offendant. desuper enim illum premunt, & lateribus. quod autem est in scytallis, ad isthæc duo mouetur, & inferne substrato spatio, & onere superimposito. in vtrisque enim iis reuoluitur locis circulus, & motus impellitur.

32 Cur longius feruntur missilia funda quàm minumissa, cùm alioquin proiector manu magis pondus comprehendat, quàm cùm illud suspendit? Præterea sic quidem duo mouet pondera, fundæ videlicet, & missilis: illo autem modo solum missile. An quia in funda quidem commotum missile funditor proiicit? fundam enim circule subinde rotans, id iaculatur: ex manu autem a quiete est initium: omnia autem cum in motu sunt, quàm cùm quiescunt, facilius mouentur. An & eam ob causam est sed nec minus etiam, quia in fundæ vtu manus quidem sit centrum: funda vero, quod à centro exit. quanto autē productius fuerit id, quòd à centro est, tāto citius mouetur. ea ctus autē qui manu fit, fundæ respectu breuis est.

33 Cur circa idem iugum maiores collopes facilius, quàm minores mouentur? & item suculæ, quæ graciliores sunt, ab eadē vi, quàm crassiores? An quia sécula quidem, & iugum centrum est: prominentes autem longitudines eæ, quæ sunt à centro. Celerius autem & plus mouētur quæ maiorum sunt circulorum ab eadem vi, quàm quæ minorum. ab eadem enim vi plus transfertur id extremum, quod longius à centro distat. Quam ob rem ad iugum quidem instrumenta faciunt collopas, quibus facilius versant: in gracilibus autem suculis plus fit, quod extra lignum est. hoc autem id efficitur, quod à centro exit.

34 Cur eiusdem magnitudinis lignum facilius genu frangitur, si quispiam æquè diductis manibus extrema comprehendens fregerit, quam si iuxta genu &si terræ illud applicans pede superimposito manu longè diducta confregerit. quàm prope? An quia ibi quidem genu centrum est, hic vero ipse pes, quanto autem remotius à centro fuerit



fuerit, facilius mouetur quodcunque. moueri autem quod frangitur, necesse est. 35

Cur eæ quæ circa littora appellantur Crocæ rotunda sunt figura, cùm alioquin à principio ex magnis sint lapidibus: ostreisue? An quia ea quæ plus recedunt à medio in motionibus, feruntur celerius, medium enim sit centrum: interuallum vero ea, quæ à centro. Semper autem maior ab æquali motione maiorem describit circulum: quod autem maius in æquali pertransit tempore, celerius fertur: quæ autem celerius ex æquali feruntur spatio, vehementius impetunt: quæ autem magis impetunt, impetuntur & magis. quàm ob rem ea quæ plus à medio distant, confringi necesse est. id autem cùm patiantur, rotunda fieri est necessarium. Crocis autem propter maris motum quoniam simul cum illo agitantur, in perpeti esse accidit motione, eóq. versatas modo semper offensare. id autem ipsis maximè extremis contingere partibus est necesse.

Cur quanto longiora sunt ligna, tanto imbecilliora fiunt: & si tollantur, inflectuntur magis: tametsi quod breue quidem est, ceu bicubitum, fuerit tenue: quod vero cubitorum centum crassum? An quia & vectis, & onus, & hypomochlion in leuando ipsa sit, ligni proceritas: prior nanque illius pars ceu hypomochlion fit, quod vero in extremo est, pondus. quam ob rem quanto extensius fuerit id quod ab hypomochlio est, tanto inflecti necesse est magis. quo enim plus ab hypomochlio distat, eo magis incuruari necesse est. necessario igitur extrema vectis eleuantur. Si igitur flexilis fuerit vectis, ipsum inflecti magis cùm extollitur necesse est: quod longis accidit lignis: in breuibus autem quod vltimum est, quie- 36

scenti hypomochlio deprope fit.

17 Cur à paruo existente cuneo magna scindun-
tur pondera, & corporum moles, validáque fit
impressio? An quia cuneus duo sunt vectes sibi in
uicem contrarij: vterque autem & pondus habet,
& hypomochlion, quod diuellit, & comprimit.
Plagæ quinetiam ipsius lato pondus, quod percu-
tit & mouet: magnum facit: & quoniam motum
mouet ipsa celeritate valentius fit. paruo autem
existente vecte, magnæ illum consequuntur vi-
res: quam ob rem vltra magnitudinis decentiam
latet mouens. Sit cuneus vbi A B C, quod vero cu-
neo scinditur, D E F G. vectis igitur sit ipsa A B,
pondus vero ipsius B inferior pars, hypomochlion
autem D G, huic autem contrarius vectis B G,
percussa igitur A C, vtroque illorum vtitur vec-
te: scindit enim ipsum B.

18 Cur si quispiam trochleas componens duas in
tignis duobus ad se inuicem iunctis contrario ad
trocleas modo circulo funem circunduxerit, cu-
ius alterum quidem caput tignorum appendatur
alteri: alterum vero trocleis sit innixum: & à fu-
nis initio trahere cœperit, magna trahit pondera,
licet imbecillium fuerit virium? An quia idem
pondus à minori potentia si mouetur, vecte me-
dio transfertur magis, quàm à manu: trochlea
autem idem vecti facit, quam ob rem si vna faci
lius trahet, & ab vnico tractu multò gratius tra-
het, quàm facere possit manus, idipsum duæ tro-
chleæ plus quàm in dupla velocitate leuabunt.
Minus enim altera trahit, quàm si ipsa per se ip-
sam traheret, quando circa alteram iniectus
fuerit funis: illa nanque minus etiam pondus effe-
cit. Pariq; modo si ad plures iniectus fuerit funis
in paucis trochleis, multa fit differētia, quam ob
rem



rem à prima pondere quatuor minas trahente, ab
vltima trahi multò minus. Et in re ædificatoria
faciliter magna mouent pondera traducũt enim
ab vna trochlea ad aliam, & rursus ab illa ad su-
culas, & vectes. hoc autem idem est, ac si multas
facerent trochleas.

Cur siquis super lignum magnam imponat se- 19
curim, desuperq; illi magnũ adiciat pondus, ligni
quippiam quod curandum sit non diuidit: si vero
securim extolliens percutiat, illud scindit, cùm a-
lioquin multò minus habeat ponderis id quod
percutit, quàm id quod superiacet, & premit? An
quia omnia cum motu fiunt, & graue ipsum gra-
uitatis magis assumit motũ dum mouetur, quàm
dum quiescit. Incumbens igitur connatam gra-
uitatis motionem non mouetur, motum vero & secun-
dum hanc mouetur, & secundũ eam quæ est per-
cutientis. Præterea securis ipsa efficitur cuneus,
paruus autem existẽs cuneus magna diuidit, cùm
ex duobus sit vectibus contrario ad sese inuicem
modo constitutis.

Cur statera, qua carnes põderantur, paruo ap- 20
pendiculo magna trutinat onera, cùm alioquin
tota dimidiata existat libra? vbi enim onus impo-
nitur, solum suspenditur lanx: in altera vero par-
te, sola est statera. An quia simul libra & vectem
ipsam contingit esse stateram. libram quidem,
vbi spartorum quodcunque stateræ sit centrum:
in altera enim parte lancem, in altera autem pro
lancis æquipondii appendiculum habet. quod li-
bræ incumbit, ceu si quis alteram apponeret lan-
cem, & illi pondus imponeret. manifestum enim
quòd tantundem tradit ponderis ei, quod in alte-
ra iacet lance. Quemadmodum autem si vna li-
bra multæ sint libræ, sic talia insunt sparta mul-

ta in eiusmodi libra: quorum vniuscuiusque quod intrinsecus est ad appẽdiculum, stare est dimidium. & omnino istud libera est, vnam quidẽ habens lancem in qua pondus appenditur: alteram vero, vbi in statera æquipondium. Quam ob rem appendiculum ad alteram sui partem est statera. huiusmodi autem existẽs multæ sunt libræ tótq; quot fuerint spartæ. Semper autem quodlãci propinquius est spartum, appensóque oneri, maius trahit pondus: quoniam sit quidem omnis statera inuersus vectis: hypomochlion nanq; vnumquodque spartum superne existens: pondus vero id quod lanci inest. Quanto autem productior vectis fuerit longitudo ab ipso hypomochlio, tanto ibi quidem facilius mouet: hic autem æquilibrium facit, pondúsque stateræ trutinat, quod ad æquipondii vergit appendiculum.

21 Cur Medici facilius dentes extrahunt dẽtiforcipis onere adiecto, quàm si sola vtantur manu? An quia ex manu magis quàm ex dentiforcipe lubricus elabitur dens? An ferro id potius accidit quàm digitis, quoniam vndiq. dentem non comprehendunt: quod mollis digitorum facies caro adhæret enim, & cõplectitur magis. An quia dentiforceps duo contrarii vectes, vnicum habentes hypomochlion, eius scilicet instrumenti connexionem. Hoc igitur ad extractionem vtuntur organo, vt facilius moueant. Sit dentiforcipis alterum quidem extremum vbi est A: alter autem quod extrahit B. vectis autem vbi A D F. alter vero vectis vbi B C E. hypomochlion autem C G D: connexio vero vbi G dens autem pondus. Vtroq; igitur B & F simul comprehendentes mouent. quando autem commotus fuerit, facilius manu trahitur quàm instrumento.

Cum



Cur nuces absque ictu facile confringunt instru- 22
mentis quæ ad eum fiunt vsum? multũ enim auferrtur vitiũ, motionis scilicet, & violentiæ Præterea duro & graui comprimens instrumento citius confringet, quàm ligneo & leui. An quia sic vtrinque à duobus comprimitur vectibus ipsa nux: à vecte autem facile dimittuntur onera. id enim instrumẽtum ex duobus componitur vectibus. idem habentibus hypomochlion, connexionem videlicet ipsam vbi est A. Quemadmodum igitur fuere diductæ secundũ extrema motis CD ipsæ F E, sic à parua facilitate potentia conducuntur. Quòd igitur cùm percussione fecisset pondus, id valentiores illa E C, & F D vectes efficiunt. eleuatione enim in contrarium elati & comprimentes, frangunt vbi est K. Hanc etiam ob causam quanto vicinus fuerit K ipsum A, confringitur celerius quanto enim ab hypomochlio plus distat vectis, facilius & plus mouet ab eadẽ potentia. Est igitur A quidem hypomochlion: ipsa autem D A F vectis: & itẽ ipsa G A E. Quanto igitur ipsum K vicinus fuerit angulo ipsius A, tanto vicinius fit counexioni vbi est A. hoc autem est hypomochlion. Ab eadem igitur potentia applicante F E plus extolli necesse est. Quam ob rem quoniam ex contrario est eleuatio, necesse est magis comprimi. quod autem comprimitur magis, citius frangitur.

Cur si duo extrema in rhombo puncta duabus 23
ferantur lationibus, haudquaquam æquale vtrunque eorum pertranſit rectam, sed multo plus alterum? Idem autem est sermo cur quod super latus fertur, minus pertransit, quàm ipsum latus. illud enim diametrum minorẽ, hoc vero maius latus, & hoc quidẽ vnica, illud vero duabus fer-

tur

tur lationibus. Feratur enim ex ipsa A B, A quidem ad ipsum B, B vero ad ipsum D eadem celeritate. feratur autem & ipsa A B in ipsa A C iuxta C D eadem celeritate cum illis. necesse igitur est A quidem in ipsa A D diametro ferri, B vero in ipsa B C. & vtranque simul pertransire, & ipsam A B ipsum latus A G latum enim sit ipsum A ipsam A E, A B autem ipsam A F, & proiecta sit F G iuxta ipsum A B, & ab ipso E similiter repleatur. Simile igitur fit quod repletum est ipsi toti. æqualis igitur A F ipsi A E. ipsa autem A B ipsam A F lata erit. in diametro igitur erit secundum K. & semper necesse est ipsum ferri secundum diametrum & simul A B latus pertransit latus A G & ipsum A diametrum pertransit A D. Similiter etiam demonstrabitur & ipsum B in ipsa B C diametro latum. æqualis enim est ipsa B E ipsi A B. Repleto igitur ab ipso G, quod intus est, toti est simile: & ipsum E in ipsa diametro erit secũdum laterum connexionem. Et simul latus pertransit latus & B ipsum B C diametrum. Simul igitur A multò plus ipsa A B pertransit. & ipsum latus, minus latus eadem lata celeritate: & ipsum latus maiorem, quàm B, pertransiuit vna latum latione. Quanto enim acutior fuerit rhombus, diameter quidem minor fit. A C autẽ maior: latus vero ipsius B C minus. Absurdũ est enim (vt dictũ est) id quod duabus fertur lationibus, aliquando ferri tardius illo, quod fertur vnica: & vtrisque positis æquali velocitate punctis, alterum pertransire maiorem. Causa autem est, quoniã ei quod ab obtuso fertur angulo, ambæ ferè cõtrariæ fiunt lationes, & illa secundũ quã ipsum fertur, & illa secũdũ quã ipsum a latere defertur. Ei autem quod ab acuto fertur, accidit vt ad idẽ feratur. coadiuuat enim



enim quæ ipsius est lateris, illã quæ est super diametrum. & quãto hũc quidem acutiorem feceris, illum vero obtusum magis: hæc quidem tardior erit, illa vero celerior. Hæ quidem igitur magis cõtrariæ fiunt, quoniam obtusior sit angulus: illæ vero ad idem magis quoniam lineæ coarctantur: ipsum enim A fere ad idẽ fertur secundũ ambas lationes. Coadiuuatur igitur altera: & quãto sanè acutior fuerit angulus, tanto magis ipsum A ad contrarium. ipsum enim ad B fertur: latus autem defert ipsum ad D. Et quanto sane obtusior fuerit angulus, magis contrariæ fiunt lationes: rectior enim efficitur linea. si autem omnino recta fieret, penitus vtique essent contrariæ. latus vero secundum vnicam latum lationem à nullo præpeditur: rationabiliter igitur maiorem pertransit.

Dubitatur quã ob causam maior circulus æqualem minori circulo conuoluitur lineam quando circa idem cẽtrum fuerint positi: seorsum autem reuoluti, quemadmodum alterius magnitudo ad magnitudinẽ se habet alterius, sic & illorum ad se inuicẽ fiunt lineæ. Præterea vno etiam & eodẽ vtrisque existente centro, aliquãdo quidem tanta fit linea, quam conuoluuntur, quantam minor per se conuoluitur circulus quandoq; vero quantam maior. Quòd quidem igitur maiorem conuoluitur maior, manifestũ est. angulus enim sensu videtur esse cuiusque circumferentia propriæ diametri maioris circuli maior, minoris minor. quamobrem eandem habebunt proportionem secundum sensum ad se lineæ, secundum quas fuerint conuoluti. Verum enimuero quòd etiam æqualem conuoluuntur, quando circa idem fuerint positi centrum, manifestum est: & sic fiunt aliquando quidem æquales lineæ, secundum 14

dum quam maior conuoluitur circulus, aliquando vero secundum quam minor. Sit enim circulus maior quidem vbi D F C: minor vero vbi E G B: vtrisque autem centrum A. Et quam quidē per se magnus conuoluitur, sit vbi F I quā vero per se minor vbi G K, æqualis A. Si igitur minorem mouero, idem mouēs centrum vbi A maior autem sit annexus. quando igitur A B fuerit recta ad ipsam G K, simul & A C fit recta ad ipsam F I. quam ob rem æqualem semper translata erit ipsam quidem G K, vbi est G B circunferentiae ipsā vero F L quæ est vbi F C. Si aūt quarta pars æqualem conuoluitur, manifestum est quōd totus circulus toti circulo æqualem conuoluetur, quare quando B G linea ad ipsum peruenerit K, & ipsa F C circunferentia erit in ipsa C L: & vniuersus erit conuolutus circulus. Similiq; modo si magnum mouero, illi parium annectens, eodem existente cētro, simul cum A C ipsi A B perpendiculum & recta erit: hæc quidem ad ipsam F I, illa vero ad G M. Quam ob rem quando hæc quidem æqualem ipsi G M pertranierit, illa vero ipsi F I, & rursum facta fuerit recta ipsa F A ad ipsam F L. & ipsa A C rursum recta, velut à principio erant in ipsis H I. Hoc autem neque aliqua intercedente mora maioris ad minorem, vt scilicet per aliquod temporis spatiū staret in eodem puncto: neque transiliente minore aliquod punctum maiore quidem æqualem minori pertransire, huic autem maiori, absurdum est. Præterea vnica etiam semper existente motione, centrum motum interdum quidem magnā. nonnunquam vero minorem conuerti, admirandum est. Idem enim celeritate eadem latus æqualem natū hoc est pertransire: eadem autem celeritate vtroque modo



modo æqualem licet mouere principium autem sumendum est circa istorum causam quod eadem potentia & æqualis hanc quidem tardius mouet magnitudinem illam vero celerius. Si enim fuerit quippiam, quòd à seipso moueri natum nō sit si simul & illud mouerit, quod natum est mouere, tardius mouebitur, quàm si ipsum per se moueretur. Et si quidem natum fueri moueri, nō simul autem moueatur, similiter se habebit. Et impossibile certe est plus moueri, quàm mouens: non enim suam ipsius mouetur motionem. Si igitur circulus maior vbi A, minor autem vbi B, si minor maiorem repellet non reuolutum, ex se, manifestum est quod tantum ipsius recte maior pertransit, quantum est impulsus tantum autem impulsus, quantum paruus est motus: æqualem igitur recte ipsius pertrāsiuerunt. Necesse igitur est si reuolutus minor maiorem impellet, reuolui simul cum impulsione: tantum autem quantū minor reuolutus est, si nihil ipse suiipsius motione mouetur. Quomodo enim & quantū mouit, tantum motū esse necesse est, quod mouetur ab illo: sed profecto paruus circulus tantum seipsum circulariter mouit quantum est pedalis quantitas: (tantum enim sit id quod motus est) & magnus igitur tantum motus erit. Similique modo si magnus paruū mouebit, motus erit paruus. quem ad modum maior. Per se autē motus illorum vtrum libet, siue celeriter, seu tarde eadem velocitate, statim quantum maior natus est circumferri lineam: quod difficultatem facit. quod non similiter faciunt, quando fuerint connexi, hoc autem est si alter ab altero moueatur, non quam natus est neq; peculiarem motionem. Nihil enim refert circumponere, & annectere & coniungere vtrū-

libet alteri. similiter enim quando hic quidem mouet, ille vero mouetur ab isto, quantum vtigi mouerit alter alteri tantum mouebitur. Quando quidem igitur adiacens mouerit, aut propensus non semper conuoluitur, quando vero circa id positi fuerit centrum, alterum ab altero semper conuolui necesse est. Sed nihilominus non suam ipsius motionem mouetur alter, sed veluti nullã haberet motionem: & si habuerit illa autem non vtatur, tantundem accidit. Quandoquidem igitur magnus mouerit sibi alligatum paruum, paruus mouetur quãtum ille: quando autem paruus rursus magnus quãtum iste: separatus autem vterque seipsum mouet. Quod autem eodem existente centro, & mouente eadem velocitate, accidit inæqualem illos pertransire lineam, paralogismo sophistice vtituris, qui dubitat idem enim ambobus est cẽtrum, verum per accidens, veluti musicum & album. esse enim vtriusque circuli centro non eodem vtitur. Quandoquidem igitur mouens fuerit paruus, vt illius centrum & principium: quando vero magnus, vt illius: non igitur idem simpliciter mouet, sed est quomodo.

Cur lectulorum spondas secundum duplam faciunt proportionem, hic quidem sex pedum, vel paulo ampliorem, illam vero trium curve non secundum diametrum illos restibus extendunt? An tantos quidem magnitudine faciunt, vt corporibus sint proportionem habentes: fiunt enim sic secundum spondas dupli longitudine quidem cubitorum quatuor, latitudine vero duorum. Extendunt autem illos non secundum diametrum, sed ex opposito, vt & ligna minus distrahantur. celerrime enim scinduntur secundum naturam diuisa, & eodem modo distenta laborant maxime.



xime. Amplius, quoniam opus est, vt restes pondus ferre possint, sic certe pondere impositio minus laborabunt, si transuersim, quàm si oblique extendãtur. Præterea hoc etiam modo minus absumitur restium. Sit enim lectulus AFGK, & bifariam diuidatur ipsa F G secundum B, æqualia certe foramina sunt in ipsa F B, & in ipsa F A. latera enim sunt æqualia. nam totum F G duplum est. Extẽdunt autem, vt descriptum est, ab ipso A ad ipsum B. ita vbi est C, ita vbi est D: ita vbi H, postea vbi E, & eodem semper modo, donec ad angulum peruenerint alium. Duo enim anguli restis habent capita. æquales autem sunt restes secundum curuaturas, videlicet A B, & B C ipsis C D, & D H & aliæ simili se habent modo, quoniam eadem demonstratio. ipsa enim A B æqualis est ipsi H E: æqualia enim sunt latera spatij B G, M A, & foramina æquè distant, ipsa autem B G, æqualis est ipsi M A: angulus enim B æqualis est angulo G: in æqualibus enim hic quidem intus, ille vero extra. & B quidem est semirectus: est enim F B æqualis ipsi F A: & angulus vbi F, rectus est. B autẽ angulus æqualis ei vbi est G, quoniam quadratum altera parte lõgius duplum est: & ad medium est curuatura. quãobrem A D ipsi E G est æqualis: huic vero ipsa H M. Similique modo demõstrantur aliæ, quoniam æquales sunt duæ, quæ secũdum curuaturas sunt, duabus. Quare manifestum est, quòd tot sunt restes in lectulo, quot sunt quatuor, sicut A B. Quanta autem foraminum est multitudo in ipso F G latere, & in eius dimidio E B est medietas. Quãobrem in dimidiato lectulo tantæ restium magnitudines erunt, quantum est A B: multitudine vero tot, quot in B G sunt foramina. Hoc autem nihil refert dice-

re, quàm quot sunt in ipsis A F & B F simul sumptis. Si autem secundum diametrum extendantur testes, quemadmodum se habet in lectulo A B C D, dimidia non tot sunt, quot amborum latera F A F G. æqualia autem, quot in ipsis F B, F A, sunt foramina: maiores autem sunt ipsæ A F, B F, duæ existentes, quàm A B. quare testis in tantum maior, quantum ambo latera diametro sunt maiora.

26 Cur difficilius est longa ligna ab extremo super humeros ferre, quàm secundum medium, æquali existente pondere? An quia vibrato ligno ipsum extremum prohibet ferre vibratione magis retrahens lationem? An quoniam licet nihil inflectatur, neque multam habeat lõgitudinem, difficilius tamen ad ferendum est ab extremo, quoniam facilius ex medio eleuatur, quàm ab extremo, & ideo sic ferre est facilius. Causa autem, quoniam secundum medium quidem eleuato ligno, semper sese inuicem suspendunt extrema, & altera pars alteram bene subleuat. medium enim veluti centrum sit, vbi habet is, qua eleuat, aut fert. Extremorum igitur vtrumque deorsum vergens, sursum suspenditur, quòd si ab extremo eleuatur, aut feratur, non sane facit: sed vniuersum pondus ad vnum vergit medium, quo eleuatur, aut fertur. Sit medium vbi A, extrema B C. Eleuato igitur aut portato secundum A, ipsum quidem B deorsum nutans, sursum eleuat C: ipsum autem C deorsum nutans, B sursum eleuat: ambo autem sursum eleuata hoc faciunt.

27 Cur si valde procerum fuerit idem pondus difficilius super humeros gestatur, etiam si medium quispiam illud ferat, quàm si breuius sit? Quod enim dudum dictum est, causa non est: sed vibratio,



tio nunc est causa. quando enim productius fuerit, vibrantur extrema: quamobrẽ contingit portantem difficilius gestare. Vibrationis autẽ causa est, quoniam ab eadem motione magis transferũtur extrema quãto procerius fuerit lignũ. Humerus quidẽ sit cẽtrum vbi A: manet enim is, ipsæ autẽ AB, AC, quæ sunt ex cẽtro, quãto autem maius fuerit id quod ex cẽtro est, siue AB seu AC, plus trãsfertur spatij. Demõstratum autem est hoc prius.

Cur iuxta puteos celonia faciũt eo quo visuntur modo: ligno enim plumbi adiungunt pondus cum alioquin vas ipsum & plenũ, & vacuum põdus habeat? An quoniam duobus tẽporibus hauriẽdi diuiso opere, (intingere enim oportet, & id sursum trahere) cõtinget demittere quidẽ vacuũ faciliter: trahere vero plenũ difficulter. Cõmodũ igitur est paulò tardius illud demittere, cùm multo leuius effectũ sustolatur pondus. id autẽ facit in extremo celonio adiunctũ plumbũ, aut lapis demittendi quidẽ maius fit pondus, quàm si solũmodo vacuũ oportet demittere: cũ vero plenũ fuerit sursum id rapit plũbum, aut quicquid illi pondẽris inerit. Quàm ob rẽ faciliora hoc modo ambo sunt, quàm illo.

Cur quãdo super ligno, aut huiusmodi quopiã duo portauerint homines æquale pondus non similiter premũtur, si ad vnũ non declinet pondus seu magis, quãto vicinius fuerit gestantibus? An quoniã vectis quidem lignum efficitur. pondus vero hypomochlion, qui autem propior est ponderi ex iis qui illud gestãt, id quod mouetur: alter vero portantiũ, quod mouet. Quanto igitur plus distat à pondere, tanto facilius mouet, & alterum premit magis inferius, veluti contra nitente pon

dere impositō,qđ hypomochliō factū est.Si autē in medio iacerit pōd⁹,nihilo magis alter alteri fit pōdus aut mouet:sed eodē modo alteri fit pōdus.

Cur surgentes omnes semoti crus ad acutum constituētes angulum,& thoraci similiter femur surgunt? quod si non haudquaquam surgere poterunt. An quia id,quod æquale est,quietis vbique est causa:rectus autē angulus æqualitatis,est stationemq; facit:quamobrē ad similes fertur angulos ipsi terræ circunferentiæ:non enim, quod ad rectum est ipsi pauimento. An quoniam surgens fit rectus, stantem vero necesse est perpendiculum esse ad terram. siquidem igitur ad rectū debet esse, hoc autem est caput secundum pedes habere.& fieri oportet cum surgit. Quandoquidem igitur fuerit sedens,secundum parallelū pedes habet & caput,& non in æquali. Caput sit A thorax AB, femur BC, crura CD. ad rectū autē sit & thorax vbi AB, ipsi femori,& cruri femur sic sedente.quamobrē eo se habentem modo surgere est impossibile,necesse autē est crus reclinare pedesq; constituere sub capite.hoc autē erit, si CD fiet,vbi CF,& simul surgere continget,& in eadem æquali habere caput & pedes.ipsa autem CF acutum facit angulum ad ipsam BC.

Cur facilius mouetur commotū,quàm manens veluti currus citius commotos agitat,quàm moueri incipientes? An quia difficillimū est pondus mouere,quod in contrariū mouetur. aufert enim quiddam ex motoris potentia licet multo sit velocior: necesse nanque est tardiorē esse impulsionem illius,quod repellitur. Secundo autem loco si quieuerit:resistit enim ipsū quiescens. Quod aūt mouetur ad id ipsum ad quod impellitur, impellenti simile facit, ceu si quispiā mouentis potentiam,



tiam, & celeritatem augeret. quod enim ab illo pateretur, vtique ipsum facit ex se commotum.

Cur ea quæ proiiciuntur,cessant à latione? An 32
quia impellens desinit potentia, vel propter retractionem, vel propter rei proiectæ inclinationem, quando ea valentior fuerit, quam proiicientis vires. Aut isthæc ambigere, principium relinquentes,absurdum est.

Cur quippiam nō peculiarem sibi fertur latio 33
nem: impulsore alioquin non consequente? An videlicet quoniam primum id efficit, vt alterum impellat: illudque rursum, vt alterum? Cessat autem quando non potest amplius facere primum impellens id quod fertur, vt impellat: & quandoipsius lati grauitas nutu suo declinat magis, quam impellentis in ante fit potentia.

Cur neque parua valde, neque magna longe 34
proiici queunt,sed commensurationem quādam illa habere oportet ad id,quod proiicit? An quia necesse est quod proiicitur,& impellitur,contra niti ei vnde impellitur? quod autem magnitudine sua nihil cedit, aut imbecillitate nihil cōtranititur, non efficit proiectionem. neq; impulsionem. Quod enim multo impellentis excedit vires,haud quaquam cedit:quod vero multo est imbecillius, nihil contranititur. An quia tantum fertur id quod fertur, quantum aëris mouerit ad profundum:quod autem non mouetur neque mouebit quippiam. accidit autem illis ambo isthæc habere. Valde enim magnum, & valde paruum ceu non mota existunt. alterum nanque nihil mouet, alterum vero nihil mouetur.

Cur ea quæ in vorticosis feruntur aquis, ad 35
medium tandem aguntur omnia? An quia magnitudinem habet quodcunque fertur: quam

ob rem illius extrema in duobus sunt circulis, hoc quidem minori, illo vero maiori: quare maior distrahit: quoniam celerius fertur, & trāsuersum impellit illud ad minorem: quoniam autem id quod fertur. latitudinem habet, & iste rursus idem efficit, & ad interiorem propellit, donec ad medium perueniat. An quia quod fertur, simili se habet modo ad omnes circulos propter medium medium enim in vnoquoque circulo æqualiter distat. An quia quorum quidem circūactæ aquæ latio non superior propter magnitudinem, sed grauitate sua circuli celeritatem excellūt, ea necesse est relinqui, & tardius ferri, tardius autem minor circulus fertur. non idem enim in tempore æquali magnus cum paruo reuoluitur circulus, quando circa idem fuerint medium. quamobrem in minori circulo relinqui est necesse donec ad medium perueniant. Quorumcunque autem superior à principio fuerit latio, ea finiens idem efficiet. oportet enim hunc quidem statim alterum vero celeritate superare grauitatē, quam ob rem ad interiorem semper circulum relinquetur quodcunque. Necesse enim est quod non superatur, aut in exteriori, aut in interiori moueri: in illo autē in quo est, impossibile est ferri, quod non superatur: adhuc vero minus in exteriorem: interior enim exterioris circuli est latio: restat igitur, vt id, quod non superatur, ad interiorem trāsferatur. semper autem vnumquodque proficit, vt non superetur. Quoniam vero peruenire ad medium finem quidem efficit, vt quippiam non moueatur: stat autem solummodo ipsum centrum: ad hoc sane omnia congregari necesse est.

*Mechanicarum quæstionum finis.*

ARIST



# ARISTOTELIS LIBER DE MVNDO.

## GVLIELMO BVDAEO interprete.

*Proœmium.* *Caput I.*

*Liber hic si Stagiritæ doctrinā phrasimque non sapit (vt fama est) illū forte edidit, qui & Rhetoricā ad Alexādrum.*

MIhi quidem sæpe diuina quædam res, Alexander, admirationeque digna visa est Philosophia: præcipue vero ea in parte, in qua sola ipsa sublime sese tollens ad contemplandas rerum naturas magno illic studio contendit existentem in eis veritatem pernoscere. Et cum cæteri quidem mortales altitudine ipsa rei, atque magnitudine deterriti, eo instituto accessissent, dignum id incœptum esse duxit Philosphia, quod intrepide ipsa nec dubitanter aggrederetur. Earum etiam rerum disciplinam sibi tum cognatissimam, tum maxime decoram arbitrata est. Siquidem cum per rerum naturā negatum hoc esset homini, cælestē vt in locum corpore sese conferret, vtq; veluti e terra peregre proficiscens, locum illum oculis perlustraret, id quod stolidi illi Aloidæ quondā facere instituerunt: eo factum est animus vt humanus huius viæ ducem nactus intellectum, peregrinabundus illuc importaretur. Ex quo euenit, viam

cum inuenisset Philosophia lassitudinis vacuam atque laboris, res vt inter se situ longissimæ seiũctas vna intelligentia complecteretur: facile nimirũ eas res nosceitans, queis cum sibi naturalis intercedit necessitudo. Eadem etiam cum diuino animæ oculo diuinarum rerum naturam comprehendisset, hominibus subinde ea interpretari cœpit, quasique antistitis officio perfungi. Id enim libens Philosophia faciendũ susceperat, vt quas res cunque præcipuæ commẽdationis esse existimasset, eas quoad eius fieri posset, inter homines erogaret, quibus vtique ipsis abunde, atque proli xe consultum ipsa cupiebat. Quapropter istos miserari quiuis iure posset, vt pusilli animi scriptores, res quaslibet, vulgoque expositas summa admiratione prosecutos. qui nobis vnius loci naturam, aut vrbis cuiusdam formã situmque, aut magnitudinem fluminis: aut deniq; amœni montis aspectũ describere instituerunt: cùm interim magnifice de semetipsis sentiant, ob exilem quampiam naturæ pereeptionem. Cuiusmodi nõnulli magno illi quidem studio fecerunt, accurata vt dictione describerent, hic Ossam montem, ille Nyssam, alii Coryceum spẽcum, alii quiduis eorum, quæ inter orbis particulas eẽsentur. Id quod ideo euenit. quod illis maiora vidisse non contingit: mundum scilicet & præcipuas eius partes. Haudquaquam enim illi tantopere quælibet admirarentur, si hisce contemplandis incubuissent legitima eõtentione: omnia vero & parua, & efficacienda duxissent, duntaxat prout horum exstat excellentia. Proinde dicere ipsi aggrediamur de iis omnibus vniuersum collectis, quamq; fieri potest maxime, theologica commentatione adiuuante. Tibi vero, vt pote imperatorum præstantissimo, hoc quoque decorũ consentaneumq; esse arbitror, cũ maximarũ rerum cõmentationem animo consectari, tum vero ex Philosophiæ studio nihil iam non grãde animo agitare, optimates etiã viros iis rebus inuitare, quibus rebus ipsi ab eadem munifice prædicto esse contingit.



*De mundi partibus, ac ipsarum inter se ordine.*

*Caput II.*

*Mundus.* MVndus est compages è cœlo terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur. Dicitur etiam aliter mundus, ordo & digestio vniuersorum, quæ à Deo, & per Deum asseruatur. Huius situm medium immotum & stabilem Terra vitæ fœcunditate prædita, sortita est: animantium quidem illa omnifariam distinctarum sedes & parens. Huius vniuersitatis suprema pars omnis omnem in partem finita est, & terminata. Cuius id quod in celsissimo loco situm est, Cælum dicitur, Dei domicilium. Hoc cum diuinis corporibus plenum sit, quæ Sidera nos appellare solemus, motuque sempiterno agatur vno circumactu, orbisque ductu eodem, perenni vtique in æuum tenore rapta secum illa circumagit corpora ad numerum in moremque præsultoris. Vniuersi autem mundi cælique globosa, vt dictum est, forma compacti, iugique vertigine exagitati, duo esse puncta necesse est inter se è regione obuersa: itidem atque si globus in torno circumagatur, stabilia quidem illa globumque continentia: circa quæ mundus vniuersus videtur, hoc vertices appellant aut Cardines per quos si lineã rectam ab vno ad alterum porrectam intellexeris, quam nonnulli Axem vocitant, erit hæc vtique mundo linea

*Terra.*

*Cælum.*

*Sidera.*

*Vertices & Cardines.*

*Axis.*

linea demetiens, ita vt terram in medio, ambos autem cardines habeat pro terminis. Qui cum infixi sint & immoti, alter eorum semper sublimis apparet super verticem, ad tractum cœli aquilonarem: ab Vrsa appellatur Arcticus. At infra terram alter semper conditus circa tractum australem. Antarcticus dictus est, vt cõtrarius arctico.

*Arcticus.*

*Antarcticus.*

Cæli porro siderumque substantiam appellamus Aetherẽ: non quidẽ ideo, quòd ignita flagret ipsa, vt aliqui censuerunt, plurimum vtique aberrantes circa potentiam illam maxime ab ignea natura abhorrentẽ) origine vero huius vocabuli inducta, quod semper æther currat motu circũdutili, cũ fit illud elemẽtum à quatuor illis diuersum tum diuinum, tum interitus expers. Eorũ vero, siderum, quæ intus cohibentur, ea quæ errationis nescia sunt cum cœlo circunferũtur, easdẽ vtiq; sedes posituſq; eosdẽ tenentia. Quorũ medius circulus (cui signifero nomen est) duos per orbes transuersus cælum cingit, qui à conuersionibus ipsi solis, Tropici quasi conuersionales appellati sunt, in duodecim ille quidẽ regiones totidem signorum diuisus. At vero quæ erratica dicuntur. nec eadem ipsa celeritate cum prioribus moueri suapte natura cõparata sunt, nec inter se inuicẽ: sed in aliis atque aliis orbibus, ita vt orbiũ ipsorum partim propius terram accedant, partim sublime ferantur. Et stationariorũ quidẽ numerus infrà prorsus nequit ab hominib⁹: tametsi omnia eadẽ in superficie moueantur, quæ vnica est totius cœli. At vero errabundorũ numerus septenario collectus, in totidẽ orbibus situs est: deinceps substitutis ita vt subinde inferior superiore minor sit, septemque orbes sese complectentes inuicem atque coërcentes, à globo denique sideriũ iner-

*αἰθὴρ ὁ ἀεὶ θέον.*

*Stellæ fixa.*

*Signifer.*

*Tropici.*

*Planetæ.*



inerrantium comprehendantur. Huic porrò globo contiguã habet semper posituram. Phœnõtis simul, & Saturni circus dictus. Cui proximus est Phaethontis, qui & Iouis appellatur post hũc sequitur Pyrois. Herculis idem, Martisque appellatur. Ab hoc rursus est Stilbõ, qui Sacer Mercurio esse creditur, à nonnullis etiam Apollini, secundum quem Lucifer orbis est: quem Veneris nonnulli orbem quidem Iunonis vocant. Ab eo est orbis Solis. Et denique Lunæ nobis citimus, ad terram vsque fines suos proferens. Aether vero cùm diuina contineat corpora, ratas etiam vices motuũ complectitur. At vero ætheriæ diuinæq; naturæ (quam certa lege constare demonstrauimus, constitutisque vicibus, mutabilitatis etiam immanem atque in aliam aliamque speciem cõuersionis) confinis est natura patibilis prorsus & vertibilis atque (vt in vniuersum dicam) solubilis, & obnoxia. Cuius etiam ipsius principia obtinet substantia tenuitate particularum prædita flammisq; ignita quas æthera natura magnitudine sua excitat, & motus celeritate. Iam vero in natura ipsa ignita eademq; incondita appellata atq; incomposita, tũ fulgores emicant, & iacula iaciũtur flagrantia: tum trapeculæ foueæ, & crinitæ fixæ visuntur, & sæpe restringuuntur.

*Planetarũ nomina, & positura.*

*Aether.*

Hãc naturã excipit Aër illi substractus: suopte ille quidem ingenio, caligine, & gelu permixtus cæterum illustratus agitatione atque succensus: vnde calorem concipit & claritatem. In hoc autem ipso vim patibilem sortito, omnifariamque naturam commeare natura comparato. nubes cõcrescunt, imbres cum strepitu decidunt eiues, pruinæ, & grandines: flatus etiam ventorũ tempestatũmque cientu: simul tonitrua & fulgetra exist-

*Aer.*

exiſtunt fulmina inde caſtant, ſexcentæ denique ibidem comflictatione aëriæ opacitatis fiunt.

*Terra.*

Ab aeria porro natura: Terra protinus, & Mare ſiccum habent fixum, & affirmatum ſtirpibus illa quidem animantibuſque ſcatens: fontibus etiam & fluminibus partim per ipſam lapſus ſuos implicantibus, partim aquas ſuas in mare euictantibus. Inſuper ipſa diſtincta, ſimul innumeratum herbarum indidem enaſcentium varietate, fructificantiumq; ſimul montium verticibus, nemorum opacitatibus, vrbiumq; frequentia, quas animantes ſapientiæ participes, homines ſcilicet, condiderunt, inſuperque inſulis maritimis atque continentibus. Orbem vero terrarum hominum fere ſermo in inſulas diuiſit & continentes, ſcilicet ignorantium vniuerſam ipſam terram inſulam eſſe vnicam. Atlantici maris ambitu circam. undat Multas autem, & alias longe quidem alias ſummotas. ſed tamen, veluti dirimente freto, huic ipſi eſſe obuerſas, non abſimile veri eſt, partim hac maiores, partim etiam minores, ſed quarum nulla præter eam ſub proſpectum noſtrum ſita ſit. Nam quod inſulis noſtris accidit, vndique vt noſtra maria eas alluunt, idem orbi quoq; huic contingit. rationem inſulæ vt obtineat Atlãtico mari cinctæ. Cõplures item alii terrarũ orbes eadem poſitura conſtantes, inſulæ naturam habent in vniuerſo mari ſitæ: quod latiſsime patet: eorumque nonnulli prægrandes prægrandibus quoque ipſis maribus circunfuſis. Enimuero humoris vniuerſi naturam finitimam merito eſſe cenſeas naturæ animabili, & aeriæ, ita vt ipſa innatabunda exiſtere terrã faciat per quaſdam ſaxoſas eminentias, quas habitabiles vocamus: poſtquam protinus in imis mundi partibus & ſubmerſis, atque in medio maxime mundi vniuerſa iam terra ſtabiliter defixa compreſſaque ita conſtituta immota permaneat, atque illabefacta & abilis. Atque hæc eſt mundi vniuerſitas, quã inferni appellamus. Quinque igitur hæc elementa in regionibus totidem globoſæ incumbãtia, mundum ipſum ita totum coagmentarunt, minor vt deinceps atque minor regio à maiore cohibeatur, terra (verbi gratia) vt ab aquæ globo aqua ab aeris, hic ab ignis ab ætheris denique globo ignis coerceatur: cum interim ſupremam regionem Deorũ fecerint domicilium: infimam animalium in diem victitantium. Huius porro id quod liquore conſtat flumina & ſcaturigines, & maria vocare conſueuimus: quod aridum eſt, terram & continentes inſulaſq; appellamus. Iam inſularũ nonnullæ grandes ſunt, veluti hæc cuncta habitabilis à nobis iam dicta eſt, aliæq; quas ingentia maria vndis ambiunt circunfluis: aliæ minores nobis notæ & inteſtinæ. Quarum rurſus quædam memorabiles, vt Sicilia, Sardinia, Cyprus, Creta, Eubœa, Cyprus, & Leſbos: quædam longe exiliores, tum Cyclades, tum Sporades, tam aliæ aliis nominibus nuncupatæ. Porro autem pelagus, quod extra orbem nobis habitatũ fuſum eſt, & Atlanticum dicitur, & Oceanus: à quo ipſi circumluimur. Qui in faucibus ipſe anguſtis, quæ vergunt ad occiden em veluti via patefacta, qua parte Herculis columnæ vocitatæ ſunt, eliſo fluxu irrumpens, mare interius efficit, fermẽ vt dicere eum poſsis in portum ſe recipere. ſenſim deinde amplior infunditur: ſinus interea ingentes complectens inter ſe contingentes, anguſtis etiam cerui cibus in fauces ſeſe comprimens, viciſsimque latius expatiatus. Ac primũ quid

*Orbis terrarum diuiſio.*

*Plures terrarũ orbes*



*Vniuerſitas infera. Quinque elementa.*

*Inſularum partitio.*

*Atlanticũ pelagus. Oceanus.*

*Herculis columnæ.*

*Mare interius.*

quidem insinuari dicitur dextrorsus ab Herculis columnis intro nauigantibus, circa vtranq; Syrtim, alteram earum magnam, paruam alteram vocant. At vero in alteram partem non iam itidem sinuosus inundans, efficit tria maria. Sardoum, Gallicum, & Hadrium. A quibus continuo Siculum sequitur porrectum in obliquum: quòd & ipsum sequitur à Cretico. Cretico coniuncta sunt parte altera Rehyptium Pamphilum, Syrium: altera Hegeum & Myrtoum. At Pontus, vt antedictis obiectus, atque ex aduerso protensus. multis partibus constat, pars eius in intima penetrans, Mæotis appellatur. quæ autem ad Helespontum vergit, in fauces contracta est, quam Propontidem vocant. Rursus ab ortu Solis in orbem terræ exundans Oceanus infert sese velut in medium procedens. Iudico sinu: Persicoque perfosso finitimum mare rubrum intercipiens. Ad alterum autem cornu simul atque oblongo ceruice angustaque penetrauit, rursus amplificatus Hyrcaniæ fines, Caspiæque amplectitur. Mare vero, quod super Hircaniam est. vastum illum obtinet locum, qui est super Mæotin paludem. Tum autem, qui parte Scythas, Celtasque complectitur, sensim astringit orbem terrarū ad vsque sinum Gallicum supradictasque columnas extra quas Oceanus terram fluctibus suis oberrat. Quo ipso in mari insulæ duæ sitæ sunt, quàm maximæ, quam Britannicas appellant, Albium, & Ierna iis etiam maiores, quas commemorauimus supra Celtas iacentes. Queis tamen ipsis magnitudine nec Caprobane cedit, nec ea cui Phebos nomen est: Illa super Idos posita, situ ad terrarum orbem inflexo, hæc ad Arabicum sinum. Sunt etiam non paucæ, sed exiguæ circa Britannicas

*Syrtes.*

*Pontus.*

*Mæotis.*

*Propanti.*

*Insulæ maiores.*



nicas, & Iberiam, quæ qua corona cingunt hunc orbem hominum domicilium, quem superius insulam esse disseruimus. Huius orbis latitudo qua continens est amplissima, paulominus quadraginta millia stadiorum patet, vt quidam perhibuerūt authores rectæ & exquisitæ geographiæ: longitudo ad septuaginta milia. Diuiditur porrò in Europam, Asiam, & Africam. Europa his finibus circunscribitur. Herculis cippis, Ponti recessu, Hyrcano mari: secundum quam angustæ Isthmi similes ad Pontum vsque pertinent. Nonnulli tamen ab illo Isthmo Tanaim fluuium Europæ terminum esse dixerunt. Asia est quicquid terræ situm est ab Isthmo iam dicto, à ponto, Hyrcanóque mari ad Isthmum vsq; alterum, qui Arabicum sinum interiacet & mare interius, illud quidem cohibitū ab eo mari, & ab Oceano, qui eum complectitur ambitu. Sunt qui fines Asiæ statuant spatium, quod à Tanai protenditur ad Nili vsque ostia. Africa ab Arabico Isthmo ad columnas Herculis porrecta est: vel vt alii censuerunt, ab Nilo. Nam Aegypti quicquid Nili ostiis septum est, alii Africæ, alii attribuunt Asiæ: insulasq; tribus terræ partibus adiacentes, scriptorum partim vt exemptibiles ab orbe terrarum censuere, partim vt contributas iis partibus, quibus earum quæque vicinitate coniuncta est. Proinde terræ, marisque naturam, ac situm huiusce modi prodenda censuimus, quem habitum orbem appellare consueuimus.

*Orbis latitudo, & longitudo.*

*Tres partes orbis.*

*De his quæ in Aere generantur.*

*Cap. III.*

QVas res autem tum in eo orbe, tum circa eū existere contingit, quibus ille rebus quodāmodo afficiatur: earū ipsarum verū vt quæq;

maxime cõmemorandæ videbũtur, dicere porro aggrediamur, summã quandã colligẽtes eorum, quæ sunt necessãria. Duas igitur exhalationes ab eo sursum ferri nouimus in aëre nobis impendentẽ, tenues illas quidẽ omnino, nec nobis conspicuas, nisi si quid est huiusce modi ad tractus oriẽtales, & præter ea quæ ex amnibus, & locis irriguis sublima ferri videntur. Earũ autẽ exhalationũ altera sicca est, in summũmq; cõformata, & terra manãs: altera humida, roscidæ expirationis plena, ab humida natura exhalata. Ex hac nebulæ, rores, & gelu omne genus, nubes, pluuiæ, niues, & grãdines oriuntur. A sicca autẽ illa vẽti & flatuũ differẽtiæ exoriuntur, tonitrusq;, & fulgura turbines, & fulmina, aliáq; his cognata. Nebula est expiratio quædã roscida, aquæ nequaquã genitrix, vt aëre crasior ipsa, sic nube rarior. Gignitur, vel ex nubis primordiis rarescentibus, vel ex reliquis nubis. Huius aduersaria, vt est, ita esse dicitur Serenitas: nihil aliud ipsa existẽs, q̃ aër nubibus nebuláq; vacuus. Ros est humidum quid è serenitate concretum, minutímq; delabens. Glacies est aqua conferta à serenitate compactilis. Pruina ros est concretus. δροσοπαχνὴ composita nomine dicta, est ros semiconcretus, quasi ros priuinosus. Nubes & crassamentum exhalationũ conuolutum, vim habens aquæ gignendæ. Imber fit expressione nubis magnopere addensatæ, tot habens differentias, quot uplex est nubis compressio, q̃ppe quæ remissa si fuerit, molles stirias dispergat: sin vehemens, pleniores. Hocque appellamus pluuiam, imbris contorta stillicidia, cùm maiuscula ipsa, tum vero iugi tenore cõstantia. At vero nix gignitur densitate nubium friatili, quæ simul ac in aquam verti cœptæ sunt, in

*Exhalationum duo genera.*

*Nebula.*

*Serenitas.*

*Ros.*

*Glacies.*

*Pruina.*

*δροσοπαχνή.*

*Nubes.*

*Imber.*

*Pluuia.*

*Nix.*



in minuta cõtunduntur: cùm eo, vt illa contusio speciem spumæ, exactúmq; candorem, humoris autem, qui inest, concretio, quíque nondum fusus est aut rarefactus, rigorem efficiat. Hæc impetu & confertim decidens, *νίφετος* appellatur. Quo genere volutim contorto, libramentúmque ex compressu capiente ac celeriorem lapsum, sit quæ Grando vocatur: cùm interea pro fragmentorum magnitudine quæ abrumpuntur, tum corpuscula minora grandinis, tum delapsus violentiores fiãt. Atq; hæc quæ hactenus dicta sunt, naturæ vi ab humida exspiratione euenire comparatum est.

*νίφετος.*

*Grando.*

A sicca verò tum Ventus oriri solet, cùm à frigore ita, vt fluat, illa truditur: nihil vt aliud ventus sit, nisi aër multus fluctuans & coactus, qui etiam spiritus appellatur: cùm alioqui spiritus appelletur substantia animata & genitalis, in stirpibus, atque in animantibus existens, per omniáq; pertinens: de qua nunc disserere nihil necesse fuit. Flatus vero, qui in aëre spirant, ventos auras, expirationes dicimus, quæ ex humore prodeunt. Venti, qui è terra vliginosa & humefacta prodeunt, *ἀνάγλοι*, quasi terra oriundi: qui è finibus profiliunt, *ἐγκολπίαι*, quasi sinuales vocantur: inter quos ipsos, eósque qui è fluminibus efrumpunt, ex aquisque stagnantibus, intercedit nonnihil proportionis. *ἐκνεφίαι* appellantur qui in fractura nubis, resoluendáque eius crasitudine colliduntur inter se, quasi quidam nubigenæ. *ἐξυδρίαι*, quasi aquatores dicuntur, qui cum pluuiis aquis grassantur, impetu & confertim effusis. Et ij quidem qui ab oriente iugi tenore perflant, *Εὖροι* & vulturni: qui ab vrsa, *βορέαι* & Aquilones vocantur: *ζέφυροι*, & Fauonij, qui ab

*Ventus.*

*Spiritus.*

*Flatus.*

*Aura.*

*Expirationes.*

*Ventorum genera.*

*Ventorum nomina.*

occasu,qui à meridie,νότοι dicũtur & Austri. Vulturnorũ porro is καικίας dictus est,qui nascitur ad ortũ solstitialẽ.Subsolanus ad æquinoctialem: ad brumalẽ Vulturnus.At eorum qui ex obuersa parte prodeũt,quos Fauonios vocamus,ἀφηλιώτης, & Corus ab occasu solstitiali,qui etiã ὀλυμπίας ab aliquibus dictus est,& ab aliis ἰάπυξ.Fauonius ab æquinoctiali, Africus ab hyberno oritur. At vero Aquilonũ is,qui καικίας cõiunctus est,peculiariter appellatur Aquilo: qui autẽ hũc à vertice statim excipit per meridianũ spirans, Septentrio dicitur,θρασκίας deinceps à Coro spirat,quẽ nõnulli Cæciã appellauerũt. Rursus ex Austris, is q. à vertice nobis cõdito sese infert ex aduerso Septẽtrionis,Auster nominis prærogatiua dicitur Qui inter hũc & Vulturnũ est,εὐρόνοτος est vocitatus,quasi dicas Vulturnauster.At qui spirat altrinsecus inter Africũ & Austrũ, hũc alii λιβόνοτον quasi Africaustrũ,alii λιβοφοίνικας vocãt. Vẽtorũ porrò quidã flatus rectos,quidã reflexos habẽt.Rectos habẽt ij. qui lineis rectis semper grassari solẽt:reflexos & refractos,vt is quẽ καικίαν nũcupãt.Rursus quidã hyeme pollẽt, vt Austri:quidã æstate,vt ἐτησίαι qui dicũtur, id est anniuersarij,cinnũ quendã cõficiẽtes Septentrionũ atque Subsolanorũ.ὀρτιάδες.quasi auiarii.vẽti quidã dicti sunt, ex aquilonio genere, verno tẽpore innatescẽtes. Cæterũ è genere violẽtiorum flatuum, καταιγὶς nomẽ est flatus ingruẽtis superne,repentẽq; euerberãtis.θύελλα flatus est prævalens, qui repẽte ꝓsilit.λαῖλαξ,στρόβιλος nũcupatur,qui inferne,sursũ versus repẽte cõuoluitur.ἀνάκυκλος



quasi efflatus terræ,dicitur ventus sublimem sese rapiẽs,cùm aut è specu altius depressõ flatus emicuerit,aut è terra in hiatũ discedente: qui Turbo terrestris est, tũ cũ multus ac cõtortus ferri cœptus est. *Turbo.* Flatus vero in nube implicitus & crassa & humida,cõtinuatũ nubis spissamentũ violenta eruptione perfringẽs, mugitũ edere cũ ingẽti fragore solet, qui Tonitru dicitur, modo haud absimili spiritus vehemẽter in aqua impulsi.Fulgetra est spiritus ignitus & coruscãs,dũ nubes dirũpitur. quæ tonitru antecedere solet , cùm tamen post ipsum fiat.Siquidem quod oculis percipitur, ei quod auribus obiectum est,anteuertere natura cõparatũ est: quippe illo è longinquo aspectabili, hoc tũ demũ exaudibili cũ auribus appulsum sit,præsertim quando alterũ omniũ naturarũ celeritate maxima præditũ est, ignita scilicet natura: alterũ minus volucre, qđ est naturæ spirabilis & aëreæ, non antequã aures pepulerit, ad audiendũ peruenit. *Tonitru. Fulgetra.* At vero quod fulserit,si ad terra vlq; cursim illisum sit,Fulmẽ vocatur. Sin semiustum quidẽ,sed vniuersum tamẽ,violentúmq; incubuerit,πρηστὴρ,hoc est accensus turbo,dicitur. Quòd si prorsus ignis nihil interim cõceperit, τυφὼν vocatur,qui est vertex procellosus,& euerberãs. Horũ quicquid in terrã impetu decubuerit,σκηπτὸς, id est Fulmẽ nominatur. Qui φολόεις dicitur,cùm fuliginẽ cõtraxit:ἀστραπὴ,si raptim emicuerit:λιχὰς si lineari specie cõformatus est.σκῆπτοι dicũtur, quæcunq; fulmina in quibus illisa siut. Ad summã,eorũ quæ in aëre apparent , alia specietenus existũt:alia etiã habẽt naturæ subsistẽtiã.Speciẽ tantum exhibẽt arcus cœlestes, & virgulæ aliaq; huiusce modi.Substantia etiam apparent fulgo-

res cœlestes, & quos emicantes vocamus, & Crinitæ stellæ, & iis similia. Arcus est species segmenti solaris, vel lunaris, ædita in nube humida, & caua, & perpetua, quam velut in speculo intuemur, imagine relata in speciem circularis ambitus. Virga est arcus cœlestis exhibitio in directum conformata. Area est ædita imago sidereæ claritatis vndique illustrata: hactenus arcu differens, quòd ille è regione Solis ac Lunæ visendum se exhibet: cùm area sidus totum ambitu cingere orbiculari soleat. Fulgor est ignis collecto, qui in aëre exarsit, per cœlum ille quidem aut iacularis specie transmeans, aut vno loco fixus. At eiaculatio, ignis est enatus attritu, in aëre pernici motu inuehens, ob eámque pernicitatem ob longam formam simulans. Fulgor fixus est extensio longe porrecta, & loco permanens, & tanquam profluuium sideris. Quòd si in alteram partem dilatetur, Crinita stella vocatur. Sæpenumero autem euenit, vt fulgores tempore multo maneant, sæpe vt confestim extinguantur. Complures item & aliæ rerum formæ cernuntur in cœlo apparentium, vt quæ Faces, quæ Trabeculæ, quæ Dolia quæ Scrobes nuncupantur: omnia ab earum rerum similitudine appellata, vnde nomina mutuata sunt. Eaque partim in occidua mundi parte, partim in oriente cernuntur: partem etiam ambiguo in vtranq; partem æditu: raro vel septentrionali, vel austrino. Cæterum omnia incerta, quippe nihil huiusce modi hactenus proditum est memoriæ, ita fuisse constabilitum raro situ & constituto, vt semper conspiuum fuerit. Atque huiusce modi sunt, quæ in natura animabili, aëriáque fiunt.

*Arcus.* *Virga.* *Area.* *Fulgor.* *Eiaculatio* *Crinita stella.*





*De his, quæ in Terra fiunt. CAP. IIII.*

IAm vero terra continet etiam ipsa in se, vt aquæ, ita spiritus igniſque scaturigines: quarum quædam sub terra latent, oculis humanis subductæ: multæ spiracula habent emissariaque vaporis oculis humanis subductæ: vt Lypara, vt Aetna, vt Aeoliæ insulæ, quæ quidem sæpe, & ipsæ fluminum more fluunt, ignita sque ferri glebas euomunt. Nonnullæ vero huiusmodi scatebræ secundum fontes sitæ, aquas inde manantes inde calefaciunt, aliquæ inde vt tepentes, efferue factæ aliæ, quædam modicè temperatæ vt emittantur. Multis etiam in locis orbis ex itus spirituum pari ratione patefacti sunt: quorum partim fanatico furore afficiunt homines propius antecedentes: partim tabifica vi absumunt: partim fatidicos efficiunt, vt Delphici, & Lebadici, sunt & qui prorsus enecent. vt in Phrygia. Frequenter fit etiam, vt congenitus spiritus in terra condit⁹s, cum aberrans insinuarit, in abstrusos quosdam eius, atque cæcos meatus, quasi sedibus suis erumpens, multis in locis vibrantem motum cieat. Est etiam nec raro, cum flatus adnena, introrsus in terræ caua irrumpens, deinde exitu omni excluſus, intus sese versando ingenti vi terram quatiat, ne quicquam exitum inde quæritans. ex quo fit naturæ facinus, quod vocamus Terræmotum. Terræmotuum autem ij qui ad angulos, acutos in obliquum quatiunt. ὀκλίζειν appellantur. quasi in transuersum sese agentes. Sursum vero deorsumque ad angulos rectos iactantes, ῥέζειν vocantur, à similitudine aquæ efferuescentis. Atqui labes terræ relinquit in caua subsidentis. ab hiatu χασμαίνω nomina-

*Spiritus, & ignis scaturigines.* *Aquæ calidæ.* *Spiraculæ terræ.* *Terræmotus.*

ti sunt. Quem hiatum ii qui vi eruptione facta pa re faciunt, ῥηκτῆ id est effractores, dicti sunt. Iam horum aliqui flatum secum erupturũ rapiũt, alii saxa alii eœnum. Sũt qui fontium scatebras ædi dere, quæ antea non erant, ὀφτας, id est trusores, vocant, qui vno obnixu subuertunt, quod impule runt. Sunt etiam qui quassabundi, atque vtroq; declinantes, vibrantesque quod mouerint, semper erigũt: ob id παλματίας, hoc est vibratores, dicti, efficiuntque terræ motũ tremori non dissimilem Appellantur etiam μυκατίαι terræ motus, qui eũ mugitu quatiunt, indito ob id nomine: quãquam sæpe terræ mugitus absque terræ motu cõtigerit id quod assolet, cum spiritus impar quatiẽdæ ter ræ fuerit, intusque cohibitus ac conuolutus arie tarit impetu vehemẽti. Adde quod flatus, qui ter ram subierint corroboratiores fiunt à liquoribus terrenis, qui intus conditi sunt.

*De his, quæ in Mari eueniunt. Cap. V.*

PRoportione his respondent ea quæ in mari eueniunt, nam & hiatus fiunt maris, & recessue, vndarumque excursiones interdum recipro cantes, interdum eluuie retro non recurrente. id quod proditum est circa Buram, Helicemq; con tigisse. Sæpenumero etiã in mari euaporationes ignis existunt, fontes excaturiunt, ostia fluuiorũ aperiuntur, arbores enascũtur fluxiones & vortices existunt, instar eorũ habentes, quæ à flatibus designari dictum est. non in medio mari mode, sed etiam in euripis, & in fretis. Aiunt etiam mul tos æstus, vndarumque sublationes statis quibusdam temporibus cum Luna circumagi. Atque vt in vniuersum dicam, cùm elemẽta in aëre, in ter ra, & in mari, cõmoda inter se tẽperatura mixta sint



sint: nimirum affectionum quoque similitudi nes iisdem constant in ipsis: in singulis illæ qui dem naturis ortus alternantes, & interitus, vni uersitatem vero asseruantes generationis immu nem atque corruptionis.

*Dubitationis solutio, quo pacto mundus ex contrariis constitutus, iam diu non dissolutus fuerit. CAP. VI.*

TAmetsi extiterũt, qui sese admirari addubi tabũdi dicerent. quin fieri tandem posset, si è principiis contrariis mundus constitit (siccis di co & humidis, frigidis & calidis) vt iam diu non dissolutus fuerit. atque interiit. Perinde quasi mirari quisquam debeat, quonam pacto ciuitas incolumis perduret, quæ è gentibus contrariis cõ posita sit, egenis inquam & diuitibus, iuuenibus & senio confectis, infirmis & valentibus, prauis atque innocentibus. Ignorãtia est ista vtique ho minũ, hoc est in cõcordia ciuili non videntium longe admirabilissimũ, quod ex multis ipsa vnũ efficit affectum & è dissimilibus similem, omnis illa quidem naturæ susceptrix & fortunæ. Atque haud scio an etiam contrariorum appetẽs sit na tura: ex eisq; consona, non item è similibus confi ciat. Sic certe ipsa marem cum fœmina coniun xit, non etiam cum suo horũ vtrunq; sexu. Quin primam etiam concordiam per contraria, non per similia deuinxit. Adde quod ars naturæ æmu latrix hoc idem facit, siquidem Pictura alborum nigrorumq; colorum: luteorumq; & rubrorũ na turas inter se attemperans, effigies rerum efficit consonas exemplaribus. Musicæ acuis & grauibus sonis, longisq; & breuibus vna permixtis in diuersis vocibus, vnum ex illis concentum absolutum reddidit. Grammatica ex elementis voca-

*Natura appetens contrariorum*

libus & mutis inuētatemperata, artem omnem literaturæ ex illis cōpositam reliquit. Hocq; nimirum illud est, quod apud Heraclitum legitur, Scotinum ab obscuritate cognominatum. Crispa, inquit, & minime crispa vna vinxeris, cōsentiens & dissentiens, cōsonans & dissonās vnum etiā ex omnibus, omniaq; ex vno. Itaq; vniuersorū cōgmentationē (cœli in quā & terræ, & vniuersi mundi) cinno quodā principiorum summe cōtrariorum cōmode attēperato, natura ipsa digessit, vna eadēq; concinna cohærentia: quippe siccum humido: calidum frigido, graui leue mixtum, & rectum orbiculari. Terrā etiā omnem, omne mare, ætherē, Solē, Lunam, & postremo totum cœlum vis vna per oia pertinēs, certo ordine descripsit, concinneq; digessit, è diuersis ipsa naturis, atque impermixtis. aere, terra igne, & aqua mundū architectata. Cumq; eum etiam globosa superficie comprehendisset naturas quam maxime contrarias, ueluti edicta concordia & imperata, adstrixit ad consensum, mutumq; cōmercium: cuiusmodi rerum mollitiōe vniuersitati ipsi solutē machinata est. Huius autem rei causa est concordia elementorum, Concordiæ porro causa est æquabilitas, & quod alterum altero non plus pqllet, ad æquilibrium enim ad æquāt grauia cum leuibus, calida cum iis quæ ipsis oppositā sunt: natura vti que nos docente in maioribus æqualitatem tutricem esse concordiam & seruatricem, concordiam autem mundi esse salutem, rerum omnium parentis, ac longe omnibus præstantis pulchritudine. Nam quæ tandem natura præstabilior ipso Quam enim dixeris cunq; eius vtiq; ipsius mūdi pars erit. Nā quicquid pulchritudine præditum est, id quasi gentile habet cum eo societatē adeo quod

*Elementorum cōcordia.*

*Aequabilitas cōcordiæ seruatrix.*



quòd recte, atq; ordine cōstitutū esse id à mundi nomine cōcinne digestū Græco sermone, consentaneāq; partium compositione speciosum esse significatur. Ec quidnam est autem singulariū partium, quod cum eo æquiparari possit ordine, quo cœlestis motus tēperatus est & constitutus? Sole vtique & Luna, reliquis itē sideribus intra spatia se mouētibus exquisitissime emodulata à seculo in seculum alterum. Age ecque tādem vices tam ratæ esse possunt, quàm est exacte cōparatus à natura tempestatū anni tenor in orbē redeuntium: omnium ille quidē rerum fœcunditate præditus: æstates deinceps hyemesq; referens temporibus destinatis: simul dies & noctes inoffensis vicibus alternātes, è quibus mēsis annusq; conficitur. Ac magnitudine quidem ambitum longe summum complexus motu pernicissimo circumagitur, claritate sinceriſsima præditus: vi etiam potētique fretus exorte, vt senii, sic interitus. Hic omnium animantium naturas, tum aquatilium, tum pedestrium, tum etiam in elemēto spirabili victitantium segregat, iisque spatia vitæ suis admetitur motibus. Ex hoc animam ducunt omnia: ab hoc animam habent animātia: ex hoc deniq; miracula rerum nouarum existunt, quæ statis tēporibus efficiuntur. Vis ventorū omniuaga in seipsa conflictatur: fulmina è cœlo cadūt: pluuiæ procellosæ atq; stupendæ subitos fragores edunt. Vnde fit vt & vi humoris expressa, & vi ignea dissata constituatur vniuersi concordia. Iam vero terra omni genere vestita stirpium fruticantium, riguisq; exuberans large erumpētibus trita vestigiis animantium quæ in ea pasim circunferuntur omnia tempestiue proferens ex sese & vegetās, hospitalique sinu excipiens: cum innumeras ipsa rerum

*Mundi ornatus.*

for

formas perferat nō eisq; multipliciter afficiatur nihilo secius tamen naturā asseruat indomitam senectute, quamlibet ipsa motibus cōtremefacta, vndis superfluentibus prolata, incendiis deniqi inflāmata, modo hac, modo illa parte sui. Quin etiam illa ipsa omnia cēseri merito possint incolumitatis eius causa cōmodo euenire, salutemque illi sempiternam præstare. Siquidē ea motu quas sata continuo prosiliunt venti qui introrsus insinuarāt, vtique spiraculis terrarum discessibus patefactis, ut superius dictum est. Imbribus etiam tum ex purgatur, cùm omnia pestifera in ea abluuntur: ad syncerioremque constitutionem super subterq; tum reducitur, cùm auris perspiratur. Et conflagrationes quidem quod concretius est terræ, concoquunt: cōgelationes item quod inflammatum est, id attemperant ipsæ atque remittunt. Ac singularum quidem rerum aliæ oriūtur, aliæ vegetantur, & aliæ occidunt: cùm interim ortus compescant grassanteis interitus, rursusque interitus rerum leuent ortus exuberanteis. Vnica vero ex omnibus constata incolumitas permanet ipsa in æuum. cùm inter se rebus ex aduerso obsistentibus & cedentibus vicissim atque præualentibus vniuersitas conseruetur in sempiternum noxam nullam contrahens.

*De Deo. Cap. VII.*

REstat vt summatim de causa disseramus, quæ cunctarū ipsa rerum vim habet tutricē & continentem quemadmodum cætera pestrinximus. Flagitij enim instar esset, cum de mundo dicere instituerim, tractatu si minus exquisito fortasse, at certe qui sat esset posit ad formulam doctrinæ crassiorem, intactam præcipuam mundi partē principemq; præterire. Vetus igitur sermo est



est, à maioribúsque proditus inter omnes homines, vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata, nullámque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Quocirca veterum nonnulli eò vsque prouecti sunt, vt hæc omnia dictitarent, Deorum esse plena, hauriríque eorum spectra ab hominibus, oculis, & auribus, reliquisq; sensibus: sententiæ illi quidem fundamenta iacientes diuinæ fortasse potentiæ, non item naturæ diuinæ congruentis. Etenim cunctorum, quæ rerum natura cōplectitur, cum seruator est Deus, tum vero quæcunque in hoc mundo quoque modo perficiuntur, eorum omnium genitor est: non sic tamē ipse vt opificis in morem, animalisque lassitudinem sentientis, labore affici possit: vt qui ea facultate vtatur, quæ nulli cedat difficultati. cuius ipse vi facultatis omnia in potestate cōtinet: nec minus etiam quæ lōgius ab ipso videntur esse submota. Summam igitur & primam sedem mundi sortitus, ea de causa ὕπατος, quasi supremus appellatus est, & (vt inquit Poëta) in summo culmine vniuersi cœli suum habet ipse domicilium situm & collocatum. Maxime vero vim eius sentit, numineque eius ante omnia fruitur id corpus, quod proxime eum situm est: tū quod secundū ab hoc situm habet, & vnumquodq; deinceps, prout situum ordo ad nostrum vsque locum natura constitutus est. Quod sit, vt & terra, & terrena omnia quàm lōgissime ab diuinitatis adminiculatione abscedunt, tam infirmitate summa sint ipsa, concinnitatisq; sibi consentaneæ maxime expertia: atq; ideo multo tumultu exagitata. Atqui cùm ita sit numē diuinū natura sua cōparatū, quoquo

*Elemento vū cōcordia.*

*Terrena.*

vt

vt versus permeet nimirū ea in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est ac cessus ad Deum, vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proinde id præstabilius esse cēsemus. Deoque tum decentius, tum magis cōsentaneum, ita de eo opinari, vt dicamus, potestatem illam in cœlo sedes suas habentem, incolumitatis causam rebus vniuersis præstare, iis quoque quæ longius ab ea remota sunt: nec illis assentire, qui eam ipsam potestatē per omnia pertendentē, & ventitātē ad ea quoq;, quæ nec adire ipsam honestum est, nec dictu speciosum, sua illic opera efficere contendunt, resque terrenas administrare. Atqui ne ex hominum quidē principum dignitate esse dixeris, cuilibet operi incumbere: vt (verbi gratia) exercitus ducis aut vrbis præfecti, atque etiam domus primarij dispensatoris, si fasciculum sarcinarium cōponere, aut viliorem aliquam operam obire vsu venerit vt necesse sit: cuiusmodi munere, magni regis tēpore ne quod uis quidē mancipium eius facile obiisset. Quippe, vt proditur, visenda quædā species Cambysis, Xersis, & Darii regnantium in exquisitum maiestatis fastigium exornata erat, compositaque magnifice. omnibusque numeris venerationis augusta. Et quidem (vt fama est) Susis ipse ac Ecbatanis sedibus collocatis procul hominum conspectu regiam sanè admirandam obtinebat, ambitu septam auro, electro eboreque fulgenti. Cui vestibula multa erant, atriáque continētia: multæ vero ianuæ multorum stadiorum interstitiis ita dimensæ inter se, atque diremptæ, vt aditus æneis fortibus murisque magnis obstructi, atque muniti essent. Tum autē viri principes & lectissimi in stationes digesti erāt, atq; decuriati recte

*Regis magni fastigium.*

atque



atque ordine: pars munere stipātium regē ipsum fungentes, eique famulantiū: pars custodes circa septa regiæ appositi (ianitores emissarioſq; appellabant) cum interim rex ipse, qui idem dominus Deúsq; vocitabatur, omnia & videret, & audiret. Ab his item erant alii. Vectigaliū quæstores obuentionúmq; constituti: alii duces tū bellici, tum venatores: alii coactores munerarii: alii denique munerū reliquorū curatores, prout vsus ratioque administrandarū rerū ferebat. Tum autē vniuersum Asiæ imperiū, Hellespōto quidē ob occidentis partibus terminatū. India autē ab orientis regūt protestate prætores, præfecti, & reguli, ferui regis ipsius, qui magnus appellatur. Cursores etiam exploratoresque statores, & custodes stationarii, & deniq; speculiarii excubitores. Quorū erat ipsorū is apparatus, ea descriptæ collocationis ratio, tā raro ordine vices munerum constitutæ: & præsertim eorum qui ignes ædere prænuncios, & tollere è speculis soliti sunt, deinceps in aliam illi quidem ex alia dantes accipientesque signum in orbem, adusque finibus imperii adusq; Susa & Echatana quicquid rerum nouarum quisquā in Asia moliretur aut inceptaret, rex vt ipse vno die resciscceret. Atqui statuere nos oportet magni ipsius regis fastigium, præut quidem est Dei eminentia, qui pro potestate mundum tanquam prouinciā obtinet, tam esse infinitū, quàm esse summum hoc ipsum regis fastigium, si cum animante quodam vilissimo, atque infirmissimo componeretur. Quapropter si è dignitate regis haudquaquam esset, Xersen functione propria administrare omnia & absoluere, quæcunq; facta cuperet, ne ipsum quidem operibus faciēdis instantē curatoris operū officio perfungi: longe

id

id nimirum minus Deo conuenit. Quare augustius id decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertineꝰ tum Solem Lunámq; moueat, tum cœlum omne circumagat: simúlq; causam præbeat eorum quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis. Neque vero illi ipsi itidem vt principibus mortalium, opus est aut artificiosa mollitione, aut alieno ministerio: quando ii propria infirmitate præditi operarum decurias rebus conficiendis, & numerosas manus adhibẽt. Illud autem diuinitati maxime consentaneum, vt formas rerum omnium citra difficultatem simplicique motu absoluat: non secus atque illi machinatores solent, qui instrumento vno demittendo, multos & varios affectus ædunt: aut vt illi præstigiatores facient, νευροσπάστας ob id appellant, quod imagunculas animatas esse fidiculis ductitandis ementiuntur. Qui cum funiculum ipsi aut neruum adduxerunt, cieri ceruicem & manum, quasi animatis simulacri, humerumque itidem, & oculum faciunt, interdum etiam omnia membra idq; quadam cum venustate atque æquabilitate motus. Hoc igitur modo natura diuina ab vno eodemque simplici motu primo vim suam immittit in ea, quæ sunt primo cõtinentia, ab illisque sub in de in ea quæ longius atq; longius absunt, quoad permeauerit per vniuersa. Quippe alterum ab altero motum rursus ipsum quoque aliud mouet cum mundo: cùm vnunquodque interim agat conuenienter constitutioni suæ, nec tamen eadem sit via omnibus, sed diuersa, nõnullis etiam contraria tametsi primus illis velut ad concentum, atque æquabilitatem auspicatus, natura sit compa



comparatus ad vnum mõtum: similiter atque si quis ex eodem vase simul iaciat globum, tesseram turbinem, & columellam, nempe vnumquodque eorum accommodatæ suæ formæ mouebitur aut si quis animal vnum aquatile, aliudque terrestre & aliud voluere è sinu suo emittat. Planum est enim quod natatile eò prosiliens enatauerit, vbi ei commodum est victitare: terrestre ad suas sedes. pascuaque sua erepserit: at aerium è terra sublime raptum euolauerit, vna vtique eademq; prima causa propriam eorum vnicuique aptitudinem reddente. Eademque ratio est in mundo. Siquidem ab vna cœli vniuersi conuersione, quæ die noctuque finitur, aliæ atque aliæ permeationes fiunt. Cumque vno omnia coërceantur globo, pars tamen celerius pars mouetur tardius: nimirum internallorum lõgitudine, & singulorum opificio eam differentiam efficiente. Et Luna quidem mense suum peragit orbem, augescens vicissim, imminutaque & tabescens. Sol anni spatio suum orbem metitur: & qui eum æquant cursu, Lucifer, & Mercurius. Pyrois spatio altero tanto maiore. Iouis stella spatio Pyroentis sexcuplici. Vltima Saturni quæ dicitur tempore sesquiplo maiore quàm quantum est id quo circumagitur illa quæ infra ipsam est proxime. Qui vero ex omnibus concentus existit consonantibus in cælo, chorumque conficientibus, vt ex vno ille quidem moritur ita in vnũ desiit. Vniuersumque ipsum commodius κόσμον nominauerit, id est compagem rerum compositam, concinnoque ordine digestam quam ἀκοσμίαν id est congeriem confusam & inconditam. Quemadmodum porro fit in choro, vt auspicanti præsuli aut præcentauri accinat omnis chorus è

*De plantarum cursibus.*

viris interdum fœminisque compositus, qui diuersis ipsis vocibus, grauibus scilicet & acuti concentum temperant: eandem ipsi rationem statuimus & in Deo qui vniuersum mundum moderatur & regit. Et sydera enim semper & vniuersum ipsum cœlum eos ad numeros mouentur, quos Deus sursum quasi auspicando præcinendoque emodulatur: quem à similitudine sane congrua κορυφαῖον mundi recte appellaueris quasi præsultorem ipsum huiusque chori magistrum, Geminis autem itineribus Sol ingreditur lumine suo, cuncta quoquo versus collustrans diem noctemque altero itinere disterminans ortu suo scilicet & occasu: altero quatuor anni tempora secum ductitans, vltro citroque per cælum perreptando nunc aquilonius ipse, nunc austrinus. Quid dicam pluuias tempestiuæ existentes, ventos, & rores, omnesque permotiones quæ in aëre eueniunt à principe rerū causa, atque primordiali? Adde fluminum lapsus maris æstus intumescentes enascentium arborum incrementa, frugum maturitates, fœturas animalium: denique vegetationes rerum omnium adolescentium primum deinde tabescentium: eodem accedentibus causis (vt dictum est) à constitutionibus singulis rerum atq; opificiis. Itaq; ille omnium princeps parensque animi tantum sensu spectabilis, simul ac signū naturis dedit inter cœlum terramque vehētibus earū vnaquæque in orbibus suis iugi motu cietur, atque inter suos limites alternis conditis atq; apparens, sexcentas illa formas eodem à principio exibens, vicissimque subducens. Quod vero in hisce rebus agitur, magnopere simile est iis, quæ belli tempore inter homines fiebant. Nāque statim vt classicū exaudiri in exercitu cœptum

*Elegans similitudo.*



ptum est alios ipse videas: scuta sibi aptantes, loricam alios inducentes, alios ocream vel galeā, sumere, vel balteo se cingere festinanteis. Rursus videas qui frænatos equos admittant, alios qui currus conscendant, qui deniq; tesseram per explicatam aciem prodant. Tum manipuli ductor ad manipulum, centurio currit ad centuriam. Postremo equites ad cornu, velites ad stationē quisque suam festinat. Cùm interim sub vno ductore omnia moueantur, qui imperia & ipse significanda accepit ab eo, apud quem summa est imperij, eodem nos & ipsos modo censere conuenit de vniuerso. Cùm enim ab vna vi impulsrice cieantur omnia, fit vtique, quod cuique commodum est, & cōueniens. Nec vero si ea vis ipsa, nec cerni ab hominib. nec apparere potest quoquo pacto id obstat, aut illi ad ea, quæ diximus agenda, aut nobis ad fidem hisce rebus accōmodandam. Nam & anima ipsa, qua viuimus, qua vrbes, qua domos habitamus, cùm haudquaquam subaspectum nostrum sita sit, operibus tamen ipsis videtur. Omnisque vitæ cultus nitórque vtq; ab ea inuentus est, & descriptus, ita ex ea tenorē suū seruat. Terræ cultura & consitio, artium excogitationes, vsus legum, reipublicæ recte atque ordine cōstitutæ ratio, administrationes ciuiles, bellum extra fines patriæ, & rursus pax ea. Proinde hæc etiam de Deo sentienda nobis sunt: illo quidem, si vim spectes, valentissimo: si decorem, formosissimo: si vitam, immortali: denique si virtutem, præstantissimo. Quapropter cùm sit inconspicabilis natura omni interituræ ipsis nihilo setius ipse cernitur ab operibus. Atque ea quidem, quæ in aëre fiunt quoquo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certe Dei opera esse merito

dixerimus: Dei inquam opera, cum imperio summo mũdum ac pro potestate obtinentis. Ex quo Deo, vt inquit Empedocles physicus:

*Omnia quot quot erũt, quot sunt præsentia quóq;*
*Orta fuere ante hac stirpes, hominésque, feræque,*
*Inde etiam volucres, piscésque humoris alumni.*

Enimuero nõ tam absurda quàm pusilla comparatio (vt opinor) fuerit, si mundum cum illis lapidibus componamus, qui in operibus fornicatis, forficis in modum dispansi conformati, structura sese intersecante, vmbilici vocantur. Etenim ij lapides in medio collocati, qua parte scilicet vtroque versus structura arcuata prodatur, quasique oneri cedit: incohærentia continent, atque in constructione ordinata totam formam operis, immobilémque asseruant. Fama est etiam Phidiam illum statuarium, cùm Mineruam illam, quæ est in arce, coagmentaret, in medio eius scuto faciem suam expressisse, oculosque fallenti artificio ita deuinxisse simulachro, eximere inde vt ipsam si quis cuperet, minime posset: aliter quidẽ certe quàm vt ipsum solueret simulachrũ, opúsque eiusmodi compactibile confunderet. Hanc eandẽ igitur rationem Deus habet in mundo, vtpote qui vniuersorum coagmentationem cohærentem cohibeat & coarctet, incolumitatémque vniuersitatis conseruet: nisi quatenus nõ medio ille loco, in terra scilicet, vbi turbida regio est: sed in excelso situs est, purus ipse in puro loco. Quem locum tum ἀέρα ab origine vocis dicimus, quasi terminũ extimum supremorũ corporũ: tum etiã Olympũ, vt vsquequaq; lucidũ, ab omni caligine secretum. morúq; omni incondito. euiusmodi sunt qui apud nos venti fiunt, & tempestates. Id, quod his verbis significat Homerus:

*Phidiæ statuarii in sculpenda Minerua præclarii artificiũ.*

Esse



*Esse solum diuis subnixum semper Olympum* ‹‹
*Fama est haud ventis tremefactũ aut imbribus vllis* ‹‹
*Ac procul à nauibus subductum nubibus illinc* ‹‹
*Splendida summotis cãdensque expanditur æthera.* ‹‹

Huius autem rei elogium est: mortalium consensus, regionem mundi summam non dubie Deo tribuentium quam ob causam ipsi manus tollimus sursum inter vota concipienda. Qua ratione nec male illud quoque ab eodem Poeta pronunciatum:

*Cælum sorte tulit simul æthera Iupiter altum.*

Quinetiam quæ maxime eximia sunt inter res sensu perceptas, eundem illa locum obtinent, vt sidera, vt Sol & Luna. Vnde fit vt cælestia concinno ordine digesta suas ipsa vices conseruent perennes & constitutas, nullique obnoxias mutationi longe illa secus atque terrena: quæ ita natura comparata sunt, ipsa in alias vt ex aliis affectiones transeunt, fierique identidem altera atque altera non respuant. Certe contigisse aliquando constat, vt terræ motus violentia terra ipsa multis in locis discesserit, indéque hiatus exticerint vt imbres vi maiore ruentes, diluuium in terram intulerunt: vt excursiones vndarum recessúsque tum continentes mari obruerint sæpenumero non rursus maris alueos adiecerint continentibus: vt vis flatuum & verticum oppida funditus disturbarit: denique vt incendia atque inflammationes aliæ supernæ delapsantes partes orbis excusserint versas ad orientem, vt Phaethontis tempore contigisse dicitur: quædam etiã vt è terra erumpentes veluti expirabundæ, idem fecerint, vt cum cratheres Aetnæ abrrupta terra patefacti, conflagrationem emiserunt instar torrentis per terram grassabundam. Quo tempore

*Crateras Aetnæ patefacti.*

*Pietati præmiũ apud Deũ.*

qui ẽ mortalium genere pietate erant imbuti. iij numine diuino eximio honore ingentique affecti sunt. siquidem iuuenes & robore valentes, cum parentes suos ætate iam confectos humeris sustulissent igneo flumine iam iam opprimendi, in eo erant ipsi vt interirent: cum ecce flumen ipsum ita se scidit, vt huc & illuc diuersi fluctus digrederentur, iuuenesque intactos cum senibus transmitterent. Vt vero summatim iã loquamur quod in naui gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod deniq; lex in ciuitate, & dux in exercitu, hoc Deus est in mundo. Nisi hactenus interest quòd labor & motus multiplex illos exercet, & curæ angũt variæ: cũm huic elaborata succedant omnia, omnis molestiæ expertia: citráque corporis infirmitatem quippe cui in loco stabili immotoque collocato omnia mouere, & circumagere pro arbitratu liceat quo libitum est, cumque, & quomodo libitum est: idque diuersis in formis simul atque naturis. Id autem ratione simili facit ille atque lex ciuilis, quæ immobilis ipsa existens in vtentium animis, regit omnia ad rempublicam pertinentia. Et ciues quidem quasi eius assecłæ in medium prodeunt: qui autem principes vocantur ad prætorium se conferunt: legislatores ad propria tribunalia: senatores denique, & qui concionatores dicuntur ad consessus sibi contributos conueniunt. Rursus is in Prytaneum it, cui scilicet id datum est, in eo vt publico victu epuletur: aliter rapitur ad iudicium, causam vt ibi dicat in carcerem alius compingitur, vt supplicio afficiatur illic. Tum vero epulones in ciuitate celebres ad epulas legitimasque conueniunt. Iam vero aguntur dies festi, iam ludicra solemnia

*Lex ciuilis.*



nia: iam annuersaria sacrificia fiunt diuis, heroesque ritu suo coluntur: postremo inferiæ mortuis inferuntur. Sic alia ab aliis facta vno vel imperio, vel legis vna authoritate, asseruant eum: qui obtemperat.

*Sic vrbs simul plena est vaporibus sacris.* «
*Resonatque cantibus pijs, ac luctibus.* «

Hoc idem de vrbe quoque maiore, de hoc inquam mundo existimare debemus. Deus enim nobis lex est, in omnem illa quidem partem ad æquilibrium vergens, nullam correctionem admittens, nullam varietatem: quippe quæ potior sit illis legibus, & stabilior, quæ in tabulis præscriptæ sunt. Eius enim auspiciis perenniter, & composite præeuntis vniuersus hic cæli ordo regitur atque administratur, numeros omnes concinnitatis habens: in omneis ipse naturas partitus pro vniuersitate seminum, in ea quæ hærent solo, atque inanimantia, quæ etiam suis ipsa generibus formisque distincta sunt. Nam & vites fiunt, & palmæ, & Perseæ, ficique dulces, & oliuæ (vt inquit poëta,) Tum quæ fructus expertes, alios vsus præstant, platani, pinus, buxi, alni, populus etiam nigra, & cupressus odorata. Tum quæ autumni tempore fructum suauem fundiam, sed conditu difficilem, pyri, punicæ mali. At vero animantium aliæ feræ sunt, & aliæ cicures, tum in aëre, tum humi, tum in aqua victitantes: oriunturque, & inualescunt, & deinde intereunt legibus. obtemperantes diuinis, atque cedentes. Omne enim reptile (ut inquit Heraclitus) terram depascitur atque possidet. Vnus porro Deus cum sit, pluribus hominibus appellatus est: ab iis vtique suis omnibus affectibus denominatus. quorum specimen edere ipse solet. Atque eum

*Dei nomina plura.*

quidem ζῆνα, tum δία vocant, inter se composi-
sitis vtentes nominibus, atque è regione collo-
catis, tanquam duabus his vocibus significare
velint, per quem viuimus: Is Crono, id est Sa-
turno, & chrono, id est tempore ortus esse dici-
tur, nimirum ab æuo sempiterno ad alterum
æuum pertinens. Vocatur & Fulgurator & Alti-
tonans. & AEtherius, & Fulminator, & Pluuius
à pluuiis vtique, & fulminibus, aliisque operi-
bus, è quibus vocabula ipsa deducta sunt. Quin
& Frugi potens, & Custos vrbium vocitatur, &
Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius, & Pa-
trius: videlicet à communione, quæ diuino ipsi
numini iis cum rebus intercedit. Ad hæc Soda-
litius, & Amicitiæ præses, tum Hospitalis, Ca-
strensis, Trophæalis, Expiator, Sanguinarius, &
Supplex, & Placabilis, vt Poëtæ loquuntur: de-
nique Seruator dicitur, ac Assertor: & (vt semel
omnia complectar) Cælestis: & Terrenus, ab
omni natura, sorteque nomen adeptus, vtpote
qui omnium rerum author sit. Quam ob rem
quæ de ipso in Orphicis carminibus dicta sunt
haudquaquam perperam dicta sunt. Equidem
Necessitatem ipsam etiam nihil aliud, quam
Deum dici censuerim & intelligi: cui ἀνάγκη
ex eo nomen est, quod natura quædam sit im-
mobilis. Eundemque εἱμαρμένην, id est fatum,
dictum à serie rerum conserta, inoffensoque te-
nore procedente. Quod alio nomine πεπρω-
μένην ideo appellauerunt, quod ab eo omnia
terminata sunt, ac nihil in rerum natura infini-
tum est. Quin & μοῖραν, id est sortem, appella-
tum eundem Deum à partitione rerum dixerim:
& νέμεσιν, quasi potestatem diuinam. eius quod
visum



visum est cuiq; distributricem. ἀδράστειαν etiam
quasi causam quandam natura cõparatam, quã
fallere nemo queat, aut vitare. ἄρτιν denique di-
ctum, quasi semper existentem. Iam quod de Par
cis, & de fuso proditum est earũ, eodem id etiam
quodammodo pertinet. Si quidem tres Parcas pri
sci tria in tempora partiti sunt: filumque fusi par-
tim iam peractum, partim futurum, partim iam
intorqueri dixerunt. Earum vnam statuentes in
eo quod iam profligatũ est: quam Atropon ideo
nũcuparunt, quoniam ea quæ iam præteriere, re-
trorsus agi nequeunt. At Lachesis functio futuris
destinata est. omnium enim quæ secundum natu
ram sunt, sors sua quodque manet. Præsentibus
autem rebus aut instantibus Clothus opera attri-
buta est, quæ netu vnicuique conficit, quod suum
est. Hocque fabulamentum recte atque ordine
compositum est. proinde hæc omnia non aliud
quicquam. quam Deum esse planum est, vt exi-
mius Plato censuit. Animuero Deus (vt est vetu-
sto verbo proditum) principium, & finem. & me-
dia rerum omnium tenens rectaque linea ince-
dens, operatur ille quidem secundum naturam, è
vestigio comitem habẽs iustitiæ præsidem, quam
δίκλω nominauerunt, diuinæ legis vindicem, si-
mul vt quicquam sanctionum eius prætermissum est: Cuius vt sit particeps numi
nis iam inde oportet ab initio (qui
ad vitam beatam euasurus
est atque se-
licem.

*

*Libri de mundo finis.*

# ARISTOTELIS DE ADMIRANDIS AVDITIONIBVS COMMENTARIOLVS.

*Dominico Montesauro Veremensi interprete.*

PAEoniæ mons est, Hesænus nomine, Pæoniam à Media diuidens, in quo fama est, quoddam animal reperiri, Bolinthum nuncupatum, tametsi à Pæonibus Monapios appelletur. Vniuersa huius forma bouí similis est. sed eundem magnitudine, ac robore, iubáque pariter excellit, à ceruice enim (quemadmodum equus) iubam valde prolixam, necnon à vertice vsque ad oculos ipsam demissim habet. nec (veluti boues) cornibus armatum est, sed aduersa ipsius cornua inter se sunt, & mucronata ad inferiorem situm iuxta auriculas vergunt, amplitudine non multo arctiore, quam vt singula semisesturium capiant, nigritia proba refulgent, veluti si decorticata, expolitáque sint. Cum autem id animal excoriatum fuerit, eius tergus distentum locum octo accubantium occupat. Quando vero percussum est, fugam properat: & nisi defatigatum nunquam consistit. Caro eius grati saporis est. Calcitrans ad proluviem alui vel ad quatuor passus proiiciens repugnat, quod præhendi modo id sæpe cum facilitate maxima vtitur: & ira adurit, vt pili insectantium canum absumantur: siquidem concitetur. stercore comburit: (vt inquiunt) si vero non irritetur nequaquam adurit. Tempore autem pariendi ad locum in quo pariat, quamplurima sui generis animalia aduentant, quæ omnia cum simul congregata sint maxime parturit, in circuitu que stercorat, largam enim quandam eius excrementi copiam hæc belua eiicit.



Qui in Arabia degunt, camelos proditur suas matres non superuenire: quinimo, si quis cogat, ipsi non pariuntur. Etenim cum aliquando admissarius non haberetur, curator pullum matri operæ admisit qui dū coiret, delapso operimento matrem agnouit: & quēuis coitū absoluerit, camelarium illum paulo post morsu defixo interemit. 2

Ferunt cuculos, qui Helicem incolunt, pariendi tempore non nidificare, sed in palumbiū, aut turturum nido parere: neq; incubare nec excludere, neque nutrire, Sed cum pullus genitus, ac educatus ab aliena aue fuerit, consortes, cum quibus hic vitam degit, è paterno nido eiicere. Præstat autem (vt videtur) pullus cuculi magnitudine, pulchritudineq;: qua de re facile pullos cæteros lōge antecellit. Hoc vero & palumbes adeo lætari autumant, vt ipsi vna cum illo proprios pullos è nido explodant. 3

Capræ Cretenses, cum aliquando sagitta transfixæ sunt, (vt vulgo fertur) dictamnum illius insulæ proprium quæritant, dictamnoque deuorato confestim telum eiiciunt. 4

In

5 In Achaia ceruæ nonnullæ, vt dicitur eo in loco degunt quo sua demiserunt cornua, vt caueant ne facile inermes reperiantur. quod ea de causa faciunt, quoniam instrumentum, quo repugnare possunt cum res exigit, nõ habent, & locum quo cornua demiserunt, à nemine adhuc ferrum compertum esse plurimæ quoque visæ sunt etiam ceruæ, quæ cornibus enatam hederam gerunt.

6 In Armenia venenũ quoddã nasci aiunt, quod Pardalianches ab angore dictum est. Hoc igitur venatores victimam aspergunt, ac recedunt cum ab ipsis Panthera conspicata fuerit. ea vero postquam id tetigerit, de more stercus hominis quærit. quocirca venatores stercus in vase reponunt, ac ex aliqua arbore vas suspendunt. fera itaq; insiliens ibidem & ad extremã defatigationẽ peruenies ab ipsis superatur, illorumq; præda efficitur.

7 In Aegypto autem trochilum ad eos crocodili aduolare asserunt dentesq; ipsius depurgare, carnis excrescentiam rostro ex ipsis dentibus extrahendo. ipse vero non solum trochilo minime nocet, sed mirum in modum ea re delectatur.

8 In Cephalena affirmant aliqui capras quotidie, (veluti quadrupeda reliqua) nullo pacto bibere, sed rictu flatui oppositio astare, ac ore aperto aera suscipere.

9 In Syria inter equos Syluestres vnum armẽto præesse inquiunt. cùm vero aliquis cæteris iunior fœminam superuenerit, ducem irasci, ac illum tandiu insectari, quousque deprehenderit. & cùm se inflexerit, ore ex posterioribus poplitibus genitale euellere.

10 Testudines cum viperam ederint, mox cunilam deuorare autumant: quam si celeriter non inuenerint, interire. Et ruricolas quamplurimos huius



huius rei veritatem experientia comprobare qui eũm aspexissent ipsa ita agere, ab vna cunillam euulsere: quo facto eos paulo post ipsam defunctam vidisse.

Genitale viuerræ non naturæ similis cum cæterorum animalium genitalibus esse dicitur, sed vtcunque disponatur, tempore perpetuo solidũ veluti os extat. Proditur vero idem genitale præstantissimum medicamentum vrinæ stillationibus esse, & per ramenta ex vino dari. 11

Picum martium auiculam, & resupinũ, & pronum stellionum more per arborem scandere asserunt. Depascere autem vermes ex arboribus dicitur ac arbores, cum cossos quærit, tam vehementer in profundo defodere, vt ipsas sternat. 12

Plataleas aues conchas quæ in fluminibus extant effodientes deuorare fama est: deinde cum copiam earum absorbuerint euomere postremo carnem quidem concharum edere, testas vero earum minime tangere. 13

Arcadiæ mons est Cyllene nomine. in quo merulas pullos albos parere aiunt nec vsquam alibi nasci: ac diuersas voces emittere, & noctu aduersus lunam incedere. Si quis autem interdiu ipsas capere tentauerit, maxima cum difficultate eas venari poterit. 14

Anthi non quidem quasi iucundum suauéq; vinum à nõnullis appellatũ, circa Melũ Gnidumq; oppida nasci ac gratam olentiam expirare: Oligochonion vero quasi insuaue paucique momẽti ac durationis prope Erithacem fieri proditur. 15

Locis quibusdã Capadociæ mel absq; fauo cõficiẽ ferũt ac spissitudine sua oleo simile euadere. 16

In Trapezunto quæ in Ponto est, mel grauiter olens ex buxo generali aiunt quod quidem si 17

Stephan⁹.

edatur

*Libro de Vrbibus hunc locũ citat.*

edatur, sanos mente abalienare: comitiali vero morbo prehensos integre absoluere autumant. Lydias arbores amplam mellis copiam generare enarrant nonnulli, ac incolas ex ipso pastillos absque cera conficere, & ipsos abscindentes pastillos vehementiori fractione egere in Thracia, quoque & si non tam solidum, ceu tamen arenaceum gignitur. vniuersum vero coactum mel non quemadmodum aqua, & cætera humida, parem sortiri magnitudinem autumant.

19 Chalidicam herbã, & amygdalam ad melificandum maximam vtilitatem præstare proditur sotum enim plurimum ex ipsis fieri inquiunt.

20 Asseritur, apes ab vnguẽtorum deliciis pertur bari, ac odores odisse. nonnulli tamen ipsas homines his delibutos percutere autumant.

21 Aiunt in Illyriis, qui Taulantij nũcupantur, ex melle vinum fieri. cum enim fauos expresserint, aquam infundentes in lebete decoquunt, donec dimidium defecerit: deinceps in doliis effundentes, idque iucundissime iactantes, dolia super tabulas reponunt, atque ibi longo temporis spatio permanere, & vinosum ac præsertim suaue, spirituosumque euadere inquiunt. Hoc autem iam & in Græcia euenisse nonnulli enarrant, vt nequaquam à veteri vino differat. sed cum postea hoc explorarent neminem temperiem huius inuenire potuisse autumant.

22 Circa Tessaliam serpentes tanto in numero generari memoriæ proditum est. vt nisi à ciconiis interimerentur, incolas excedere, ac regione tota emigrare coegissent. Quocirca honos is tantus in Tessalia est. vt ciconias occidere capitale sit. & si quis eas examinauerit, eidem pœnæ, cui homicida obnoxius est.

Pari



Pari modo & in Lacedæmonia tam magna 23
serpentum copia quibusdam temporibus fieri memoratur vt propter ciborũ inopiam Lacones ipsis pro alimento vti fama sit: ex quo Apollinem Pythium ipsos serpentum excoriatores appellare fertur.

In Cypro insula metas ferrum comedere asse- 24
ritur.

Chalibes in insula quadam parua, quæ in su- 25
blimi paululum recumbit, aurum ex pluribus rebus componere inquiunt: qua de causa & in metallis id refundunt, vt emptores decipiant.

Ab his qui ex Susis ad Mediam proficiscuntur 26
secunda itineris die ingens terrestrium scorpionum copia reperiri fertur, quocirca cum Persarum rex illac exercitum traiiceret, triduo toto agmine commoratus, venationem scorpionum impetrauit, & his qui plurimos scorpiones ceperint, præmium dedisse ferunt.

In Cyrena mures vnius generis non esse, sed for 27
ma colore que plurimum distare asserunt alios enim ceu mustellæ lata facie fieri: nonnullos vero viperæ formam sortiri, quos viperas vocant.

Circa Siciliam aquæ stagnum inesse asserunt 28
in quo si quis aues cæteráve suffocata animalia intinxerit rursus reuiuiscere autumant.

Apud Gelonas Scytarũ feram versari traditur, 29
excessu quidẽ raram, nomine autẽ Tarandã: quæ quacunque incedit pilorum colores mutat ideóque raro capitur, locorũ arborúmque, & omnino omniũ colorẽ reddit. mira pilorũ mutatio huius est, cum reliqua colore tantum immutentur, ceu chamæleo, & polypus. Tarandæ magnitudo quæ boui est nec caput ceruino absimile fortitur.

In Abydo quendam mente abalienatum inesse 30

fertur

fertur ac ad theatrum plurimum dierũ spatio ac
cisse,vt histrionum astra respiceret,adnotaretve:
qui ab insania absolutus fatuitatis tempore vi-
tam iucundissime degisse asseuerauerit.

31 In Tarento cauponem noctu furentem fuisse
interdiu autem vina vendidisse quidam asserunt
etenim propriæ tabernæ clauim sub zona serua-
bat:eum vero multi surripere tentauerint,eã nul
lo pacto abstulisse.

32 In Lipara insula aliqui affirmant huius vis atq
naturæ terrã reperiri, in qua si quis ollam oe
cultauerit quodcũque voluerit, dummodo in ea
imponatur,decoquetur.

33 Flagrant in Mediis & Psittacinæ geniis ac Per
sidis confinio ignes, quorum hic quidem in Me-
diis minus,qui autẽ in Psittacina magis & sync-
ra flamma ardet: qua de causa Persarum rex ad
hunc culinas molitus est,vterque vero locis pla-
nis,nec inæqualibus inest.Cæterum hos quidẽ in
terdiu noctuve percipere licet:qui vero in Pam-
phylia cremãt, noctu duntaxat percipi possunt.

34 Circa Atitaniam iuxta confinia Apolloniatis
saxum quoddam inesse autumant, ex quo qui-
dem emissus ignis non percipitur, cum vero oleo
desuper respergitur,inflammatur.

35 Extra columnas Herculeas ignes flagrare fa-
ma ea,hoc quidem semper,alios vero noctu solũ,
veluti Anonus Periplus memoriæ prodidit.Et in
Lipara manifestum ignem, ac flammeum inue-
niri, verum non interdiu,sed noctu tantum arde
re autumãt.In Phitecusis ardentem ac supra mo
dum calidum ignem reperiri aiunt, verum non
adurentem.Ignem tamen qui in Lipara extat,ali
quando anno sextodecimo deficere, decimo ve-
re septimo redire refert Xenophanes.

Exhal-



Exhalationem Aetnæ nec flammeam nec cõ- 36
tinuam esse, sed pluribus annis fieri asseuerant.

Circa Lydiam ignẽ quamplurimũ sursum fer- 37
ri, ac septem dierũ discrimine flagrare inquiunt.

Miranda est ignis exhalatio, quæ in Sicilia cõ 38
tingit, cuius ebullitio per stadia quadraginta dif
funditur,sed nec tria attollitur stadia.

[ Lapis in Thracia est,Spinus nomine,qui inter- 39
cisus ardet, idque iuxta se positus(seu Smarilus)
reddit. isti igitur lapides apud se inuicem com-
positi,aquáque consperst flagrant:idémque Ma-
ritham agere asseuerant.

Circa Philippos Macedoniæ metalla reperiri 40
narrant, ex quibus frustra ecta grãdescere pro
ditur, aurúmque, vt clarũ est,producere.

In Cypro circa Tyrrhiam æs eiusdẽ naturæ fie 41
ri aiunt, quod ruricolæ minutatim contusum,vt
constat, seminant, posthácq; in id eruptis aquis
augetur, & redditur, ac hoc modo colligitur.

In Melo insula loca defossa iterum confestim 42
terra repleri asseuerant.

Apud Pæoniam cum pluuiæ continuæ fiunt, 43
colliquata terra aurum, Apyron nũcupatum,in
ueniri inquiunt, & adeò Pæoniæ terram deaura
re,vt ponderis auri vltra minam reperisse com-
plures dicunt:& alium quidem tres minas, alium
vero quinque conducere, regíque exploratores
auri geminos obolos reportare asserunt, & ad
mensam recumbere,primúmque inter illos epu-
larum primitias regem impartiri.

Flumen Ozum,quod id Bactris est,auri plures 44
glebas deferre memoriæ proditum est: & in Ibe
ria flumen Theodorũ dictum, iuxta littora mul-
tum auri scatere, ac simili ratione deportare.

Ab antiquis regibus in Pieria Macedoniæ re- 45

conditam quandam auri copiam defossámq; esse fertur, ac ex vna fouearum quatuor, quæ ibi sunt, aurum renasci sesquipedali magnitudine aiunt.

46 Argẽti Mysini, ferriq; Chalybici peculiarissimam esse generationẽ ferunt. vna enim cũ arena per fluuiũ delata nascitur, vt aiunt. hãc vero alii quidẽ vna ratione abluentes in fornace adurere autumant, alii autem eius sedimen naturale sæpenumero lotum comburere, lapidemq; Pyrimacũ appellatũ interponere, cuius copia in illa regione magna est. Ferrum vero hoc cæteris pulchrius efficitur, nec ab argẽto distaret, si in fornace vna nõ eremaretur, solũ autẽ hoc minime rubigine consumitur, nec copiosum effici proditur.

47 Apud Indos æs adeo lucidũ ac purum, nec non rubigine carens reperiri aiunt, vt neque colore distare ab auro percipi solitum sit, sed in Darii poculis cados nonnullos plureſq; inueniri, qui nec alio pacto, quàm odore, ænei sint, an aurei, cognosci nequeant.

48 Stannum Celticum plũbo multò ocyus liquescere scribitur, cuius eliquationis argumentũ est, q̃ in aqua positũ liquescere soleat. vt cõstat ergo facile colorat. Liquescit autem extremo frigore, gelúq; procreato cũ ipsius innatus calor ad intra recluditur ac ob eius imbecillitatẽ compellitur.

49 In Pãtheo oleа est optima corona nomine, huius autẽ folia cæteris oleis è cõtrario exeũt. Intus enim & non foris virẽt ac nec aliter quàm myrtus. ramos coronæ effigiẽ præ se ferentes emittit. Ab hac vero palmitẽ Hercules euulsit ad Olimpiáq; illum explanauit: ex quo athletas coronatos fuisse ferunt. hæc enim iuxta flumen Illisum prouenit, ac sexaginta stadiorũ discrimine a flumine distat. vallatúrq; domibus circunquaque: quam



quam si quis tangeret, magna ab accolis afficeretur pœna. Cæterum posthac ex ea Eleios palmitem quoque accepisse, ac in Olympia plantasse, & athletis coronas instituisse asserunt.

Ad Lydiæ metalla apud Pergamũ existentia, quæ antea Crœsus cõfecerat, bello quodã exorto opifices cõfugisse ferũt, qui obstructo illius loci ostio suffocati sunt: postea q; lõgo temporis interuallo metallis adopertis, vasa, quibus pro manibus abluendi oportunitate vtebantur, in lapides cõuersa inuenta fuisse, ac quouis liquore (ceu amphoræ) repleta fuissent pari modo ipsum in lapidem cõuersum fuisse: nec non simili ratione ossa hominum in lapides conuersa vulgo proditur. 50

Paludis Ascaniæ aqua adeo mitrosa ex suapte natura exstat, vt nulla alia purgatione pallia, quæ in ipsa remorantur, egere noscantur. si quis vero ea in eadẽ aqua aliquãdiu pmiserit, interciduntur. 51

Iuxta paludem Ascaniã Mythepolis oppidum conditum est, quod per centum viginti quinque stadia à Cio distat: quo in oppido algore hyemis adeo ingrauescente, puteos omnes exsiccari ferunt, vt nullo modo vas ab earum aqua intingi possit: feruore autem æstatis adeo repleri, vt ad extrema puteorum labia vnda prosiliat. 52

Pretium, quod Siciliam Italiámq; secernit, vnà cum incremento lunari decrementóque augeri minuíque asserunt. 53

Quæ de causa in via quoque, quæ Syracusas ducit, fons in prato extat, qui nec magnitudine præstat, nec multa aqua refertus est. cùm vero vehemens turbo è regione affluerit, immensam aquæ copiam accolis concedere solitus est. 54

Porrò in Siciliæ paliscis fons est, qui decem accubãtium situm occupat. hunc enim ad sexcu- 55

bitalem altitudinem aquâ reiicere aiunt, adeo, vt accolæ, cũ id videbãt, campos exundaturos arbitrentur: rursusq; aqua in eũdem redit fontem. Iurisiurandi quoq; in se diuinitatẽ detinere autumant. nam si quis tabellam inscriptã iurisiurãdi in eum imposuerit, si recte iurauerit, tabellam supernatare affirmãt sin secus, tabellã grauitate affectã in profundum aboleri, hominémq; periurum comburi. quocirca sacerdotem ab ipso fideiussionem de expurgationis impensa suscipere, cùm factũ quid iusiurandũ depurgare voluerit.

56 Demonestus Charthaginiẽsiũ insula exrat quæ cognomen à Demonesto primo eius cultore sortita est. Cœruleum metallum Chrysocollámque hæc regio obtinet, quam optimam ad auri pretium aliquis inuenire poterit. etenim medicamentum oculorum hæc est. Atque ibi æs geminos passus supernatans in mari reperitur, ex quo statua illa confecta est, quæ in Sicyonia vetustissimo Apollinis templo conspicitur.

57 In Pheneo quoque Orichalci appellati inue-
,, niuntur, quibus inscriptum erat, Hercules Am-
,, phitryonis Helide capta dicauit. Helin enim ceperat vxoris ductu iuxta oraculũ, cuius patrem Augeam iampridẽ interfecerat. Cæterum cùm æs effodiunt, acutissimi visus efficiũtur, & palpebris carent: quocirca æris flore, cinereque Phrygio ad oculos vtuntur.

58 Antrũ quoque, quod Glaphyrũ, quasi sculptũ vocãt, ibi est, in quo niues ex guttis quibusdã defluentibus cõcrescunt, hoc autẽ eius loci ascẽsus ad pauimentum, quo augustissimus est declarat.

Ex vno aquilarum pari altera, quæ sterilis est,
59 marina vicissim efficitur, quousq; compares euadant, ex marinis vero ossifragæ ex his autẽ pernices, accipitres, vulturésq; fiunt. isti quoq; nec sobolem vulturum claudunt, sed magnos vultures, qui fœcunditate carent, gignunt: argumento, quòd nemo vulturis magni nidum conspexit.



Mirandum est autem, cur apud Indos circa 60
plumbum quod ibi exrat, hæc eueniant. Cùm enim colliquatum est, in frigida aqua detinetur aliquandiu, demùmque ex aqua exilit.

Ferunt æs Mossynicon nuncupatum non com 61
mixtione stanni, sed ex terra quæ cũ eo nascitur decoquiturue, lucidissimũ, candidissimũmq; existere. Autorem vero huius temperamentiũ nemi nem docuisse asseuerant. qua de causa res æneæ, quæ superiori tẽpore mollitæ ea in regione fuerunt, recentiores longe excellere videntur.

In Ponto hyeme aues nonnullas reperiri me- 62
moriæ prodium est, quæ neque cùm alui proluuiem emittunt, nec quando pẽnæ eis euelluntur, sentiunt: neque etiam cum minuto veru transfixæ sunt, nisi cum igne torreantur.

Apes solstitia præsagire videntur, cum opera 63
non subeant: quo indicio apiarij vtũtur, ac tunc temporis quietem degunt. Cicadæ quoque post solstitia canere videntur.

Echinũ interuallo annuo sine cibo viuere aiũt. 64

Feles cum corium exuere velint, reliquorum 65
serpentium more vultu resupino bibere inquiũt, cùmque à medicis seruari, cùm mirum in modum comitialibus prosit.

Vrsæ adipem traditur, cum algore hyemis in 66
vase congelatus fuerit, per id tempus, quo vrsa cũditur, crescere, vasq; in quo inerit, supergredi.

In Cyrenensi agro ranas vocales penitus deesse scribitur. atque in Emathia Macedoniæ regione sues solipedes generari legitur. 67

68 In Cappadocia mulas fœcundas victitare proditur. ac in Creta populos nigras fructiferas nasci vulgo fertur.

69 Circa Babylonis rigua decedentibus fluuiis incauernas aqueas, hebetes pisces nonnullos remanere proditur, quos inde exire, ad pabula pinnulis gradientes crebro caudæ motu, contráque venantes refugere in suas cauernas, & in his obuersos stare, ac sæpenumero viros aliquos eorum cauernas ingredi, ipsosq; irritare aiunt. Illorum autem capita ranæ marinæ proxima extant, reliquas partes gobiis, branchiæ cæteris piscibus.

70 In Heraclea quæ in Ponto est. & in Rhegio defossos pisces innasci legitur, qui iuxta amnes aquatilesque regiones incolunt, cùm verò certo tẽpore hæc exsiccantur, exarescúntq;, in terram inter contẽdunt. postea autem terra magis desiccata. humorem insectantes, ad syluam confugiunt. postremo vero hac arefacta adhuc in humore perseuerant, quemadmodũ animalia, quæ in lateribus remorãtur, cùm autem eos effodiũt, anteaquam aquarum successio eueniat, motu demum corporum ipsos viuere approbant.

71 Apud Paphlagoniam effossos ex altis scrobibus pisces oriri asserunt, virtute quidem præstãtissimos in locis, vbi nullæ prope restagnãt aquæ sola tellure vitam illis suppetente.

72 Ceruas, quæ in Epiro oriuntur, dextrũ cornu defodere, ceu multa vtilitate præditum aiunt.

73 Vitulum marinum coagulum euomere, cùm eum capiunt, ferunt. tanquam medicamentum ad comitiales morbos vtile.

74 Lyncẽ quoq; vrinã terra operire scribitur, eoq; admulta alia, necnõ ad gẽmarũ vtilitatẽ præstat.

75 Italiæ mons est, Cyrcæus nomine, in quo veneni



neni quædam species lotalis oritur, huius vis atq; naturæ, vt si quis ex ipso asperius fuerit, continuo concidat, ac caluus efficiatur, membraque totius corporis defluant. quam ob rem superficiem corporis defunctorum miseratione dignam inesse traditur. Hanc autem veneni speciem ferũt Paulam Pauceſtrium, & Caium, cum Cleonymo Spartano tradere decreuisse à tarentinis compertos, ac de veneno interrogatos capitales pœnas persoluisse.

In insula Diomedea, quæ in Adriatico sinu iacet, mirabile diuinumque Diomedis delubrum inesse legitur, circa quod aues in circulo versari magnitudine quidem præstantes, rostris autem longissimis durissimisque: quæ Græcis tãtum ad eum locum aduenientibus adulantur, ac accolas barbaros alarum clangore infestant, & in sublimi elatæ eorum capita vehementer percutiunt, vulneranteſque rostris ipsos necant. Vnde origo fabulæ, Diomedis socios in earum effigies transfiguratos? qui cum naufragia haud procul ab insula sustulissent, Diomedes dolo ab *Aeneo, qui eorum locorũ imperiũ gerebat, interfectus fuit. 76 *Eneto.

Apud Vmbros pecora anno singulo ter parere aiunt, terramque multò copiosiorem multitudinem fructuum emittere regione quæ seminatur. Mulieres quoq; eius loci accolas plures generare, saroque singulas singulos parare, quam multas vero geminos, ternosque parturire fertur. 77

In Electris insulis, quæ in Adriatico sinu extãt simulacra gemina adiacere ferunt, quorum alterum quidem stanneum, alterum vero æneum extat. vetustissimo tamen more elaborata. Hæc quidem Dædali opera fuisse priscorum monumenta testantur, cum Minoem ex Sicilia, Cretaque inse 78

ctantem effugeret, atque in eis se accommodasset regionibus. Antedictas autem insulas ab Eridano astrui asseuerant.

79 Lacus non procul ab amne Eridano constat: cuius aqua calida est, ac odorem grauem molestumque exhalat, ex qua nullũ animal bibit, nullaque auis eum superuolat, sed intercipitur, pariterue moritur, hic autẽ CC. stadia circuit, ac per X latus est. Accolæ vero fabulãtur Phaëthontem iam fulmine ictum in hunc decidisse: inibiq; ereb̃os populos existere, ex quibus electrũ dictũ excidere: quod nec absimile gummi esse asseritur, cum lapidis duritiem fere sortiatur: collectũ vero hoc ab accolis ad Græcos transferri. Ad has ergo insulas Dædalum peruenisse inquiunt, ac eas occupasse, in earumque prima eius simulachrum, ac Icari ipsius filii appendisse: postea autem cum Pelasgi ex Argo depulsi, in eas nauigassent, irruissentque Dædalum effugisse, atque ad

80 Icarum insulam applicuisse ferunt.

Siciliæ mons est: Aetna nomine, in quo antrum quoddam inesse traditur, in cuius circuitu cæterorum florum ingentem copiam omnibus anni temporibus innatam esse asserunt, sed multo maxime locum aliquem immẽsum violarum repletum fuisse: quæ regionem proximam suauiolentia replent, quamobrem venatores cum canes ab odore deuicti fuerint, leporum vestigia insectari nequeunt: In hoc autem hiatu occultus est ingressus, quo Plutonem Proserpinam rapuisse fabulãtur. Triticum quoque hoc in loco reperiri affirmant dissimile illi, quo accolæ vtuntur necnon cætero aduentitio. quandam tamen peculiarissimã magnitudinem sortitur, hoc enim adnotarunt primum triticeum fructum apud ipsos appa



apparere. Quocirca Cererẽ sibi vendicarũt. enarrantes apud se Deam hanc natã educatãq; fuisse

Cretæ insulæ lupos, vrsosq; ac viperas, cæteraue 81
iis similia maleficia naturam negasse ferunt, ea de causa, ꝙ in illa regiõe Iupiter orꝰt atq; alitus sit.

In mari trans Herculeas colũnas insulã defola- 82
tam à Carthaginiensibus inuentã fuisse proditur quæ quidẽ omniformi lignorũ materia, amnibusque nauigabilibus, necnõ cæterorũ fructuum genere mirabilis est, distatq; à terra plurium dierũ spatio: ad quam Carthaginienses sæpe ob eius felicitatem accedebant, ac illorum nonnulli eam incolebãt. Præsides vero Carthaginiensium eum id intercipere decreuissent, mortali pœna ad ipsam accedentes puniebant: indigenas vero omnes interimi iusserunt ne ibi degerent, ac etiam ne turba aliqua in ipso conuersa insulæ imperium consequeretur, & Carthaginiensium libertatem tranquillam perturbaret, surriperetur.

Ex Italia in Galliam vsq; Celtiberorum Ibero 83
rumque, viam quãdam repetiri aiunt, cui Herculea nomen est, in qua tam Græcus. quam incola viator indigenarum beneficio nulla iniuria molestiaue afficitur: cæterum si quis ex eis quempiã infestaret, pœnam eiusdem generis dare ferunt.

Venenum à Gallis Toxicum dictum confici le 84
gitur idq; adeo velocem interitũ corporibus afferre aiunt, vt Galli venatores cum ceruum, aut quoduis aliud animal sagitta transfixerunt, maxima cum festinatione accurrentes, carnem vulnere infectam recesent, ne reliquæ animalis partes veneno afficiãtur partim quidem cibi causa. partim vero, ne animal putridum conficiatur. Alii tamen remedium toxico inueniri corticem roboris affirmãt: alii autem alterum aliquod fo-

lium, quod Coruatiū appellant, cum illi animad uertissent, coruum venenū degustasse, lāgoreque affectum ad eum magno impetu aduolare, ac il-
85 lud postquam deuorasset, à dolore quieuisse.

Cum Iberiæ pastores nōnulli locum arboribus refertū incendissent, ac terra à syluæ cōbustione vehementer supercalefieret, argentū regionē manifeste effluisse asserūt: pauloque post terræmotibus succedentibus, ac disruptis locis, quamplurimum argētum vna coactum fuisse traditur, quod
86 maximam vtilitatem Massilienſibus tribuit.

In Gymnasiis apud Iberiæ insulas adiacentibus, quæ præter alias septem famosas insulas cæteras magnitudine excellere videntur, oleum ex oliuis minime effici traditur, sed ex Terebintho vehementem eius copiam fieri idque ad omnia congruens. Cæterū illius loci accolas adeo mulierum commercio delectari autumant, vt pro singulo fœmineo corpore, quatuor quinqueue masculina corpora mercatoribus exhibeant. Cum vero pro Carthaginiensibus militiam exercerent, nihil aliud pro eorum mercede præter mulieres deliberant, suscipiuntq; nec enim apud eos vllū aurum argentumue possidere licet. Hinc autē illud ortum est, ipsos nullo pacto diuitias in patriam exportare posse, quoniam Hercules maximo cum exercitu ob opulentiam illorum Iberiam deprædatus sit.

87 Circa Liguriā in Massiliēsiū agro stagnū quod dā reperiri asserūt, quod ebullire, ac aquas supereffundere aiūt. tantámq; piscium copiā eiicere, vt nec credere dignū sit. Cum vero Etesiæ efflāt, terræ puluerē super se obducit, eumq; talē illic procreat, vt superficiē eius, ceu solū firmet. Cæterum indigenæ tridente id interrumpunt, & quotquot pisces



pisces voluerint, pr ompte excipiunt. 88

Ligures nonnullos adeo fundarum iactu præstare traditur, vt cum multas viderint aues, inter se certatim eligūt, qualem quisque earum necis apparatu capere decreuerit, vt prompte omnes quisque suam consequantur auem. Peculiarem quoq; isti naturam detinent, vt mulieres in puerperio vnà operentur, infantémq; aqua abluūt, ac saltem terram scalpunt, effodiuntue, cæteráq; domestica exercēt, quæ neq; priusquā ad puerperiū accederēt, agēda erāt. Mirabilem etiā amnē sortiuntur, cuius vnda in sublimi tantum attollitur fluitue, vt ij qui trās fluuiū sunt, cōspici nequeāt.

Insulā quandam Thaliam nomine in Tyrrhenæ prouinciæ mari inesse fama est, in qua ex ea- 89
dem metalli minera antea quidem æs effodiebāt ex quo fabrilia omnia cōfecta fuisse aiunt, postmodum vero minime id impetrasse. at longo elapso tēpore in eodem metallo ferrum Popagion dictum repertum est, quo nunc adhuc Tyrrhenii incolæ vtuntur.

In Tyrrhenia oppidum quoddam, Oenareum 90
appellatum extat, cuius apicem mutum inesse affirmant, in medio enim collis xxx. stadiorum altitudine cōsurgit, qui syluā arborū aquarumq; variā cōtinet. At cùm accolæ extimescerent, ne illorum quis eius locityrānus efficeretur, quosdā ex seruis suis libertos principes sibi constituunt, ac annis singulis eorum successores procreant.

Cumæ Italiæ ciuitas est, in qua, vt clarū est, Si 91
byllæ fatidicæ sub terra quidā subterraneus thalamus panditur, quā diutissime ibi virginē degisse in quiunt. ceterum cùm quidē hæc Erithæa sit à quibusdā Italiæ accolis Cumæa, ab aliis vero Melachræna appellatur, Loci autē huiꝰ præsides

Leuca

Laucades extant. Ex ea quoque regione amnem apud Cumas quendam reperiri asserunt, cetū nū cupatum, in quem si quid proiectum fuerit, primum nasci, pullularique, ac postremo lapidesce re affirmant.

92 Alcisthenes Sybarita miro sumptu chlamydē confeciſſe, exornasseq; legitur, ac eam in Croto nis promontorio ad Iunonis nundinas præpo suisse, ad quas vniuersæ Italiæ indigenæ cōfluūt. cæterū præter omnia, quæ ibi mira vidētur, hoc incredibile admiratione Italos maxime deti nuit: illāmque in suam potestatem Dionysius se nior redegit, qui hanc Carthaginiensibus cētum viginti quinque talentorum pretio vendidit. Co lore quidem purpurea erat, amplitudine vero vl narum quindecim: vndique autē minutis anima libus velabatur intextis, desuper quidem Susæ, deorsum autem Persæ oppida inserta. in medio vero Iupiter, Iuno, Diana, Minerua, Appollo, Ve nus inaderant. In vtroq; autē extremo Antisthe nes inerat, vtrinque vero Sybaris ipsa eminebat.

93 Circa Iapygiæ extremitatem locū reperire au tumant, in quo bellum Herculem cum Giganti bus gesisse fabulantur: ex quo quidem sanioſum humorem tātum talémq; effluere, vt gratia grā uis olentiæ ipsius regionis mare eius innauigabi le extet. Herculem quoque quamplurima monu menta ac penè infinita in itinere quo Italiā per agrauit, reliquisse affirmant. Cæterum circa Pā dosiam Iapygiæ oppidi Dei certa vestigia appa rent, ad quæ nemini incedere fas est. Amplius quoq; circa extremam Iapygiam lapidem plau strali pondere grauem inesse, quem ab illo eleua tum, ac retro transmissum aiūt, euenisseque eum vno digito duntaxat à Deo commoueri.

In Or



In Orchomeniorum oppido, quod in Bœotia 94
extat, vulpem apparuisse affirmāt, quam cùm ca nis insectaretur, in scrobem quandam irrupisse, canémque vnà intrasse, ac latrātem magnum fe cisse sonū, ceu si campestris amplitudo ipsi ines set: venatores vero, cùm de hac re felicitatem co gitarēt, eius loci ostium fregisse, ac seipsos intro misisse: videntes autem ex quibusdam spiraculis lumen ab extra intro ferri, manifeste cætera con templasse, ac celeri cursu omnia suis magistrati bus enunciasse.

In Sardine insula Antiquorū ædificia multa, 95
pulchraq; Græcorū more elaborata extare affir mant, ac fornices nouis proportionibus expoli tos, quos Iolaus Iphiclis filius fabrefecit: qui cùm ab Hercule Thespiades accepisset, ad ea loca na uigauit, illāq; inhabitauit ob sanguinitatē, quam cū Hercule congruentē habebat, præcipue tamē quoniam Hercules vniuersas occidētis regiones subiugauerat. Ea autem insula antea quidem (vt constat) Ichnusa vocabatur, quia immensa hu mani vestigij similitudinē figurámq; sortita est, Felicem, fertilémq; superiori tempore hāc fuisse asserunt: Aristæúmq;, qui agricultura inter Anti quos maxime pollebat, eius loci indigenis impe rasse fabulantur, cùm iam pridē à magnis auū copiis occuparentur. Nunc vero tali fertilitate fortunāue minime viget, ob Carthaginiensū im perium, q vniuersos fructus cibo idoneos extir pare incolis iubebāt. at si eorum quis ipsos plan tasset, capitali pœna trucidabatur.

Inter septē Aeolias insulas vna est Lipara no 96
mine, in qua sepulchrum esse fabulantur, de quo quā plurima ac sanè monstrosa enarrant. In hoc vero conueniunt omnes noctu ad eum locum ac

cedere

cedere non tutum esse. inde enim tympanorum cymbalorúmque sonitum, risumue cum tumultu ac crepitaculis euidenter exaudiri asserũt. Aliud quoq; circa eius insulæ speluncam, quod magis horrorem portentúmue inducit, euenisse, scilicet cùm quidam ebrius ante Solis ortũ eo in speculo obdormisset, quem serui eius inuestigabant, tres dies integros cubauit, quarta vero luce à domesticis inuentus est: qui cùm ceu mortuus à domesticis haberetur, ad peculiare sui sepulchrum delatus fuit: sed repẽte surrexit, omniáq; quæ sibi eo in somno euenerant, astantibus enarrauit. Cæterum etsi hoc quidẽ fabulosum nobis videtur, nihilominus id obliuioni minime permittere operæpretium esse ducimus, cum eorum locorum
97 designationem descriptionemque fecerimus.

Apud Italiæ Cumas lacus extat, cui Aornus nomen est, qui cùm nihil (vt constat) admiratu dignũ habeat, collibus altissimis trium stadiorum altitudine circundatur, ac eius figura rotũda est, immensámque profunditatem habet. Cæterum idque mirabile videtur, cùm multæ densæque in eo loco supertollantur arbores, ac nõnullæ in eo reclinentur, nullus tamen introspicere potest in eius aqua folia cõstanter stare, sed adeo pellucida syncerăq; est, vt qui eã contẽplantur, ĩstupore maxime afficiantur. Circa Epirum autẽ, quæ ab eo haud multũ distat, calida aquæ regionem sæpe irruit, ex qua regio vniuersa Pytiphlegetõ est appellata. Quòd autem in eo nulla auis superuolet, absurdum est. qui enim ad eum accesserunt, quandã eygnorum copiam in ipso oriri referunt.
98 Insulas Syrænum intra Italiæ limites positas esse traditur circa freti promontorium, quod ad ce locum præcipitem, finibusq; redundantem iacet



tet, ac Cumas, & Posidoniã appellatã continet. Cæterum in eo earum templa constituunt, easq; excellẽter & accurate indigenæ sacrificiis venerantur: quarum hæc nomina esse dicuntur, & primam quidem Parthenopem, alteram vero Leucosiam, tertiam autem Ligiam vocant.

Mons quidã, cui Delphino nomẽ est, qui Mentoricam Istriámque mediat, cuius fastigiũ altum extat: quod cùm Mẽtores, qui littora Adriæ incolunt, ascendunt, quæ in Ponto eueniunt, longa intercapedine cõtemplantur. cæterũ in eo monte forum commune efficitur, ad iquod quidem cùm Ponti mercatores ascẽderunt, Lesbia, Chia Thasia vendunt, ex Adriatico vero mercatores amphoras Corcyraicas. 99

Amnẽ Istrum nomine, qui ex Hercyniis querẽtis effluit, bifidũ esse proditur, & partim quidẽ in Põtum, partim vero in Adriaticum mare diffundi, argumento, quòd non solum hac tempestate, sed antiquorum seculo multò magis. visum fuisse, eo quòd loca innauigabilia ibi extant: etenim cùm Iason ad Cyneas nauigaret ex Ponto, nauigasse per Italiã fama est. At inter cætera, signa, quæ nec pauca numero sunt altaria ab Iasone confecta ostendunt inter insulas quoque Adriæ vna est, in qua sacellum multo sumptu Midias Dianæ ædificauit. Amplius Iason freti plãtas minime transnauigasset, (vt dicunt) nisi illinc itinera tolerare cœpisset. 100

In Aegialã insula, quam Tyrrhenum inundat, alia optimarũ monumenta ostenduntur: atq; id quod de calculis dicitur cõstat cum iuxta Aegialã littora calculos versicolores reperiri affirment. Hi enim (vt insulæ illius Græci indigenæ aiunt) ex absterſionibus, quas vnctores corii tũc 101

tempo-

temporis efficiebant, colorē susciebāt, cùm nec antea nec posthac conspectas fuisse fabulentur. Amplius huius rei manifesta adnotarunt signa, vnum quorum est, quòd id fretum ob Symplegadum ortū in nauigabile ipsis efficitur, vtunturq; qui eo in loco extant Poëta teste. hic enim periculi difficultatem monstrat, cùm inquit nemini per loca hæc transuehi congruit, cùm pariter nauium tabulas, hominúmq; corpora vnde maris pernitiosi, ignisq; turbines aliò ferant. Cæterum circa quidem Cyaneas ignem erumpere minime asserunt, circa vero fretū, quod Siciliam determinat, effundi cùm in medio vtriusque ignium spiraculis sita sit, insulæ videlicet, quæ cōtinuo comburit, & eruptiones ignis Aetnæ, quæ sæpenumero per vniuersam regionem dilabitur.

102 Certis anni temporibus Tarētinos Atrei, & Tydei, Aiacisue, ac Laërtis liberis sacrificare asserunt: at alia & peculiari die filiis Agamemnonis seorsum sacrificiū perficere, in qua minime mulieribus fas inerat ea quæ in illis mactabantur, degustare. Apud eos quoque sacellum Achilli dicatum extat. Cæterum postquam Hercules Tarētinos occupauit, regionem, quam nunc incolūt, Herculeam nominarunt: cùm superiori tempore ab Ionibus deprædata Pliō appellaretur, etsi ab illorū prioribus debellata Sigion nominaretur.

103 Apud Sybaritas vero Philoctetem venerari ferunt, ipsúmq; cùm in patriam ex Troia reuerteretur, Malaca Crotoniata appellata condidisse, quæ per cxx. stadia à Crotona ciuitate distare asserunt, ac inibi in Apollinis templo arcus, sagittasque Herculis reposuisse enarrant. sed Crotoniatas ipsos vi inde surripuisse, ac in eorum Apollinis appendisse. Inquiunt quoq; Philoctetē vita functum



functum ibi prope fluuium Sybarin adiacere, cum Rhodiis cum Tripoleno opem ferret, qui aduersus eius regionis indigenas, vt bellum gereret aduentabat.

In Italia regio est prope metapontū, Gargaria 104
nomine in qua templum Gtææ Mineruæ inesse autumant, vbi Epij instrumenta eius scripta titulo recumbere quibus ligneum equum confeceerat. hic enim cum Palladem in somnis cerneret dignum censuit ei opera dedicare. cæterum tempus itineris differret, adeo eo in loco somno correptus fuit, vt minime nauigare posset: qua de causa sacellum id Palladis Græcæ nomenclaturam sortitum est.

Delubrum Palladi Aehaiæ dicatum ea in regio 105
ne, quam Dauniā uocant reperiri affirmāt, in quo æneas bipennes, & arma Diomedis eiusque sociorum dependere conspiciuntur. Eius vero loci canes Græcos extra aduentantes minime iniuria afficiunt, sed adulantur ac ceu domesticis alludunt. Cæterum viros omnesque mulieres Danaos ac eorum proximos vestes atras pullasve hac potissimū vt constat causa induere. etenim cùm Troianæ in captiuitatem essent deductæ, ad ea loca aduentarunt, ac verentes ne ab vxoribus Græcorum cōpatriotis seruitutem acerbiorē atque duriorem cō sequerentur, naues incendio abolierunt (vt fama est) itaque seruitutem quam verebantur effugerūt ac vna ipsarum viros secun vi, & demum æquo animo degere decreuerunt. ideo nunc quoque Apulas mulieres vestimenta solo vtentes, & in immo succinctas conspici licet quales Troianas elegāter Poeta descripsit, Helcesipelus, & Bathicolpus appellans.

Inter Picentinos sacellum Dianæ extare vulgo 106

fertur. In quo antiqui operis æneus torquis in Deæ finibus adiacet, cuius epigramma est Diomedes Dianæ. Verum enimuero hunc collo cerui circumpositum fuisse fabulantur, quem quidem cum cerui collo complicatum, & tali modo ab Agathocle Siculorum rege compertum, in Iouis delubrum appositum fuisse legitur.

107 Siciliæ promontorium est Pelorus nomine circa quod tã magnã croci copiam prouenire enarrant vt Græci eius loci incolæ qualitatem huius floris comprehendere nequeãt: colliguntque illũ ac magnis curribus in Pelotum trahunt. ac verno tempore lectulos tentoriaue sibi ex eo croco præparant atque conficiunt.

108 Polycritus, qui Siculorum res carmine cecinit, in quodam loco mediterraneo lacum quendam instar immensi clypei inesse scribit, cuius aqua pellucida, at cæteris turbulentior. cæterum si quis eam lauandi beneficio ingreditur, in latitudinem crescere: si vero rursus se abluerit, longe eum diffundi, ac tanta magnitudine augeri, vt eius extremũ quinquaginta hominũ receptaculum occuper. cũ vero hunc numerũ latitudinẽ attigerit denuò hic extumescens abluentium corpora in sublime elata super solum extra expellere, quo peracto illum ad pristinam mediocremque formam constituit. Hunc vero haud solum homines, sed quadrupeda cùm in eum se iniecerint effectum patiuntur.

In Chartaginiensium regno mons extat, cui Go
109 niũ nomen est, multis varijsque arboribus refertus, ac florum copia adeo distinctus, vt loca ei proxima, quæ suauẽ olentiam participant, gratã iter agentibus exhalationem efflent: Ea tamẽ in regione fontem olei exoriri asserunt. qui redolentiam





mentis cedriæ proximam detinet. ad hunc autem neminem accedere fas est, nisi naturæ fontis nescius sit. hac vero ignorantia seruata fontem plurimam olei copiam efferuere inquiunt, adeo vt tuto id exhaurire liceat. Aiũntque fontem prope, lapidem quendam magnum ac sponte natum inesse, qui æstatis feruore ineunte ignis flammam effundere asseritur: at algore hyemis procedente ex eodem loco atque emanationem erumpere, quæ adeo frigida est, vt collecta minime à niue differre videatur. nec quidem hoc modico tempore apertum esse, sed vniuersò quidem æstu ignẽ emittit, cæteris vero annis temporibus aquam. Cæterum coruos geminos continue circa Iouis delubrum degere affirmant, quorum vnum aliò minime aduolare, ac alterum in anteriori parte colli albicare traditur.

Sitarum Medorumque regio est, Thracia nomi 110
ne, quã fluuius, cui Ponti nomen latura extat, in- *Vide Nicã dri expos.*
undare proditur. in quo lapides ardentes deferun- *torem in*
tur, verum ligneis carbonibus cõtrarium effectum *Theriaca,*
consequuntur: etenim follibus excitati quàm citiſ- *in verbo*
sime extinguuntur, aqua autem respersi refulgẽt, *Threissa.*
pulchrioriq; flamma flagrant. cæterum cùm combu-
burunt, flagitiosam grauémq; olentiam bitumini
proximam efficiunt. qua de re reptilia ea in regione his ardentibus degere nequeunt.

Locus nec valde paruus, sed viginti stadiorum 111
amplitudine iuxta ipsos est, qui ordeum procreat,
quo homines vtuntur. equi vero, & boues, ac his
proxima id comedere nolunt, cæterum nec sues
canésue ob id stercus hominum degustare audent: at horum quicunque pulmentum panémve ex hoc ordeo confectum ederit, alui proluuiem emittunt, donec intereant.

112 Inter Scotusos Tessaliæ quendam nasci fonticulum: legitur, ex quo immensa aquæ copia effluit, qui quidem vlcera confracta aque hominum ac iumentorum membra conualescere facit. At si quis lignum, nec penitus, sed tantullum recisum in ipsum iniecerit, id denuo conglutinari, in pristinumque constitui autumant.

113 In ea Thraciæ parte, quæ supra Amphipolin extat, monstruosum quid ac incredibile his qui rem cernere minime potuerunt, euenire asserunt. Etenim pueri cum ad aucupationem ex ruribus regionibusque exeunt proximis venãdi gratia accipitres assumunt, atque ita venationem perficiũt. postquam autem ad locum idoneum aduentauerint, nominatim magno clamore accipitres vocãt. at illi puerorum voce audita, ad ipsos accedunt, atque ad arbusta iter arripiunt, vbi pueri eos baculis percutientes deprehendunt. Verum quod cuncta miranda excedit, est scilicet accipitres ipsos, cum auiculas nonnullas aucupantur eas venatoribus reportare: pueros vero deprehensis auiculis omnibus portionem quandam accipitribus tradere, ac inde discedere.

Mirandum id quoque est, quod apud Venetos
114 fieri contingit. In eorum enim regione sæpe monedularum innumerabiles copias deferri, triticumque cum seminant deuorare consumereque aiunt: quibus Venetos anteaquam ad sua loca adiolare debeant, inter terræ confinia diuersorum fructuum munera apponere, ac ea seminare consueuerunt: quæ si monedulæ degustauerint adeo in confinio remorantur, ceu si hostium impetus ipsas repelleret.

115 Ager Chalcidjcus in Thracia Olyntho proximus extat, in quo locus Scarabeorum interfector dictus



dictus est, cuius amplitudo paulo amplior area est. at si hoc in cætera, deuenerint animalia rursus ex eo discedere possunt, præterquam scarabei omnes: sed ij locum circumcirca inambulantes fame ibi moriuntur.

Iuxta Thraciæ. Cyclopas fonticulus existit, cu- 116
ius aqua aspectu quidem sincera perlucidaue incolis, ac pari modo cæteris apparet, cæterum si ex ea aliquod animal biberit, confestim obire diem aiunt.

Iuxta Bisaltas Crastoniæ regionis lepores cap- 117
tos bina iecora habere traditur. Inibique locus quidã est qui iugeris magnitudinem non recedit. in quem si bruta ingrediantur: repente interire arbitrumant. In ea quoq; regione delubrum aliud Dionysio dicatũ quod amplitudine pulchritudinéue cætera excellit: in quo cum eius festiuitates ac sacra celebrãtur, si Deus quidem annualem feracitatem agere intenderit, magnum ignis splendorem apparere asserunt. & hunc omnes qui circa delubrum degunt homines conspicere: si vero frugum penuriam, lucem hanc minimum videri, sed tenebras locum occupare, ceu cæteras noctes legitur.

In Elide domicilium quoddam inesse legitur, 118
quod ab oppido stadiorum discrimine maxime distat: in quo, cùm Dionysia persoluuntur, tres vacuos lebetes imponunt: at hæc ita agentes Græcum peregrinum quem volunt vasa explorare, foresque domicilij sigillo concludere adhortantur. & postquam portas aperire decreuerint sigilla ciuibus aduenisque ostendunt, foresque aperiũt qui vero ingrediuntur, lebetes vero repletos, socique pauimentum ac eius parietes minime oblæsos inueniunt: qua de causa nequaquam suspicandum est, vt id arte aliqua incolæ moliantur.

119 Iuxta Elides miluos quoque carnem è manibus illorum qui per plateam eam deferunt, eripere scribitur: eos tamen qui sacra conficiunt minime tangere autumant.

120 In Coronea Boeotiæ talpæ vitam degere, & terram infodere nequeũt cum in reliqua Boeotia talparum multa copia habeatur.

121 In Arcadiæ colosis fontem quendam inesse asserunt in quo musculi terrestres generantur, ac inibi interdiu noctuue pernatant, deguntque. Hoc idem in Lampsaco inueniri asserunt.

122 In Cranone Thessaliæ geminos duntaxat coruos oppidum incolere asserunt. ij vero cum enidulati fuerint, (vt constat peregre abeunt, ac alios eiusdem numeri & sui generis inibi relinquunt.

123 In Apollonia quæ regioni Atlanticorum proxime extat bitumen foscile enasci, picemque aquarum more scaturientem emanasse proditur, haud à Macedonica differentem, nisi hæc crassior nigriorue illa existeret. Cæterũ nec longe ab ea regione ignis omnibus anni temporibus flagrat: veluti circa regionem illam accolæ affirmant, at locus qui comburit non multum extenditur, (vt cõstat) sed amplitudinem quinque accumbantium occupat: redolet vero sulphur alumenve: propeautem hunc herbæ profundæ nascuntur. Sed quod alicui admirationem inducere posset, potissimum est arbores magnas inrerualio cubitorũ quatuor ab igne distare. Flagrare quoque eiusmodi ignem circa Lyciam & Megalem Peloponnensi cinctam ferunt

124 Pecora apud Illyrios bis singulo anno parere traditur ac pro maiori parte gemellos multaque ternos vel quaternos pullos parturire, nonnullas vero quinos aut plures. Amplius autem terna la-



ctis mulctra implere facile asserunt. Gallinas quoque non (vt alibi) semel, sed bis terque interdiu parere affirmant:

125 Syluestres boues Pæoniæ longe maiores exteris, qui in aliis locis reperiuntur, extare legitur.

126 Et si de Siciliæ freto quamplures alii scripserunt. attamen hic, quem retro diximus: Polycritus de ipso portentosum quid euenire cecinit, Etenim ex Tyrrheno pelago multo cum stridore ac impetu elatam fluctuationem vtriusque promontorii cacumina incurrere ait: quoniam aliud quidem Siciliæ, aliud vero Italiæ, cui Rhegion nomen est. ex vasto scilicet mari delatam in angustam fluctuationem concludi inquit, hoc autem exacto vndam in sublimi aliumue extolli multo cum fremitu, vt penitus multam loci amplitudinem ascendentis occupet, & longe astantibus eius elationem visibilẽ esse, quæ fluctuanti mari nequaquã similis extat, tum altitudine, tum albedine, tum etiam spuma. pari quoque ratione, qui in locis à mari insuper habilibus extant. inundationes ad vtraque promõtoria irruere. ac inibi conscendere affirmãt, cuius quidẽ rei enarratio incredibilis est, contemplatio vero aspectu intolerabilis extat. cum interdũ vero huius inundationes, ex mutuo confractu concertant, adeo profundum horridumque spectaculum his qui vident. exhibere necesse est, vt illorum quamplurimi se sustinere nequeant, sed præ timore hallucinati in terram concidunt. postquam vero vnda ad vtrunque deuenerit locum, ac in sublime elata vsque ad extrema fuerit in mare, quod subter labitur, defertur, ac tunc rursus maximo ragitu fremitque per immensas asperasque vortices fretum ebullire inquiũt, & ex profundo ad sublime

in orbem eleuari, ac versicolorem deferri: cum eius fluctuatio atque longitudo aliquando quidem obscura, quandoque vero cærulea, sæpenumeroq; purpurea apparere dicatur. Addebat præterea, quod animalia cuncta nec auditu nec visu huius fretũ tolerare queunt, sed ad infimas latebrosissque montium partes confugiunt. cum vero inundatio cessauerit, vortices sublimes variasque deferre, adeo reciprocationes diuersas actitantes, vt flammæ. ac aliquorum magnorũ serpentum contorsioni persimiles motiones referre videantur.

127 Athenienses cum Cereri Eleusinæ delubrum ædificarent, columnam æneam inter lapides reperisse proditur, cuius in scripto erat: DEIOPEAE hoc monumentum, quam alii quidem Musæi vxorem extitisse asserunt, nonnulli Triptolemi matrem fuisse.

128 Inter insulas. quæ nomenclaturam AEoli sortiuntur, vna extat, in qua quãdam Phœnicon, id est palmularum copiam innasci affirmant: qua de causa phœnicodam quasi palmulaceam eam appellari. Haud igitur verũ dixit Calisthenes, cum hanc arborem à Phœnicibus Syriam littoralem incolentibus cognomen adeptam fuisse enarrat: quinimo & ipsos Phœnices à Græcis vocatos fuisse tradunt nonnulli, eo quod primos mares nautas, si illac pertransibant, cunctos interficiebant, mactabantque. vnde & idiomate Perææorum cruentatæ phœniceæ appellant.

*Vide Gal. vi. de locis affectis.*

129 Oppidum est, quod ab indigenis Hypata dicitur, in quo columnam quãdam vetustissimam repertam fuisse ferunt, quam cum illam literis vetustissimis insculptã homines eius regionis, cuius fuisset, cognoscere voluerint, nonnullos Athenas columnam deferentes miserunt, ii vero dom-

Bœot



Bœotiam perambularent, causam peregrinationis quibusdam externis communicarunt, qui eos Thebas introduxere, in eo præcipue loco, quem Ismenion appellant, cum assererent inibi maximam literarum inscriptionem reperiri. Referebant quoque in illo quædam consecrata vetustissima inesse, quæ consimiles literarum numeros detinebãt: qua de causa ex cognitis earum. quas inuestigabant, inuentionem ipsos fecisse affirmant, ac huiusmodi carmina composuisse.

*Abducta boue Geryonis, pulchraque Erythia.*
*Hæc luco Alcides Persephonæ posuit.* "
*Villorem at desiderio Dea, candida venit,* "
*Nympharum vero de genere vna Erythe.* "
*Hic puerum fago complexa Erythonta sub alta.* "
*Concubitus sola hæc dat monumenta sui.* "

cum ex eo, & non ex Erythia boues abduxerint: etenim in Lybiæ, & Iberiæ regionibus nullum Erithiæ nomen reperiri legitur.

In Lybra ciuitas est, cui Iryca nomen extat: quæ quidem (vt inquiunt) sita est in eo sinu, qui 130
Hermææ & Equi promontorium mediat, vltra vero Carthaginem cc. stadiorum intercapedine, quam etiam superiori tempore à Phœnicibus conditam fuisse traditur, quam Carthago annis cclxxxvij. (veluti Phœniceæ enarrant historiæ.) In hac enim sal defossile altitudine trium cubitorum innasci aiunt, aspectu quidem candidum, minime vero solidum, sed tenacissimæ sorditiei proximum. cæterum cum Soli exponitur, consolidatur, ac persimile pario lapidi efficitur, & ex eo animal, a cæteraue suppellectilia, ac vasa sculptores scalpunt, & conficiunt.

Legitur priscos illos Phœniciæ indigenas, 131
cum ad Tartessum nauigare cœpissent, tantam

argenti copiam pro oleo atque alia sordidie nautica delata exportasse, vt nec plus habere nec surripere argentum ex eo poterãt, cæterum cum adnauigarent aliorsum, cuncta non solum quibus vtebantur argentea. sed & anchoras omnes exargento confecisse.

132 Asserunt Phœnices, qui apud Gadiram incolunt, cum trãs columnas Herculeas quatuor dierum itinere subsolano flatu expirante adnauigarent, ad nonnulla loca solitaria inculta; accessisse, vlua tamen ac alga repleta: quæ cum quidem aquarum gurges efficitur, tinguntur. cum autem inundatio, demerguntur. in quibus thunnorum prouentam copiam inuenisse, qui magnitudine & crassitia perpingues erant. hos vero cum exsiccassent, in vasis reposuerunt, ac Carthaginem detulerunt. cæterum Carthaginienses eos ex vrbe minime admouebant, sed ob excellentem virtutem quam in epulis cibisue afferunt: eos inter se illi consumebant.

133 In Pedasia Cariæ regionis Ioui sacrificia persoluuntur, ad quæ capram quandam incolæ mittunt, de qua mirandum quid euenire autumant. Incedit enim hæc ex Pedasso per lxx. stadia, ad locũ sacrificii, per turbamque multã, quæ eam contemplatur, minimeq; capra ipsa cõturbatur, neq; ab itinere auertitur cum vero funi alligatur, tramite pulchriori eũ, qui sacerdotia exportat, præcedit. Verum quod cæteris aduenis stupore induxit, est, eius cornua calices quaternos occupare.

134 In Illyriis. quæ Ardia vocantur, iuxta Autariatarum confinia, inquiunt nonnulli montem reperiri, cui vallis amplissima vna quamproxima est, ex qua multam aquæ copiã, non omnibus horis, sed vere dũtaxat resilire aiunt: quam cum indige



nigenæ exhauriunt, in cauerna aliqua interdiu quidem conseruant, noctu vero sub dio exponunt, idque per quinque vel sex dies illi actitantes, aqua induratur ac optimum sal efficitur: quod gregis gratia præcipue reseruant: sal etenim ad ipsos minime vehitur eo quod loca longa intercapedine à mari distantia incolant: nec ipsi cum alienigenis degant. Salis igitur maximo vsu greges pascuntur, sal enim bis anno gregibus cibi causa exhibẽt, quod si non agere quamplurimam gregis copiam ipsis perire contingeret.

In Argo vero locustarum quoddam genus in- 135
nasci affirmant quod aduersus scorpiones pugnator nuncupatur, etenim cum scorpionem videret, in eum surgit: pari passu & scorpio contra illam irruit hæc quidem in orbem oberrans in ipsum stridorem emittit: ille vero aculeũ, quo arma tus est eleuat, & in eam circunducit, mox aculeum remittit, ac demum omnimode extendit. at illa eum circumcursat, illumque postremo aggreditur, ac deuorat. Cæterum hanc comedere locustam scorpionum ictui optimum inesse medicamentum aiunt.

Vespas quæ in Naxo oriuntur, cum viperam 136
ediderint, eius venenum attrahere proditur: etenim caro viperæ gratissima gustui vespæ extat. verum si postea aliquem aculeo feriunt, eas adeo illi circumdolentias efficere asserunt, vt in illis grauiores morsibus viperarum videantur.

Venenum Scythicum, quo milites Scytha- 137
rum Sagittas respergunt, ex vipera confici asserunt, Scythæ etenim vsui reseruant viperas, quæ iam sobolem procrearunt, veluti apertum est. has vero capiunt, ac nonnullorum dierum spatio liquescere dimittunt. cum autem eas

idoneæ

idoneæ putrefactas esse illis visum fuerit, ij vniuersum hominis sanguinem in olla effundentes, intra sterquilinia defodiendo operiunt. cæterum cum sanguis putruerit, eius partem superiorē, quæ aquæ effigiem representat, vitulentæ saniei viperæ commiscent, ac hoc pacto lethalem veneni speciem efficiunt.

138 Regio in Cypro insula extat, cui Curium nomē est, in qua quoddam serpentum genus inesse ferūt quod proximam cum aspide Aegypti naturam atque facultatem obtinet: præterquam quod si hyberno tempore aliquem morsu defixerit, minime eum lædit. Id autem alia de causa non euenire solet, nisi quod animal illud condensatum, atque cō tractum algore hyemalis prorsus impotens, nisi ea lesiat, redditur.

In Ceo quoddam apij genus innasci autumant à quo siquis spina percussus fuerit moritur.

140 In Mysia album quoddā vrsarum genus inesse aiunt, cuius fœminæ cum a venatoribus insequuntur huiusce modi expirationem flatus emittunt, vt insectantium canum carnes putrescere dicantur. pari quoq; modo cæteras belluas cibo ineptas respiratione reddere solet, cæterum si quis vi prope eas aduentauerit, tam magnam pituitæ copiā ex ore effundunt, ceu cōstat, quæ faciei canum ac simili ratione hominum adhærent, vt ipsos suffocare vel excæcare videatur.

141 In Arabia hyænarum quoddam genus reperiri affirmant, quod cum belluam vel hominem præuiderit eos obtumescere facit, ac si in vestigio hærere, vt corpora mouere nequeant. cæterum cum hæc fecerit, id hyænarum genus flagrare videtur.

*Syriam. 142 Circa * Lyciam animal quoddam inesse ferunt,



runt, cui Leontophonon nomen extat. leo enim interiit cum hic ex eo aliquid deuoraverit, tamet si id sponte non efficiat, sed ipsum animal fugit. cæterum si venatores eum capiunt, veru decoquūt & farinæ albæ modo aliis carnibus feræ insidiantes aspergunt: quas si Leo gustauerit, ab illis repente interimitur. Illud quoque animal aduersus leonem vrinam spargit, quam Leoni exitialem inesse ferunt.

Vultures ab odore vnguentorum, si quis eos iunxerit, vel aliquod edendi gratia eis delibutum dederit, examinari affirmant. Scarabeos pari quoque passu rosarum redolentia interire proditur. 143

In Sicilia, ac in Italia mustèlas inesse enarrant quarum morsus exitiales sunt, cæterum nec molles, & imbecilles, veluti illæ quæ apud nos degūt, extare traditur. At eo in loco muscarum quoddā genus reperiri, quod circunquaque aduolare dicitur, ac cum momorderit animalia aliqua, ea interire efficit. 144

In Mesopotamia Syriæ prouinciæ, ac in Istronte anguiculos oriri ferunt, qui indigenas minime mordent, aduenas vero mirum in modum iniuria afficiunt. 145

Circa Euphratem exacte hoc euenire asserunt. etenim quamplurimi angues præcipue iuxta vtrasque amnis ripas versantur. quocirca in meridie ibi visuntur: cum vero lux deficit. in altera duntaxat riparum parte apparent. cæterum illi Syrios dormientes minime morsu defigunt, aduenas vero Græcos auide & cum cruciatu examinant. 146

In Thessalia serpentem, Sacrum, nomine, cuncta non solum quæ momorderit, sed etiam quæ tetig 147

tetigerit interficere fama est. qua de causa cum apparuerit ac fibilus eius auditur, tametsi id raro videatur, serpentes, & viperæ ac cætera omnia bellu rum genera fugiunt. Magnitudo huic non ad amplitudinem sed ad mediocritatem tendit: Verum in Teno ipsius Thessaliæ oppido tandem à mulierecula hic occisus fuit, hoc maxime (vt dicunt) modo. Mulier orbem in terram descripsit, veneficiaque in eo deposuit, ac ad eum vna cum filio introiuit moxque eius fere sibilum voce imitata est. hic vero aduersus eam resibilauit. & ad orbem accessit. at cùm illi quàmproxime aduentaret circulo, sopore mulierem labefactabat, adeo vt illa fere minime sopori resistere posset, cæterũ puerum iuxta ipsam sedentem, dormientemque verberibus excitabat, seque increpabat, & filium. ac asserebat si dormire perrexissent, facile interituros: at si coacta vi bestiola orbem ingrediantur, ambo salutem consequuturos; cum vero serpens in circulum se coniecisset ipsum quamprimum mortuum esse memoriæ proditum est.

*De Admirandis auditionibus commentarioli finis.*



# ARISTOTELIS PHYSIOGNOMICA.

*Physiognomicam scientiam reperiri.*

## CAP. I.

QVod & animæ sequuntur corpora & ipsæ secundum seipsas non sunt impassibiles à moribus corporis, id manifestum fit valde in ebrietatibus & ægritudinibus multũ nanque animæ immutatæ videntur à passionibus corporis. Et è cõtrario quod corpus cõpatitur passionibus animæ manifestũ circa amores & timores, & dolores & voluptates. Amplius autẽ & in iis quæ naturæ fiant, magis vtiq; aliquis cõspiciet quod corpus & anima ita se habent connaturalia vt fiant causæ plurimarum passionum adinuicem. Nunquã enim animal factum vel generatum est tale, quod formam haberet alterius animalis. animam vero alterius, sed semper eiusdem corpus & animam quare necessarium est consequi tali corpori talem formã. Amplius autem & scientes circa vnumquodque animalium ex forma possunt considerare equites equos, & venatores canes. Si autem hæc vera fuerint (semper autẽ hæc vera sunt) erit sanè ars quæpiam Physiognomiæ.

Priores

*Priores tribus modis, Physiognomiam speculasse ac tradidisse non tamen perfecte. Cap. II.*

PRiores itaq; Physiognomones iuxta tres modos aggressi sunt hanc disciplinam, quisque iuxta vnum alij quidem ex generibus animalium physiognomizant, ponentes secundum vnumquodque genus figuram quandam animalis, & speciei animam. Alij autem in talibus corpori similem habenti corpus & animam similem putabant. Alij autem quidam hoc quidem faciebant, non ex omnibus autem animalibus experiebantur, sed distinguebant ex ipso genere hominum secundum gentes quæcunque differunt secundum vsus & mores: vt Aegyptij & Thraces. & Scythiæ similiter electione signorum faciebant. Quidam autem ex moribus à parentibus, quales mores dispositionem sequatur: sequitur autem vnicuique mos, iracundo, timido coeunti, & in vnaquaque aliarum passionum. Est autem secundum omnes modos hos physiognomizare, & adhuc secundum alios, & electionem signorum dissimiliter fieri. Hi quidem igitur iuxta mores solùm physiognomizant. Primum quidem quod quidam non iidem cùm sint mores qui sunt in facie, eodem habent: vt fortis & inuerecundus eosdem habent animabus vel intellectibus multum separantur. Secundo autem, quod secundum quædam tempora mores non eosdem, sed aliorum habent. tristibus enim existentibus, quãdoq; contingit diem delectabiliter ducere & morem accipere qui est hilaris: & è contrario hilarem contristari, vt mos qui erat in facie permutetur. Adhuc cum his, de paucis vtique semper apparentibus coniecturam, quis accipiat: Qui autem ex feris physiognomisant: non recte electionem signo



signorum faciunt. non enim est vtique dicere percurrentem formam vniuscuiusq; animalium, quod quicunque vni similis huic corpore erit, & anima similis erit. Primum enim, vt simpliciter dicam, nullus vtique videbit hominem ita similem bestiæ, sed assimilantem in aliquo. Adhuc autem cum his, animalia pauca quædam propria habent signa, multa vero cõmunia. quare si quis similis fuerit non secundum proprium, sed secundum commune aliquid, quo pacto magis iste leoni quàm ceruo similior dicetur. decẽs enim propria signa proprium quid significare communia autem cõmune. Cõmunia ergo signa nihil vtique manifestabunt physiognomonizanti. Si autem aliquis propria vniuscuiusque ferarum elegerit, non vtique habebit assignare cuius sunt hæc signa. merito enim proprij proprium. Nihil autem proprium animalium physiognomonizatorum in anima habebit vtique aliquis accipere. neque enim forte solum leo, sed alia multa: neque timidum lepus, sed & alia infinita. Si ergo neque cõmunia eligenti manifestum aliquid fit, neque secundum propria, non vtique erit, vnumquodque animalium aspicere sed ex hominibus electionem facere oportet patientibus eandem passionem vt si fortis inspiciat aliquis signa fortia animalium in vnũ accipientem oportet perscrutari, quæ passiones his quidem omnibus insunt, aliorum autem animalium nulli accidant. Si enim ita quis elegerit, quòd eadem sunt signa fortitudinis prædictis animalibus, non solum fortitudinis cõmunem inesse passionem eorum quæ sunt in intellectu, sed & alia quædam, sic vtique dubitabit, vtrum fortitudinis aut alterius signa sint. Sed oportet ex pluribus eligi animalibus, &

non habẽtibus vllam passionem cõmunem manifestam, cuius vtiq; signa respicias. Quæcunque itaq; signorũ stabilia sunt, aliquid stabile significant. quæ autẽ aduenium, atque discedũt & deficiunt, quomodo vtiq; signũ verum erit non manentis in intellectu. Siquidẽ enim stabile aduenies, & deficiẽs signũ quis suscipiet, contingeret vtique ipsum quidem verum esse, nõ tamen conueniens erit, non perpetuo consequens rem. Quæcunque autem passiones factæ in anima non in aliquo permutant signa quæ sunt in corpore, quibus vtitur Physiognomon, non erũt huiusmodi cognitiones artis vt quæ sunt circa opiniones, & scientias Medicum, aut Citharœdum non contingit cognoscere. nam addiscens aliquam disciplinam nullum permutauit signorum, quibus vtitur Physiognomon.

*Quod sit Physiognomonia, & ex quibus generibus Signa in vniuersum accipiantur. Cap. III.*

OPortet ergo determinare circa qualia quædam est Physiognomonia (quoniam nõ circa omnia) & ex quibus singula signa accipiãtur. deinde consequenter de manifestissimis circa vnumquodq; declarare. Physiognomonia ergo est, sicut & nomẽ ipsius dicit, circa naturales passiones eorũ quæ sunt in intellectu, & eorum quæ super acquiruntur, quæcunque aduenientia transmutant signa eorum quæ physiognomonizantur. Qualia autẽ hæc sint posterius declarabitur, nunc autẽ dicam ex quibus generibus signa accipiuntur & sint omnia. Ex motibus enim physiognomizant, & ex figuris, & ex coloribus & ex moribus in facie apparentibus, & ex lenitate, & ex voce, & ex carne, & ex partibus, & ex figura totius corporis. In vniuersum igitur huiusmodi sunt

*Physiognomoniæ definitio.*



di sunt, quæ dicunt Physiognomones de omnibus generibus, signa. Si igitur immanifesta, aut non rectè designans esset talis explicatio, sufficiant quæ dicta sunt. Nunc autem fortasse melius est singillatim de omnibus, quæcunq; manifesta sunt ab his quæ physiognomonizamus, exactius explanare, dicentem cuiusmodi signa referantur ad singula, quæcunque in prædictis declarata non fuere.

*Quo pacto per vnumquodque dictorum generum Signa accipiantur. Caput. IIII.*

COLORES ergo significant, acuti quidem calidum, & sanguineum: albi cum rubore, bonam indolem, quando in leui corpore accidit hic color.

PILI vero, molles quidem timidum, duri autem fortem. Hoc autem signum sumptum est ex omnibus animalibus. timidissimus enim est ceruus, lepus, ouis, & pilum mollissimum habent: fortissimum autem leo, aper, & pilum durissimũ habent. Est autem & in auibus hoc idem videre. vniuersaliter enim quæcunq; quidem habent duram pennam, fortes: quæcunque autem mollem, timidæ: & particulariter est hoc quidẽ videre in coturnicibus, & in gallis. Similiter autem & in generibus hominum hoc idem accidit. quicunq; enim apud septentrionem habitant, fortes sunt, & durorum pilorum: qui autem apud meridiem, timidi & molliem pilum habent. Pilositas autem quæ est circa ventrem, loquacitatẽ significat. hoc autẽ refertur ad genus auium. proprium enim auis est eorum quæ sunt circa corpus. pilositas quæ circa ventrem est: eorum autẽ quæ sunt circa intellectũ loquacitas.

CARO autem, dura quidem, & boni habitus natura insensibilem significat: lenis autem & in- φύσις.

geniosum, & instabilem: nisi in forti corpore & habenti extremitates potentes hoc acciderit.

MOTVS autē tardi quidem mollē intellectū: acuti vero calidū. INVOCE autē, grauis quidē & intensa fortem: acuta autē & remissa timidum.

FIGVRAE autem, & PASSIONES, quæ apparent in facie, secundū similitudines accipiuntur passionis: quādo enim partitur aliquid, fit vt si hoc habet, quādo aliquis irascitur, irascibi le signum eiusdem generis. Mas autē fœmina ma ior est, & fortior, & extrema corporis fortiora & erassiora, & habitus melioris, & potiora secundum omnes virtutes.

*Inueniendorum ex signis Habituum, & Passionum modi duo. Cap. V.*

SIgnorum autem, quæ sunt in partibus fortiora sunt, ea quæ accipiuntur in moribus manifestis, & secundū motus, & figuras. Omnino autem vni quidem signorū credere stultum est: quando autem plura conueniunt, quæ sunt in vno, magis vtiq; conuenient, vt quis accipiat vero esse signa Est autem alius etiam modus secundū quem aliquis physiognomonizet: nullus tamen aggressus est. Vt si necesse sit iracundum & tristem & paruum secundum morem, inuidum esse, etsi nō sint inuidi signa: ex illis tamen prioribus contingat vtiq; Physiognomoni & inuidū inuenire, maxime quidem, quando talis proprius modus fuerit eius qui philosophatus fuerit: posse enim quibusdam existētibus necessariū esse, propriū putamus Philosophiæ, quod est, quando contraria sunt huic iuxta passiones, physiognomizare etiam mala.

*Dubitatio.* De voce secundum passionem intendens quispiam, acutam putarit, duplicem ob causam, iracundi vocem ponendam esse. Indignatus enim & iratus intendere consueuit vocem, & acute loqui: segniter autem dispositus remittit vocem, & grauiter loquitur. Rursus autem animalium, fortia quidem grauis vocis sunt, timida autē acutæ vocis. leo quidem, & taurus, & canis latrabilis, & gallorū qui sunt animosi grauiter vociferantur: ceruus autē, & lepus acutæ vocis sunt. Sed forte & in his melius est, non eo ꝙ ipsorum vox est acuta & grauis, fortem aut timidum ponere: sed arbitrandum est, fortem quidem fortis, remissam autem & imbecillem timidi. Est autem potissimum, quando signa non sunt confessa sed subcontrariantia, nihil ponere, nihi sint discrepantium inter se quædam quibusdā credibiliora. Et maxime quidē in speciem, sed non in tota genera referre decet: similiora enim sunt quæsito. non enim totum genus hominum physiognomizamus, sed quædam eorum quæ sunt in genere. *Solutio.*

*Passionū, Habituumue multorum signa. Cap. VI.*

FORTIS CORPORIS SIGNA. Pili duri figura corporis erecta: ossa & costæ & extrema corporis fortia & magna: & venter amplus, & contractus ad se: armi lati & distantes, nec valde colligati, nec omnino dissoluti: collum forte, non vehementer carnosum: pectus carnosum & latum: coxa contracta: suræ deorsum contractæ: oculus chiropus, nec valde expansus nec omnino clausus: qualidior color in corpore: acuta frōs, recta non magna: * natis neque lenis, neque omnino rugosa. **al. genas*

TIMIDI SIGNA. Pili molles: corpore inclinatus non erectus: suræ sursum contractæ: circa faciem subpallidus: oculi imbecilles, & nimium cōniuētes: & extrema corporis imbecilla: & crura parua: manus longæ & graciles: lumbi autem:

parui, & imbecilles: figura contensa in motibus: nõ temerarius, sed supinus, & stupefactibilis: mos qui est in facie mobilis: mœstus.

INGENIOSI SIGNA. Caro humidior & mollior, nõ boni habitus, neque valde pinguis: quæ circa humeros & collum macriora, & quæ circa faciem: & colligata quæ sunt circa humeros, & inferiora laxata: bene soluta, quæ sunt circa costas: & secundum dorsum nõ carnosus: corpus album mixto rubore, & purum: cutis tenuis: pili non valde duri, nec valde nigri: oculus charopus humidus.

INSENSATI SIGNA. Quæ sunt circa collum & crura, carnosa, complexa & colligata cotyle rotũda: humeri sursum contracti: frons magna, circularis, carnosa: oculus pallidus, obtusus: crura circa talum crassa, carnosa, rotunda: mandibulæ magnæ, carnosæ: lumbi carnosi: crura lõga: collum grossum: facies carnosa, sublonga satis: motus autem, & figuram, & morem qui appa ret in facie, secundum similitudines accipit.

INVERECVNDI SIGNA. Oculus apertus & splendidus: palpebræ sanguineæ & crassæ: & parum curuus: humeri sursum eleuati figura non rectus, sed parum pronus: in motibus præceps rubeus corpore, color sanguineus, facies rotunda, pectus sursum contractum.

MODESTI SIGNA. In motibus tardus, & loquens tarde: vox tarda, & plena spiritu, & mitis: oculus hilaris: non splẽdidus, niger, neq; valde apertus, neque omnino clausus: cõniuens tarde, oculorũ enim qui celeriter conniuent, hi quidem timidum illi vero calidum significant.

IVCVNDI SIGNA. Frons ingens, & carnosa, & lenis: quæ sunt circa oculos humiliora appa



apparet, & facies somnolẽtior, neque intense aspiciens neque remisse: & in motibus tardus erit, & remissus figura, & more qui est in facie, non præceps, sed videtur bonus.

TRISTIS SIGNA. Rugosa facies: & macri oculi, confracti simul autem & confractiones oculorum duo significant, hoc quidem molle & fœmininum, illud vero demissum triste, & in figura humilis, & motibus remissus.

CINAEDI SIGNA. Oculus cõfractus genu flexibilis, inclinatio capitis ad dextram, motus manuum supini & dissoluti, & ambulationes duplices, hæ quidem circunclinantis, alia vero tenentis lumbos, & oculorum circũspectiones, qualis vtique fuit Dionysius Sophista.

AMARI SIGNA. Facie remissus: nigri coloris, macer, quæ sunt circa faciem quasi abrasa: facies rugosa, don carnosus, recti crinis & nigri.

IRACVNDI SIGNA. Rectus corpore, figura bene conflatus, animosus, subrufus, humeri distantes, & magni, & lati: extrema magna, & fortia lenis & circa pectus, & circa bunones: barbatus probe, capillorum ambitus floridus, deorsum tendens.

MANSVETI SIGNA. Grauis specie, carnosus, caro humida: & multa: bonæ magnitudinis, & commensuratus: figura curuus cursus capillorum sursum vulsus.

SIMVLATOR. Pinguia quæ circa faciem & quæ circa oculos rugosa, somnolenta facies de more videtur.

PVSILLANIMVS. parnorũ membrorũ & paruorum articulorum, macer, & parnorum oculorum, & paruæ faciei, qualis vtique fuit Leucadius Corinthius.

TALORVM AMATORES, iusto bre-
uiorē cubitū habentes, gaudentes parta victoria.

* al. cōtro uersarum. AMATORES *MVMERVM, quibus cunque est superius labium eleuatum, & formā proni & rubicundi.

MISERICORDES, quicunq; pulchri & albi coloris, & habent oculos pingues, & nares deorsum distātes, & semper plorāt. Idē etiā amatores sunt mulierū & genitores fœminarū, & circa mores in amorē propensi, & semper memores, & ingeniosi, & calidi. horum autem signa dicta sunt. Misericors est sapiens, & timidus, & modestus, immisericors insipiens & inuerecundus.

VORACES sunt hi, quibus id quod est ab vmbilico ad pectus, maius est, quam quod inde est vsque ad collum.

LVXVRIOSVS, qui est albi coloris, & hirsutus. rectis capillis, & crassis. & nigris: & tempora hirsuta, oculus pinguis, & lasciuus.

AMATORES SOMNI, q̄ habēt superiora maiora, curuipedes calidi, habētes carnē boni habitus, elegantes forma, & hirsuti circa vētrē.

MEMORES, qui habent superiora maiora pulchra, & carnosa magis.

*Inuestendorum Signorum methodus.* CAP. VII.

VIdētur autem mihi anima & corpus cōpati ad inuicē: & animæ habitus alteratus simul alterat corporis formā, & iterum forma corporis alterata simul alterat animæ habitum. Quoniam enim animæ inest tristari & lætari: manifestum est quod tristes obscurāe faciei sunt. & gaudētes hilaris. Si quidē igitur anima dissoluta, formā, quæ est in corpore, adhuc existere cōtingeret, sane & ita anima & corpus comparabilia forent: quamuis conferētes adinuicē non essent nūc autem manifestum



stum & vtrunq; sese consequitur. Maxime tamen id ex hoc manifestū fiat. Mania enim videtur esse circa animā: & Medici medicamentis purgantes corpus, & victibus nonnullis vtentes in ipsis permutāt animā à mania, curationibus autē corporis, simul & corporis forma soluitur, & anima a mania permutatur. Quoniam igitur vtraq; soluuntur, palā, quod sibi inuicem conferunt. Manifestum insuper est, quod virtutibus animæ similes corporis formæ fiunt: quare sunt omnia similia in animalibus eiusdem cuiuspiam declaratiua: hæc vero minime. Et quibus animalia operantur, hæ quidem propriæ passiones vniuscuiusque sexus animalium sunt, illæ vero cōmunes. In propriis igitur operibus animæ, propriæ passiones secundum corpus, in communibus autem communes. Cōmunes quidem sunt, iniuria, & quæ est circa venerea excessus. iumentorum, & non iumento rum cōmunis est iniuriā: porcorum, & asinorum habitus qui est circa venerea. Propriū autem est. in canibus quidē, contumeliosum: in asinis autem indolens. Quomodo igitur commune quidem & proprium conuenit distingui, dictum est. Opus autem est multa consuetudine, si quis debet esse sufficiens ad dicendum singula de his. Quoniam enim ea quæ videntur in corporibus, dicuntur referri ad similitudines quæ fiunt ab animalibus, & ab actibus: & proprietates quædam aliæ à caliditatibus, & frigiditatibus fiunt. Sunt autem horū quædā apparentium in corporibus parua differentia vtentia, & eodem nomine appellata: vt pallores qui fiunt à terroribus, & qui à laboribus: hi enim eodē nomine vtūtur, & differētiam paruam habēt inter se: parua autē differentia existēte, non facile est cognoscere: sed ex consuetudine forma

apparentem quidē assumere conuenientiā oportet. Est igitur & optimus modus & citissimus, qui est ab apparente conuenientia, & contingit ita eo modo vtentem multa dignoscere: & non solum vniuersaliter vtile est: sed ad electionem signorum singularium. electorū enim quodque decere oportet tale, vt quod eligitur vult. Amplius autē secundum electionē signorum, & syllogismo, quo vti opus est, vbicunq; contingat, adiungētes conuenientibus conuenientia, vt si inuerecūdus erit & paruiloquus & fur vtique erit & illiberalis. & fur quidem consequens inuerecundiam, & Paruiloquium illiberalis. In talibus igitur quibusque oportet hoc modo cōgruentem fieri methodum.

*Passionum, Habituumque in animalibus distinctio, ex masculini fœminiuique generis comparatione.* CAP. VIII.

NVnc autem primum tentabo genera animalium distinguere, & quæ ipsorum conuenit permutari, vt sint fortia & timida, & iusta & iniusta. Distinguendum autem animalium genus in duas formas, in masculinam & in fœmininam, adiungentem id quod congruit vnicuique formæ, sunt enim similes. Et quas conamur nutrire, ferarum, mansuetæ magis, & molliores secundum animas fœminæ maribus sunt, minus autem fortes. verum nutrimenta, & assuetudines manuum recipientes magis, quare existētes tales erunt ferme minus iracundæ maribus. Manifestum autem id ex nobis alicubi est: quoniam cum ab ira vincimus, difficillime persuasibiles, & maxime respicimus, ne quicquam vsquam eueniat, ferimur autem ad violentiam inferendam: & patrandum, ad quodcunque ita impulerit. Videntur autem mihi magis malefica fieri fœminæ masculis, & proteruiora, petulantioraue, & illiberaliora, & impotentiora. Fœminæ igitur, & quæ apud nos nutriuntur, valde manifesta sunt: quæ vero sunt apud Syluam, omnes confitentur & pastores & venatores, quòd talia sunt qualia sint dicta. At vero & hoc manifestum est, quòd singula in vno quoque genere fœmina mare minoris capitis, & angustioris faciei, & gracilioris colli sit, & pectora imbeciliora habent, & minorum costarum sunt: coxendices autem, & coxas magis carnosas maribus. genua autem flexibilia, & crura gracilia habent. pedes vero pulchriores; & formam totius corporis molliorem, quàm fortiorem. minus neruosa autem sunt, & molliora prædita humidioribus carnibus. Masculina autem his omnibus contraria habentia, eo quòd natura sunt fortiore, & iustiore, genere fœmina autem est timidior, & iniustior natura.

*De Leone, omniū animaliū perfectissime maris formam assimente.*

His ita se habentibus, videtur Leo omnium perfectissime assumpsisse maris formam.

Leo enim habet os ingens: faciem autem quadratiorem, non valde osseam: superiorem mādibulam non proëminentem, sed æqualiter pendentem deorsum. nasum autem magis crassum quàm subtilem: oculos charopos, concauos, non valde rotundos, neque valde proëminentes: magnitudinem vero moderatam: supercilia ingens: frontem quadratam, ex medio subcauam magis. ad supercilia autem & nasum sub frōte velut nubes superstat. supra frontem, iuxta nasum, habet pilos inclinatos, veluti asylum: caput moderatum, collum bonæ longitudinis, crassum, commensuratum: crinibus flauis, non planis neque valde crispis quæ sunt circa humerorū claues spacioſa magis, quàm cōiuncta, humeros fortes, & pectus

cus iuuenile, & meta phrenū larum: robustis costis, robustoq; dorso abunde præditum. coxendices non carnosas, nec coxas: crura fortia & neruosa: gressum iuuenilem: & totum corpus articulatum, & neruosum, neque valde durum, neq; humidum, ambulās autem tarde, & magnifice incedens, & se in humeris cùm ambulat quatiens. Talis igitur est secundum ea, quæ sunt circa corpus.

διατεῖν, *Trans. aut, le. datiuum* δοτικὸν, *De Pardali, omnium animaliū fœmineam formā maxime ostendentem.*

Quæ autem circa animam* susceptiuum, & liberale, magnanimum, & amans victoriæ, & māsuetum iustum, & amans eorū cum quibus versetur.

Pardalis autem, inter ea quæ fortia videntur fœmineæ formæ magis est, nisi secundum crura. hic autem operatur & aliquod opus fortitudinis facit. Habet enim faciē paruam, os magnum, oculos paruos, albos, concauos: ipsosque circumuagantes magis: frontem longiorem, versus aures rotundam magis, quam planam: collum longum valde, & gracile: pectus expers costarum, & longum deorsum: coxendices carnosas, & coxas: quæ vero sunt circa illa & vētrem, leuia magis. color autem varius, & totum inarticulatum, & in commensuratum est. Forma corporis talis est. In his autem quæ circa animam, pusillum est. & furax, & in summa dolosum. Animalia igitur, quæ videntur fortia, conuenientiora trāsumpta, masculinæ formæ & fœmininæ, dicta sunt. alia autem quæcunque sunt, facile est vtiq; pertransire. Quæcunque autem ad physiognomonizandum inspice rē conueniet ab animalibus, in electione signorū dicetur. Electio autem signorum, quæ est secundū homines, sic accipitur.

*De Pedibus.*

*De Passionum, Habituumque signis, à corporis partibus sumptis. Cap. VI.*

QVibuscunq; pedes bene formati, & magni & articulari, & neruosi, fortes sunt secundum ea quæ sunt in anima. reducuntur ad masculinum genus. Quicunq; autē pedes paruos, strictos, inarticulatos habent, delectabiliores autē visu quàm fortiores, molles sunt secundum ea quæ sunt in anima referuntur ad fœmininum genus. Quibus pedū digiti curui, inuerecundi, & quibus vngues curui, referuntur ad aues curuorū vnguium. Quibus pedum digiti coniuncti sunt timidi. referuntur ad coturnices strictorum pedum in lacubus degentes.



*De talis pedum.*

Quibuscunque ea quæ circa talos sunt & neruosa, & articulata, fortes secundum animam, referuntur ad masculinum genus Quicunq; autem sunt talis carnosi & inarticulati, molles secundū animam referuntur ad fœmininum genus.

*De Cruribus.*

Quicunq; crura habent articulata, & neruosa, & robusta, fortes secundum animam. referuntur ad masculinum. Quicunque crura gracilia, neruosa habent, luxuriosi. referūtur ad aues. Quicūque crura valde superflua habent, vt parum diruptia, odibiles & inuerecundi. referuntur ad apparentem decentiam. Qui genu flexiles, cinædi. referuntur ad apparentem conuenientiam.

*De Coxis.*

Qui habent coxas osseas & neruosas, fortes sunt referuntur ad masculinum. Qui habent coxas osculentas, & superfluas, molles sunt. referuntur ad fœmininum.

*De Natibus.*

Quicunque nates acutas osseas habēt sunt fortes. Quicunq; vero carnosa pinguia habent, molles. Quicunque autē habent modicā carnē veluti desiccatam, mali moris sunt: referūtur ad simias.

*De Lūbis.*

Qui lumbosi, amatores ferarum. referuntur ad canes, & leones. Videbit vtique aliquis & canes ferarum amatores lumbosos esse.

Quibus

*De ventre.* Quibus ea quæ sunt circa ventrē, pinguiā, bene fortes. referuntur ad masculinū. Quicunq; autem non pingues, molles. referuntur ad indecentiam.

*De Dorso.* Quibuscunque dorsum ingens, & forte, fortes sunt anima, referuntur ad masculinum. Qui autem dorsum strictum, & imbecille habent, molles. referuntur ad fœmininum.

*De coxis.* Qui autem robustis coxis, fortes sunt secundum animam. referuntur ad masculinum. Qui autem non bene coxati, molles sunt secundum animam. referuntur ad fœmininum. Quicunq; autem excosti circumtumidi sunt sicuti inflati, loquaces, & stultiloqui. referuntur ad boues, vel ad ranas.

*De Vmbilico.* Quicunque autem maius habent, quod ab vmbilico est vsque ad extremum pectoris, eo, quod est ab extremitate pectoris vsque ad collum, voraces, & insensibiles. Voraces quidem, quoniam ventrem magnum habent, quo appetunt cibum: insensibiles autem, quia angustum locum habēt sensus, atque in arctum redactum, ab eo qui recipit cibum, ita vt sensus grauati sint propter repletiones ciborum, aut indigentias.

*De Pectore* Quicunque autem pectus magnum habent, & dearticulatum, fortes sunt secundum animam. referuntur ad masculinum.

*De Metaphreno.* Quicunque autem metaphrenum habent magnum, & bene carnosum, & articulatum, fortes sunt secundum animam. referuntur ad masculinum. Quicunque autem imbecille, & non carnosum, & inarticulatum, molles sunt secundum animam. referuntur ad fœmininum. Quibuscunque autem metaphrenum curuum est valde, humeriq; ad pectus contracti, mali moris sunt. referuntur ad apparentem conuenientiam: quia apparent ea quæ antrorsum, conuenientia videri. Quicunque autem meta phrenū eminens habent, gloriosi, & insipientes. referūtur ad equos. Quoniam autem neque curuum vehementer oportet esse: neq; cōcauū metaphrenū, quærēdū bene formari.



*De Ceruice & Humeris.* Quibuscunq; ceruix articulis eminentibus & humeri fortes sunt secundum animam. referuntur ad masculinum. Quibuscūque autem ceruix, & humeri imbecilles, & inarticulari, molles sunt secundum animam, referuntur ad fœmininum. Hæc dico, quæ dixi pedibus, & coxis.

Quibuscunq; humeri bene soluti sunt, liberales sunt secundum animam, referuntur ad apparens, quia conuenit apparenti formæ liberalitas. Quibuscunq; vero difficulter solubiles, cōuulsi, illiberales. referūtur ad apparentē conuenientiam.

*De his quæ sunt circa clauē Colli.* Quibuscunque autem ea quæ sunt circa clauem colli bene solubilia, sensibiles. nā bene solubilibus existētibus his quæ circa clauem, facile motum sensuum recipiunt. Quibus vero quæ circa claues sunt, cōclusa sunt, insensibiles. difficulter enim solubilibus existētibus his quæ circa clauē, impotentes sunt recipere motum sensuum.

*De Collo.* Qui collum grossum habent fortes sunt secundum animam. referuntur ad masculinum. Qui autem habent gracile, imbecilles sunt. referūtur ad fœminas. Quibus collū crassum, & carnosum, iracūdi referūtur ad iracūdos tauros. Quibus autē est ingens, non valde crassum, magnanimi, referūtur ad leones. Quibus est lōgū gracile, timidi sunt referūtur ad ceruos. Quibus autē breue valde, dolosi, & insidiatores. referuntur ad lupos.

*De Labiis.* Quibus sunt labia gracilia & in extremitatibus laxa, it. vt superius labium ad inferius protendatur ad cōiunctionem labiorum, magnanimi sant. referūtur ad leones. Videbit vtiq; aliquis hoc & in

& in magnis & fortibus canibus. Quibus labia gracilia dura, circa dẽtes caninos supereminentia, qui ita habent, ignobiles. referuntur ad sues. Qui autem crassa labia habent, & superius inferiori propendens, fatui: referũtur ad asinos. Quicunq; autem superius labium, & gingiuas proeminentes habẽt, amatores sunt contumeliarum referuntur ad canes.

*De Naso.* Qui autẽ nasum extremum crassum habent, segnes. referuntur ad boues. Qui autẽ nasum extremum à summo crassum habent, insensibiles sunt. referuntur ad sues. Qui autẽ nasum extremũ acutũ habent, sæue irascibiles sunt. referuntur ad canes Qui autem nasum habent rotundum & obtusum, magnanimi. referuntur ad leones. Qui vero nasum extremũ subtilem habẽt, auiculares. Quibus incuruus à frõte mox deducitur, inuerecũdi sunt. referũtur ad coruos. Qui autẽ aquilũ habẽt articulatũ à frõte, magnanimi. referuntur ad aquilã. Qui autẽ nasum cõcauũ habẽt, & quæ ante frontem rotundã, circunferentiam autem superiorem erectam, luxuriosi. referuntur ad gallos. Qui vero simum, luxuriosi. referuntur ad ceruos. Quibus autem nares sunt apertæ, iracundi. referuntur ad passionem, quæ fit in ira.

*De Facie.* Qui faciem carnosam habẽt, segnes. referuntur ad boues. Qui faciem macilentã habent, accurati. Qui autẽ carnosam, timidi. referuntur ad asinos, & ceruos. Qui valde paruã habent, pusillanimi. referuntur ad catũ, & ad simã. Quibus facies magna tardi. referuntur ad asinos, & boues. Quoniã vero neq; paruã neq: magnã oportet esse medius habitus vtique horum erit conueniens. Quibus autem facies videtur parum decens, ill berales sunt, referuntur ad apparentem conuenientiam.

Qui



Quibus autem ab oculis tanquam vesiculæ dependent amatores vini sunt referuntur ad passionem. Item quibus vehementer cadunt quæ ante oculos apparent, vt vesiculæ amatores somni. referuntur ad passionem. Item ex somno surgentibus, dependent quæ sunt in oculis. Qui oculos paruos habent pusillanimi. referuntur ad apparentem decunitam, & simiam. Qui vero habent oculos magnos referuntur ad boues. Igitur bene formatum oportet neque magnos neque paruos habere oculos. Qui vero concauos habent, malefici. reducuntur ad simiam. Quicunque habent oculos eminentes, fatui referuntur ad apparentem decentiam, & asinos quoniam autem neque eminentium oculorum neque concauorum oportet esse melius vtique habitus præstabit. Quibuscunque autem oculi sunt parum concaui, magnanimi, reducuntur ad leones. Quibus vero plus mansueti referuntur ad boues. *De oculis.*

Qui frontem paruam habent, indisciplinabiles: referuntur ad sues. Qui autem magnam valde tardi: referuntur ad boues. Qui vero rotundam habent insensati referuntur ad asinos. Qui autem minus planam habent, sagaces referuntur ad canes. Qui vero quadrangulum commensuratum fronti habent magnanimi. referuntur ad leones. Qui autem collectam habent adulatores. referuntur ad passionem quæ fit. Id autem in canibus videbit quispiam: quoniam canes cum blandiuntur contractam habent frontem Qui autem nebulosam audaces referuntur ad taurum. & leonem. Quoniam autem nebulosus habitus audaciam significat, tranquillus autem adulationem. medius habitus vtique horum bene decenter se habet. Qui triste habent frontem, mœsti- *De fronte.*

referuntur ad passionem: quoniam mœsti tristem habent faciem. qui autem demissam, lamentabunde referuntur ad passiones, quia lugentes, demissæ sunt frontis.

*De capite.* Qui habent magnum caput, sensati, referuntur ad canes. Qui vero parum, insensati, referuntur ad asinos. Qui habent capita pineata, inuerecundi referuntur ad habentes vngues curuos.

*De Auribus.* Qui autem paruas habent similes sunt. Qui autem magnas asini. Videbit autem aliquis canū optimos moderatas aures habere.

*De passionum, Habituumque signis, à communibus quidem generibus desumptis membris tamen particularibus applicatis.*

*Caput X.*

*De Coloribus.* QVi valde nigri sunt timidi. referuntur ad Aegyptios. & Aethiopes. Valde autem albi, timidi sunt. referuntur ad mulieres. Color autem qui confert ad fortitudinem. medium horum oportet esse. Flaui magnanimi sunt. referuntur ad leones. Rubei valde astuti. referuntur ad vulpes. Pallidi, colore turbati, timidi sunt. referuntur ad passionem quæ sit ex timore. Quibus autem mellei coloris, sunt frigidi frigida autem mobilia difficulter. mobilibus autē difficulter existentibus iis quæ iuxta sunt corpus, erunt vtique tardi quibus color ruber est, acuti sunt: quoniam omnia quæ sunt secundum corpus, à motu calefacta erubescunt. Quibus color flammeus est maniaci: quia ea quæ sunt in corpore vehementer calefacta, flammeum colorem habent. qui autem extreme calefacti, maniaci vtiq; essent. Quibus autem est flammeus color circa pectus, difficilis iræ sunt. referuntur ad passionem. iratis nanque superascenduntur ea quæ sunt circa pectus. Quibus autem circa collum & tempore venæ distensæ sunt, difficilis iræ, referuntur ad passionem, quia iratis hæc accidunt. Quibus facies supererubescens est, verecundi sunt. referuntur ad passionē, quia verecundatis supererubescit facies. Quibus genæ supererubescūt, amatores sunt vini, referuntur ad passionem, quia ebriis supererubescunt genæ. Quibus autem oculi supererubescunt. extra se feruntur ob iram, referuntur ad passionem quia qui ab ira efferuntur, erubescunt oculis. Quibus autem oculi valde nigri, timidi niger enim color valde videtur timiditatem significare. Qui autem non sunt valde nigri, sed declinant ad flauum colorem. boni animi sunt. Quibus autem oculi glauci aut albi, timidi sunt, visus est enim albus color timiditatem significare. Qui autem non sunt glauci, sed charopi boni animi sunt. referuntur ad leonem. & aquilam. Quibus autem viuo colore similes sunt stolidi sunt. referuntur ad capras. Quibus ignei sunt inuerecundi. referuntur ad canes. Qui autem oculos discoloratos habent & turbatos, timidi referuntur ad passionem: quia qui timuerint, pallidi fiunt colore non æqualiter. Quicunque oculos lucentes habent, luxuriosi referuntur ad gallos, & coruos.



*De pilositate in quacunque corporis parte* Qui tibias pilosas habent, venerei sunt, referuntur ad hircos. Qui autem ea quæ sunt circa pectus & ventrem valde pilosa habent, nunquam in eisdem perseuerant. referuntur ad aues: quia eæ pectus, & ventrem valde pilosa habent. Qui pectora habent valde nuda, vel non pilosa, inuerecundi sunt referuntur ad mulieres. Quoniam igitur non oportet valde pilosa esse, neque nuda: medius ha-

bitus est optimus. Qui humeros pilosos habent nunquam in eisdem perseuerant. referuntur ad aues. Qui dorsum habent pilosum valde, inuerecundi sunt. referuntur ad bestias. Qui autem collum retro pilosum habent, liberales sunt. referuntur ad leones. Qui autem mentum habent acutum, animosi. referuntur ad canes. Qui habent supercilia conuicta, tristes sunt. referuntur ad similitudinem passionis. Qui supercilia diuulsa habent ante nasum, & extensa vsque ad tempora, fatui sunt. referuntur ad porcos. Qui erectos pilos habent in capite, timidi. referuntur ad passiones: quia timentibus eriguntur. Qui capillos multum crispos habent, inuidi: referuntur ad AEthiopas. Quoniam rigentur & erecti, & vehementer crispi, timiditatem ferant: qui in extremitate sunt crispi ad bonum animum referuntur. referuntur autem & ad leonem. Qui id frontis, quod est ante caput, eleuatum habent, liberales sunt. referūtur ad leones. Qui in capite adnatos habent capillos ad frōtem iuxta nasum, sunt liberales. referuntur ad apparentem decentiam.

*Pars hæc nō est in antiqua translatione, & forte Græco codici addita est.*

[Qui longi, ac tardi gressus, sit vtique tarditate molestus, perfectious: quoniam longe progredi efficax, tarde vero cogitabundum. Qui breuis, ac tardi gressus tarditate molestus, non perfectiuus: quoniam breuiter, tardéque progredi minime efficax. Qui longi ac celeris gressus minime molestus, perfectiuus: quoniam celeritas perfectiuum, longitudo vero non inefficax. Qui breuis, & celeris gressus * molestus, non perfectiuus.]

* *Non molestus.*

*De mēbrorum motibus.*

De manus, & cubiti, & brachij motu eadem referuntur. Qui humeris rectis, tensis insultant, galeangones. referuntur ad equos. Qui scapulis mouen-



mouentur curui, elati referuntur ad leones. Qui pedibus inuersis ambulātes, & cruribus fœminini. referuntur ad mulieres. Qui vero corporibus circontorquentes se & fricantes, adulatores sunt, referuntur ad passiones. Inclinati autem ad dextram in ambulando, cinædi, sunt referuntur ad apparentem decentiam. Quicunque oculos habent bene mobiles, acuti, rapaces, referuntur ad accipitres. Qui palpebrisant, timidi: quia ex oculis primū mouentur.

*Hæc etiam pars in antiqua deest translatione forteque & ipsa Græco codici est addicta.*

[Qui demissum aspectum: & quibus altera palpebra immittitur in oculis per medium fixi aspectus: & qui palpebras superiores tarde reducūt molliterque intuentur: & qui palpebras immittunt: in vniuersumque omnes, qui molliter solute, que spectant, referuntur ad apparentem decentiam, & ad fœminas. Qui oculos frequenti tempore mouentes, tinctūram albuginis in oculo velut immotam habent, intellectiui, si enim in quopiam intellectio vehementer fiat, anima stat, & visus.

QVI voce admodum magna vociferantur grauiter iniuriosi. referuntur ad asinos. Quicunque autem vocant graui incipientes, & finiunt in acutum iracundi. & lugentes, referuntur ad boues & ad decentiam vocis. Quicunque autem vocibus acutis, mollibus, ac ruptis loquuntur, cinædi. referuntur ad mulieres, & ad decentiam. Quicunque grauiter vocant, magnum ac perpelexum, referūtur ad fortes canes & decentiam. Quicunque molliter sine contentione vocant, mansueti, referuntur ad oues. Quicunque vocant acute & fortiter, iracundi referuntur ad capras.

*De voce.*

*De Parvis corpore, & Magnis*

PARVI valde acuti sunt. latione enim sanguinis paruum locum continente, motiones

quoque valde velociter accedunt ad sapere. Qui autem sunt valde magni, tardi. latione enim sanguinis magnum locum continente, motus tarde accedunt ad sapere. Quicunque autem paruorum siccis carnibus vtuntur aut & coloribus, aut quæ per calliditatem corporibus superfluunt, nihil perficiunt. existente enim in latione paruo, & veloci propter igneum, nunquam secundum idem est sapere aliud in alio prius, quàm excedens perficiat. Quicunque vero magnorum humidis carnibus vtuntur, & aut coloribus, qui propter frigiditatem innascuntur, nihil perficiũt existente enim latione in magno loco & tardo per frigiditatem non permittit aliquid accedere ad sapere. Quicunque autem paruorum humidis carnibus vtuntur, & coloribus propter frigiditatem fiunt perfectiui. existente enim motu in paruo, difficulter mobile temperamenti. commensurationem præbuit primum perficere. Quicunque autem magnorum siccis carnibus vtuntur, & coloribus per calliditatem, fiunt perfectiui & sensitiui, existente enim latione in loco magno, & tarda propter frigiditatẽ, nihil conducet accedens ad sapere. Quicunque vero magnis siccis carnibus vtuntur, & coloribus propter caliditatem, fiunt perfectiui & sensitiui, magnitudinis enim excessum, & carnium & coloris caliditas acquisiuit vt commensurata sit ad perficiendum. Excedentia igitur corporum magnitudinibus, aut prauitatibus deficientia, quomodo perfecta sunt, & quomodo imperfecta dictum est. Media autem natura horum ad sensus optima & perfectissima, quibus vtique supponitur inesse, motus enim non multi existentes facilius ad mentem accedunt: nec etiã parui existentes supergredium-



tur: quare perfectissimã, & ad perficiendum quæ fuerint proposita, & ad sentiendum oportet moderatam esse magnitudinem.

*De commẽsuratis & Incommensuratis.*

INCOMMENSVRATI, astuti. referuntur ad passionem. & ad fœminam. si enim qui incommensurati, astuti: commensurati vtiq; erunt simul & iusti, & fortes. Relationem autem commensurationis ad corporum bonam motionem, & bonam natiuitatem reducere oportet, sed non ad formam maris, sicut in principio dictum est. Bene se habet autem & omnia signa, quæcunque prædicta sunt, referre ad apparentem cõuenientiam, & in masculum & fœminam, hæc enim perfectissima diuisione diuisa sunt, & demonstratum est, quod masculus est fœmina iustior, & fortior: & vt in vniuersum dicatur, melior. In omni autem electione singulorum, alia aliis signis magis declarant manifeste subiectum: manifestissima autem, quæ in principalibus locis fiunt. Principalissimus autem locus est, qui est circa oculos, & frontem, & caput, & faciem, secundus autem qui est circa pectus, & humeros, consequenter circa crura, & pedes. qui autem circa ventrem, minimus. Omnino autem, vt sic dicam, ista loca manifestissima signa præbẽt, in quibus & prudentiæ plurimæ decor apparet.

*Physiognomicorum finis.*

# ARISTOTELIS DE COLORIBVS LIBELLVS,

*A Simone Portio Neapolitano latinitate donatus, ac*

COSMO MEDICI
Florentinorum Principi Magnanimo Duci.

## *De coloribus simplicibus.*

### *Caput. I.*

*Libri huius scopus Theophrastū potius aut alium quā Stagiritā sapere videtur.*

SImplices colores sunt, qui elementa, puta ignem, aërem, aquam, & terram sequuntur. Aer enim & aqua per se sunt natura alba: ignis autem, & sol, flaui: terra vero natura alba est: at propter tincturam multicolor apparet quod in cinere sit manifestum. nam exusto colore, qui tincturam faciebat, albus euadit: non tamen omni ex parte quod fumo, qui niger est, tingatur. Quocirca etiam lixiuium efficitur flauum: flameo & nigro aquam colorante. Niger autem color consequitur elementa, cum in se inuicem mutantur. Alii, qui ex his facile intelliguntur, fiunt mixtione sibi



ne sibi inuicem temperatorum. Tenebra autem fit deficiēte lumine. Tripliciter enim nigrum nobis apparet, aut enim omnino quod non videtur, est natura nigrum: aut á quibus nullum prorsus lumen fertur ad oculos. nam quod non videtur, cum ambiens locus videtur, nigri reddit apparentiā, apparent item nobis huiusmodi omnia nigra, à quibus rarum & paucum lumen repercutitur. Quare & nigræ apparent vmbræ. Similiter & aqua, quando exasperata fuerit, quemadmodum maris horror. nam propter superficiei asperitatem paucis radiis incidentibus, & dissipato lumine, vmbrosum nigum apparet. Propterea & nubes, quando densa fuerit valde. eadem quoque ratione, & aqua, & aër, quando non omnino penetrat lumē. etenim hæc videtur esse nigra, quod profunditatem habeant: eo quod omnino rari radii refrāguntur. intermediæ enim partes ipsorum luminis, omnes videntur esse nigræ, propter tenebram. Quod autem tenebra non sit color, sed luminis priuatio, non difficile est tum ex aliis multis dicere, tum potissimum ex eo, quod non sit sensibilis quanta qualisque figura sit tenebra, quemadmodum in aliis visibilibus. Quod autem lumen sit color ignis, perspicuum ex eo est, quoniam nullum alium quam hunc inuenitur habere colorem: tum quia hic solum est per se visibilis. alia vero per hunc. Cæterum hoc est considerandum, nonnulla enim quæ non sunt ignis, neque ignis species natura, lumen facere videntur: Quin ergo ignis color est lumen: non tamen etiam lumen, ignis solius est color. Sed vsu venit hunc colorem, non soli igni inesse, lumen tamen esse ipsius colorem. nullo quippe alio eius visionem fieri contingit, nisi lu-

mine: vt aliorum omnium corporum corporis apparentia. Nigrum autem colorem fieri contingit, cum aër, & aqua ab igne comburuntur, quare & omnia ambusta nigrescunt, velut ligna, & carbones igne extincto. Quin & fumus, qui ex latere prodit: vbi humidum, quod lateri inerat, excernitur, & comburitur. Quocirca & is fumus est nigerrimus, qui ex opimis, & pinguibus, puta oleo, pice ac teda erumpit: propterea, quod hæc maxime comburantur, eōtinuitatemque faciant. Nigra præterea & hæc fiunt, per quæ fluit aqua, cum, vbi muscosa facta fuerint, primum humidum exiccatur: quemadmodum & parietum tectoria, itidem & lapides, qui sunt in aqua, etenim hi facti muscosi, ac postea exiccati, euādunt colore nigri. Simplices igitur colores, tot tales; sunt.

*De coloribus Mediis, siue Mixtis.*

*Caput II.*

RElinqui colores, qui ex horum tēperamentō, & maioris, minorisque ratione gignuntur, multas ac varias præbent colorum imagines, maioris quidem, minorisque ratione, ceu puniceus, & halurgus: temperamento vero vt albus, & niger, quandoquidem mixti, fusci reddunt apparentiam. Quamobrem niger & vmbrosus mixtus lumini, puniceum. nam nigrum mixtum lumini, tum quod à Sole, tum, quòd ab igne emicat, conspicimus semper esse puniceum: & nigra ignita omnia mutari in puniceum. etenim fumosæ flammæ, & carbones, quando sunt accensi, cernuntur colorem habere puniceum. Halurgus vero floridus sit. & splendidus, quando cum mediocri albo & vmbroso infirmi Solis radii temperantur. Vnde & circa orientem, ac occidentem aër purpureus est, si quando orientem occid



occidenteque Sole apparet, radij enim imbecilles tunc maxime in aerem vmbrosum incidunt. Apparet præterea mare purpureum, cùm vndæ sublatæ in inclinatione vmbrātur: nam imbecilles Solis radij in sedem illabentes, efficiunt vt color appareat halurgus.

Quod in pennis quoque fieri conspicitur, cùm enim aliquo modo ad lumen extenduntur, halurgum reddunt colorem: verum pauciore incidente lumine caliginosum, quem vocant ὄφριον. id est opacum. Copiosum autem & primo nigro temperamentum puniceum. qui cùm floridus est, ac coruscans in flammeum colorem mutatur. Nam pro mutuo in se inuicem temperamento ira accipere conuenit, ex subiecto colore conspecto miscentes, non autem omnium similem statuentes generationem. Est enim colorum non simpliciter quidem. sed rationem habet eandem cum quibusdam compositis, quam habent simplices inter se propterea quod mixtio vnius habet latitudinem & non insignem in vniuerso, & præuisum similiter constituit. Nam cum dicimus temperamentum halurgi aut punicei, necesse est similiter atque eos qui miscentur ex his, faciuntque alium colorem narrare generationem, & non facere similem apparentiam: eo quod oporteat sumere & temperare temperamentum ex præconstituto puta quod color vitiosus gignitur. quando cum nigro puro & coruscanti temperantur radij aerij quemadmodum & racemorum acini, etenim horū apparet color vinosus. interea dum maturantur: at simul, atq; nigruerint, puniceus in halurgum mutatur. Porro iuxta commonstratum modum oportet omnes colorum differentias considerare sumentes similitudinem ex motu, secundum

apparentem mixtionem quæ est in vnoquoque assimilantes atque in his, quæ particulatim in generatione aliqua & temperamento præbent apparentiam etiam fidem adferentes. Oportet autē & omnium horum constituere cōtemplationem non commineſcēres hos colores, veluti pictores: sed ex prædictis conferentes radios reflexos inter se ita enim potissimum quispiam posit secundum naram temperamenta colorum contemplari. Fides vero & similia considerare oportet ex eis, in quibus erit manifesta colorum generatio. Hæc autem præcipue sunt, lumen Solis & ignis aër, & aqua nam prout magis minusque miscetur, hæc potissimum omnes, vt ita dicā colores absoluunt. Assumere præterea oportet similitudinem & ex aliis coloribus permixtis cum radiis, carbones enim & fumus, & ærugo, & sulphur, & pennæ mixta alia radiis Solis, alia splendori ignis: multas & varias reddunt coloris murationes. Sunt quæ dam etiam in concoctione considerāda, quæ fiunt in plantis & fructibus, & pilis, & pennis. & id genus omnibus.

*De colorum infinitate. CAP. III.*

AT vero non oportet nos latere ob quot causas multiformas, & colorum infinitas accidit, inueniemus enim, aut propterea quod impariter ac inæqualiter cū lumine & vmbris temperamenta sumuntur: nam lumen & vmbræ, secundum magis & minus, plurimum à se inuicem dissident, quæ tum per se, tum mixta cum coloribus, creant colorum mutationes: aut eo quòd qui temperantur multitudine & viribus differūt: aut quia non habent easdem rationes multas enim & hæ lurgus habet differentias & puniceus, & albus, & reliquorum singuli: tum propter maius & minus, tum



tum ob mutuam mixtionem, ipsorumque syncritatem. Adfert igitur differentiam, & cum splendidum ac coruscans est id quod admiscetur: aut contra squalidum aut minime splendidum. Est autem coruscans, nihil aliud nisi continuitas luminis, & densitas. fit enim aureum quando flauum & solare densatum vehementer coruscat. Quare & columbarum colla, & aquarum guttæ aureæ apparent cum lumen repercutitur, sunt etiam quædā quæ leuigata attritu, & potentiis quibusdam diuersos & varios obtinent colores, ceu argentum attritum & aurum & æs & ferrum. Et nonnulla genera lapidum diuersos faciunt colores (seu &c. *nigri enim cum sint, albas depingunt lineas eò quod omnium eiusmodi primæ quidem constitutiones ex paruis sint particulis, & densis & nigris sed à tinctura quam nacti sunt in generatione omnibus meatibus coloratis, per quos permeauit ipsorum tinctura, aliam habuerint coloris imaginem qui vero attritu assumptus est ab iis, non amplius est aureus, neque æreus, neque alium vllum eiusmodi habet colorem, sed prorsus niger est propterea quod pori dum ipsi conterūtur, disrumpantur: per quos tinctura permeauit natura vero etiam ex eisdem fit.) nam cum prior his color non amplius sit nobis manifestus propterea quod in attritu tinctura fit distracta, secundum naturam illis insitum colorem videmus. quocirca etiam omnia apparent nigra, dum autem vnum quodque horum atteritur ad æquale aliquid & sæue, quemadmodum & ad lapidem Lydium, deponunt insitum ipsis colorem, nigrum scilicet, & assumunt denuo colorem quem habebant à generatione, *in coniunctione, & continuitate, ipsum tinctura diaphanum.* Quæ comburuntur autem

*Hæc verba his inclusa signis ( ) in nonnullis desunt codicibus.*

*Et **hæc in aliquo codice desiderantur.*

& dissol-

& dissoluuntur,& liquefiunt in igne, hæc multos habent colores, quorum fumus est tenuis, & aereus, etiam colores vmbrosi, vt is qui ex sulphure, & æruginosis æramentis exhalat, & quæcunq; sunt densa & leuia velut argentum. Alia autem, quibus vmbrosi sunt colores, etiam læuitatē participant, velut aqua,& nubes, & auiū pennæ. etenim hæc tum propter radios incidentes, tum læuitatem, alias aliter temperatos, diuersos efficiūt colores: quemadmodum & tenebra. Nullum autem colorum videmus purum qualis est, sed omnes aliis temperatos, nam etsi aliorum nulli, luminis tamen radiis & vmbris temperati, alij atq; alij & non quales sunt apparent. Iccirco & quæ in vmbra spectantur,& lumine, & Sole, & duro aut molli fulgore, & quæ secundum inclinationes ita aut ita se habēt,& secundum alias differentias diuersa apparent. Item cum radiis, qui ab igne & Luna & candelis emittuntur, eo quod lumen vniuscuiusque horum diuersiorem obtineat colorem. * Et colorum inter se inuicem mixtione nam cum per se inuicem feruntur, colorantur. * Lumen enim quando illabens ab aliquibus coloratur,& fit puniceum aut herbaceum: & quando quod temperatum est incidit in alium quempiam colorem, rursus ab illo temperatum, aliud quoddam sumit coloris temperamentum, atque id assidue quidem patiens, sed non sensibiliter. interdum accedit ad oculos, ex multis quidem temperatum coloribus, sed vno quopiam ex iis quæ maxime præpollent, sensum creans. Quapropter & per aquam magis apparent, & quæ videntur in speculis, colores habere similes speculorum cernuntur, quod etiam in aere euenire putandum est. Itaque colores omnes mixti ex trib

** hæc desunt in aliquibus codicibus.



tribus gignuntur lumine, & per quæ apparet lumen, ceu aqua & aere & tertio subiectis coloribus, à quibus contingit lumen refrangi. Album autem & diaphanum, quando rarum fuerit valde, apparet colore aereum. in densis vero omnibus, apparet quædam caligo, quemadmodum in aqua, & vitro, & aëre, quando fuerit crassius. radiis enim propter densitatem vndequaque deficientibus, nequimus quæ intra eos sunt exactè perspicere. Aër autem cominus inspectus, nullum videtur habere colorem, nam propter raritatem à radiis vincitur, ab iis separatur cum densiores sint, & per eam appareant. Cum vero in profundo cernitur proxime apparet colore cyaneus, propter raritatem. vbi enim deficit lumen, ibi tenebra interceptus, apparet cyaneus. condensatus autem quemadmodum & aqua omnium albissimus est.

## *De coloribus Artificialibus. Cap. IIII.*

PORro quæ tinguntur, omnia colores à tingentibus sumunt, multa enim floribus, & terra hascentibus, & radicibus tinguntur, & corticibus, & lignis, & foliis & fructibus, præterea multa terra, multa spuma, multa & attramento, quinetiam nonnulla animalium succis, quemadmodum haliurgus purpura. alia vino, quædam fumo, aliqua lixiuio, nonnulla mari, ceu pili maritimorum. etenim hi è mari ruffi euadunt. Et omnino quæ colores habent proprios, semper enim ab omnibus iis, vna cum humido & calido coloribus simul ingredientibus in eorum quæ tinguntur, meatus, quando aruerunt, ab illis colores suscipiunt. quocirca & sæpe numero ex iis eluuntur, floribus effluxis ex meatibus. Quinetiam astrictiones, multa gignunt in tinctura differentias.

&

& mistiones,& passiones eorum quæ tinguntur, quomodo & de temperamento dictum fuit antea Tinguntur autem & nigra vellera, non tamen simili modo colore fiunt splendida eo quod meatus ipsorum tingantur,ingredientes in florum poros,verum intermedia pili spatia nullam sumunt tincturam. Alba quæ sunt quæque inuicem comparãtur cum coloribus efficiunt,vt omnes florere appareant splendidiores: nigra vero cõtra, vt umbrosi, & caliginosi quocirca & qui opacus vocatur,floridior fit in nigris,quàm albis. ita enim meracior ipsis apparet flos temperatus cum radiis nigri. nam per se interuallum inter meatus non videtur,propter exiguitatem: velut neque stamnũ temperatum aeri,neque aliud quippiã eiusmodi. Colores vero eorum quæ tinguntur,alterãtur propter prædictas causas.

*De mutatione colorum ex concoctione. Cap.V.*

PIli porro,& pennæ & flores,& fructus,& plantæ omnes quod simul cum concoctione omnes sumunt colorum mutationes.ex multis est cõspicuum quænam autem sint singulis eorum quæ terra nascuntur,colorum principia, & qualia ex qualibus mutationes suscipiunt, & propter quas causas hæc patiuntur. item si quas dubitationes contingit ea comitari,de his omnibus ex huiusmodi est considerandum:In omnibus autem plãtis principium colorum est herbaceus.etenim germina & folia, & fructus fiunt initio herbacei. Viderit autem id aliquis, & in aquis pluuiis vbi plusculo tempore aqua constiterit,denuo exsiccata, fit colore herbacea. Secundum rationem autem accidit,hunc omnibus iis quæ terra nascuntur, primum consistere colorem, nam aquæ omnes vetustæ,initio quidem fiunt,virides temp



temperatæ radiis Solis: paulatim vero nigrescentes, rursus mixtæ viridi, fiunt herbaceæ.nam humidum velut iam dictũ est,per se inueterascens, & exiccatum, nigricat, quemadmodum & cisternarum tectoria etenim horum quæcunq; semper sunt in aqua, ea omnia nigrescunt: eo quòd iuxta ea arescat refrigeratus humor. Sed quæ hausta insolatur, partim fit herbacea, propterea quòd flauum cũ nigro temperatur: partim humore magis nigrescente, herbacea fit saturata valde, & porracea.Quapropter & omnium germina vetusta, multo sunt nouellis nigriora. quædam vero flauiora, eo quòd nondum humor in iis nigricet: cùm etenim incrementum ipsorum sit tardius, & humor diu in eis permaneat, propterea q; refrigeratus valde nigricet humor, fit porraceus, meraco nigro temperatus. In quibus autem humor non miscetur radiis Solis, horum color permanet albus : nisi vetustescens & exiccatus antea nigruerit. Quocirca omnium quæ terra nascuntur, ea quæ supra terram sunt, primum sunt viridia: quæ vero in terra, velut scapi & radices, alba. Quinetiam germina intra terram quæ sunt, albent: at ablata terra, initio velut dictũ est,omnia fiunt herbacea: propterea quòd humiditas, quæ per germina ad ea percolat, eiusmodi habeat coloris naturam, eáque illico in fructuum incrementum absumatur. Cùm vero non amplius augentur eo quòd calidum iam non dominetur affinenti alimento, verum etiam cõtra resoluitur humor à caliditate, & fructus omnes matureſcunt, concocta tum à Solis, tum ab aëris calore, quæ in fructibus erat humiditate, à plantis suscipiunt colores, quomodo & quæ tinguntur floribus. quare paulatim colorantur,& pa-

tisimum eorum partes quæ ad Solem & tepore obuertuntur. Quare & colores suos vnà cum anni temporibus mutant. Nam qui sunt herbacei coloris, omnes iam maturati, mutantur in eum qui secundum naturam est, colorem. Etenim albi, & nigri, & fusci, & flaui, & nigricantes, & vmbrosi, & propemodum omnes habentes colorum differentias euadunt. Verũ quoniam plurimi colores fiunt, pluribus sibi inuicem temperatis: patet quòd & colores qui sunt in plantis, necesse sit eadem habere temperamenta. nam humor per has percolans, & secum eluens, omnes colorum potentias recipit: atque hoc concocto circa fructuum concoctionem, tum à Solis, tum ab aëris caliditate, singuli per se consistunt colores, alii quidem citius, alij vero tardius. quemadmodum euenit & in tinctura purpuræ. nam vbi hac contusa vniuersam ex ea humiditatem eluerint eamque effusam coxerint in cortinis, primum nullus omnino color in tinctura conspicuus est, cò quòd paulatim ipsorum quisque, humido magis cõcocto, & insitis iis coloribus sibi inuicem permixtis. multas variásque capiat differentias. Etenim niger, & albus, & opacus, & aëreus, & tũc omnes ex simul elixatis gignũtur. quare propter temperamentũ, non amplius per se aliorum colorum quisquam conspicitur. Idem hoc accidit & in fructibus. in multis enim, eò quòd non omnes colorũ concoctiones simul fiunt, sed quidam ipsorum prius consistunt. quidam postea ex aliis in alios mutantur. ceu racemi, & palmulæ. etenim hi interdum primum fiunt punicei: sed atro in se consistente, in vinosum mutantur: denique fiunt cyanei, quando iam punicеus multo & meraco nigro permixtus fuerit. Nam colores qui



qui postea accedunt. quando prævalent, priores colores enariant. maxime autem hoc in nigris fructibus conspicuum est. ferè enim ipsorum plurimi, vt dictum est, initio ex herbaceo commutati, paululum in puniceum vergunt, fiúntque ruffi: sed confestim commigrant rursus ex ruffo, etiam meraco nigro in huiusmodi insito. Declarant autem & sarmenta, & vellera, & folia omnium cuiusmodi sunt nigra: propterea, quòd iis insit plurimus eiusmodi color. siquidem, quòd fructus nigri etiã ambos colores participant manifestum est. omnium enim talium succus est vinosus. Colores vero in generatione punicei posteriores sunt nigris. initio est autem. nam sub stillicidiis pauimenta, & omnino vbi contingit mediocris aquarum eruptio, in locis vmbrosis, omnia mutantur primum ex herbaceo in puniceum colorem: sitq; pauimentum, tanquam sanguis nuper mactatus esset eo loco, quo color herbaceus adeptus est concoctionem. Postremo autem, etiam hic valde fit niger & cœruleus, quod contingit & in fructibus. Porrò, quod accedentibus posterioribus coloribus, cùm euincuntur priores, color fructuum mutatur, ex huiusmodi quoque facile est perspicere. nam mali punicæ fructus & rosarum folia, initio quidem fiunt alba, sed postremum coloratis eorum succis à concoctione, pallent, mutantúrque in halurgum colorem & puniceum. Quædam plures in se habent colores, ceu & in papauere succus, & in olea amureæ. etenim hic primum fit albus, quemadmodum mali quoque punicæ fructus. exalbatus autem rursum in puniceum mutatur colorem. postremo vero multo nigro temperatus sit, cyaneus. Quocirca & papaueris folia, superiora obtinẽt punicantia, q̃ celer sit

ipsorum excoctio: quæ vero sunt iuxta principia nigra iam hoc colore in eis euincente, velut & infructu: nam tandem fit niger. In quibus vero plantis vnus solus color inest, pura albus, aut niger, aut puniceus, aut halurgus: harum omnium fructus permanent, semper eadem habentes coloris naturam, vbi semel ex herbaceo in alium colorem fuerint mutati. Porrò flores cum fructibus in nonnullis vnicolores esse cõtingit, quemadmodum res se habet in malo punica. etenim fructus eius, & flos est puniceus. In nonnullis vero multum colore differunt, velut & in lauro, & in hedera. flos enim omnium harum est flauus, at fructus niger. Puniceus præterea & mali. etenim huius flos est albus purpurascens: fructus vero flauus. Papaueris item flos est puniceus: at fructus, alius niger, alius albus propterea, quod concoctiones insitorum iis succorũ, aliis atque aliis fiant temporibus. Facile autem hoc est ex multis contueri. *etenim fructuum quidam, velut, dictũ est, multas differentias & colorum, & odorum, & saporum, vnà cum concoctione capessiunt. * quare & odores, & succos longe differentes contingit flores, & fructus concomitati. Amplius id magis in ipsis floribus est perspicuum. eiusdem enim folij aliud est nigrum, aliud puniceum. nonnullorum autem aliud est album, aliud purpureum. maxime autem id patet in iride. multas enim hic flos continet in se varietates * propter concoctionis differentias, quemadmodum & racemorum, quando iam maturi fuerint. quocirca etiam omnium maxime foliorum extrema concoqui contingit: quæ vero sunt circa initia, sunt multo decoloratiora. Propemodũ enim quorum dam quasi exuritur humidum, prius quàm priam

*Ex hoc loco varij sunt codices.*



priam capiat concoctionem ideo & flores colore permanent: fructus vero concocti mutantur. nam illi propter alimenti paucitatem confestim excoquũtur: at fructus propter humoris copiam, in omnes qui secundum naturam sunt, vnà cum concoctione mutantur colores. Manifestum autem id est, vt dictum fuit antea, & in floribus eorum quæ tinguntur. nam initio cùm tingentes purpuram, demittunt sanguineas sanies quas ἰμάτια δάκρυα, vocant, opacæ fiunt, & nigræ, & aëriæ. flore vero satis elixato, fit floridus, halurgus & splendidus. Quare necesse est. & florum multos similiter coloribus fructuum euariare: & alios excellere, alios, autem deficere à coloribus naturalibus: propterea, quod quorundã sit imperfectior, & quorundam perfectior concoctio. flores igitur & fructus, propter has causas, discrepare inter se contingit. Multæ autem plurimarum arborum tandem fiunt: eo, quòd alimento deficiente antea præuenræ inarescant, quam mutentur in colorem qui secundũ naturam est. quandoquidem & defluctium fructuum aliqui fiunt colore flaui, propterea, quòd & horum prius concoctione deficiat nutrimentum. Amplius & frumentũ, & omnia quæ terra nascuntur. etenim hæc postremum fiant flaua. nãm cùm humidum in iis nõ amplius nigrescat, propterea, quod celeriter exarescit, efficit coloris mutationem. nigrescens autem & viridi temperatum fit, velut dictum est. herbaceum. verum si infirmius semper fit nigrum, rursus paulatim in viridem mutatur colorem, ac tandem fit flauum. quandoquidem pyri folia & portulacæ, & aliquorum aliorum concocta, fiunt puniceæ, at quæcunq; horum celeriter quoque exarescunt, ea fiunt, flaua. quòd eorum nutri

mentum ante concoctionem deficiat. Rationi igitur maxime consonum est, plantarum differentias euenire, propter prædictas causas.

*De colore Pilorum, Pennarum, & Cutum. Cap. VI.*

Fiunt autem & pili, & pennæ, & cutes equorũ & boum, & ouium, & hominum, & aliorum animalium omnium alba, & fusca, & russa, & nigra, eandem ob causam. Alba quidem, cùm humidum adhuc proprium retinens colorem exiccatum fuerit à concoctione. Nigra vero contra, quoties ipsum in generatione humidum, quemadmodum in aliis omnibus antiquatum & tempore confectum, propter copiam nigruerit. omnium enim talium & pelles, & cutes fiunt nigræ. Fusca autem, & russa, & flaua, & reliquis prædita coloribus, quæcunque præuenta siccescunt prius, quàm in ipsis humidum perfecte mutetur in nigrum colorem. Quibus autem inæqualiter hoc accidit, etiã colores tales fiunt varii. quare etiam omnia cutes & colorem consequuntur. quandoquidem etiam hominum rufforum, & pili sunt alboruffi, nigrorum vero, nigri. quòd si secundũ aliquam corporis partem effloruerit album: vniuersi pilos quoque albos habent eo loco. sicuti ea quæ ex animalibus varia sunt. Ita omnes pili, & pennæ cutes sequuntur, & secundum partes, & secundum corpus solum. Similiter his se habent vngulæ solidæ, & bifidæ, rostra, & cornua: etenim hæc nigrorum fiunt nigra: alborum autem alba, propterea, & etiam his omnibus alimentũ per cutem ad exteriorem ambitum percolatur. Quod autem hæc sit causa. haud difficile est ex multis perspicere. Nam puerorum omnium capita initio sunt russa, propterea alimonii paucitatẽ, atq; id manifestũ est. nam capilli imbecilles sunt, & rari, eandem ob causam. Præterea etiam primum breues omnibus pueris proueniunt: verum progrediente ætate, nigrescunt, rursum iis coloratis, propter affluentis alimenti copiam. Simili modo & circa pubem ac barbam, cum primum cœperint pubescere, & lanuginem emittere, hæ quoq; fiunt initio russæ cito, propter humiditatis paucitatem, quæ in ipsis deficcatur. Vbi vero pluscułum alimenti ad locum defertur, rursus nigrescunt. Pili autem in corpore, plurimo tempore russi perdurant, propter alimenti inopiam. quoniam quo tempore augentur, etiam hos similiter nigrescere contingit, quemadmodum & pubis & capitis pilos, indicio autem id est. nam quæcunque prolixos habent pilos, vt plurimum qua parte proximi sunt corpori, sunt nigriores: circa summa vero sunt flauiores, vt sunt ouium, equorum, & hominũ: propterea quod iis pauciſsimum alimentum ad hæc loca deferatur. & exaresçat celeriter. Fiunt & pennæ nigrarum auium, quæ prope corpus sunt, nigriores omnibus: quæ vero in summis partibus sunt, flauiores: eodem modo & quæ circa collũ sunt, & omnino quæ paucum capiunt alimentum, patet id. nam omnes pili à perfectione mutantur, fiuntque russi, eo quod rursum alimentum deficiens celeriter exaresçat. Denique albi prius, quam humidum nigrescat, alimento in iis excocto. maxime autem hoc perspicitur in animalibus subiugalibus. omnium enim pili fiunt albi. locis enim nequeuntibus similiter attrahere nutrimentum, propter calidi imbecilli tatem, humidum celeriter exaresçens fit album. Et quæ sunt circa tempora maxime omnium canescunt, & in summa circa infirma & laborantia loca. Propterea & omnium maxime in hunc

colorem mutantur, cum naturâ cõmutauerint propriam. etenim lepus factus est iam albus: & niger vtique apparuit tum ceruus, tum vrsus, similiter autem his & coturnix, & perdix, & hirũdo: cum enim omnia talia sint imbecilla generatione, propter alimenti paucitatem ante tempus excocta, fiunt alba. Ita & puerorum quidam statim & capita habent alba & cilia, & supercilia, quemadmodum aliorum quoque cuique sub senectutem aperte hæc canitiei passio contingit, propter imbecillitatẽ & paucitatem. Quocirca & plurima animalia alba, infirmiora sunt nigris. ante enim quam perficiatur ipsorum augmẽtum, propter alimenti paucitatẽ excocta, fiunt alba, quemadmodum & ex fructibus quicunque morbo correpti fuerũt. etenim hi multo magis propter imbecillitatem excoquuntur. Quæ autem fiũt alba, multum differentia ab aliis, vt equi, & canes. huiusmodi autem omnia mutantur ex eo, qui secundum naturam est, colore in alba propter alimẽti bonitatem. humidum enim in eiusmodi non vetustescens, sed absumptum propter incrementum, fit nigrum. nam plurima talia fiunt humida & in frugifera, propter alimenti bonitatem. quapropter neque albi pili mutãtur. id autem est perspicuum, siquidem nigra ante canitiem rufsa efficiuntur, alimento iam in iis deficiente, & magis excocto: postremo vero alba. Cæterum quidam existimant, nigra omnia fieri, propterea quod alimentum ipsorum comburãtur à calido quemadmodum & sanguinem & aliorum vnumquodque, errantes. nonnulla enim animalium statim ab initio fiunt nigra, sicut canes, & capræ, & boues atque omnino quorumcunque pili & cures initio alimentũ habent: procedente vero ætate, minus, atqui



atqui non decebat, sed oportebãt. omnium tales esse & pilos, & vigorem, quo tẽpore calidũ quoq; ipsorum maxime pollet: & vniuersa magis circa initia canescere. multo enim infirmius omnium calidum est à principio, quam quo tempore pili ipsorum albescere incipiunt. Manifestum autem hoc est & in albis. nam quædam statim colorem habent albissimum, quæcunq; horum plurimũ habent ab initio alimentum, neque ante tempus humidum in eo exarescit, progrediente autem ætate, flaua, alimento pauciore iis postea affluente, Nonnulla in principio fiunt flaua, verum in vigore albissima. sicut & auium colores rursus mutantur, alimento in iis deficiente. Declarat id. omnia enim hæc fiunt flaua. & circa collum, & omnino, quæcunque indigent alimento, quod in eis deficit. Patet autem, nam quemadmodum & rufsum in album mutatur, & nigrum rursus in rufsum: ita & album in flauum. Contingit autem hoc & in plantis. nonnullæ enim ex posteriore concoctione recurrunt denuo ad priorem, maxime autem in malo punica est perspicuum. nam ab initio acini fiunt punicei, & folia propter paucitatem alimẽti excocti: postea autem rursum mutantur in herbaceum colorem, multo alimento affluente, & concoctione non potente similiter obtinere: tandem autem concocto iam alimento, rursus fit color puniceus. Vt autem in vniuersum dicã, & de aliis pilis & pennis. omnia capiũt mutationes: alia, vt dictum est, deficiente in eis alimento: alia contra, abũdante, quocirca alii aliis ætatis tẽporibus, & albissimi, & nigerrimi fiunt pili: quãdoquidẽ coruorũ quoq; pennæ postremo in flauũ mutãtur colorẽ, deficiente in eis alimento. Verum pilorũ nullus, neq; puniceum neq; halur-

gum, neque porraceum, neque alium vllum eiusmodi sit habens colorem, propterea quod omnes ij colores gignantur, Solis radiis cum iis permixtis. Præterea ex pilis humidis, dum accidit mutatio carnis, nullam ipsi sumunt mixtionem. Perspicuum autem id est: etenim ex pennis ab initio nulla generatur talis, qualis est pilus. Sed & ex auibus variæ, omnes, vt ita dicam, nigræ sunt, veluti pauo, columba, & hirundo. posterius autem sumunt omnes eiusmodi varietates, concoctione ipsarum iam extra corpus facta tum in pennis, tum in caulibus. quare accidit, sicut & in plantis etiam horum concoctionem extra corpus fieri. Quamobrem & reliqua animalia, tam aquatilia: quam reptilia, & conchylia omnigenas habent colorum formas, multa etiam his facta concoctione. Speculationem igitur circa colores, qui spiam potissimum ex dictis possit perspicere.

*Aristotelis libelli de Coloribus finis.*



# ARISTOTELIS DE SPIRITV.

## *Quæstio de Spiritus natiui duratione, ac auctione.*

### *Caput. I.*

*Liber hic procul dubio non est Stagiritæ.*

QVæ-nam spiritus natiui duratio est, & quæ ipsius auctio? nam liquido experimur quòd tum pro ætatis mutatione, tum pro constitutione corporis & auctior fieri consueuit, & fortior. An vt & partes cæteræ foris accidente quopiam: sic alimentum iis appositum quæ animam habẽt, conseruet ipsa, & maiora reddit. Considerandum itaque hic est, quale id sit, & vnde accedat. Et sunt modi duo, in quos referri queat. aut enim respiratione istud fit, aut concoctione cibi assumpti, vt in partibus quoque cæteris. Ex ex his minime alienus videtur modus ille, quẽ cibi esse perhibent. Vt enim corporum cæterorũ alitionẽ, auctionémque omnino è materia corporea fieri videmus, ita spiritus quoque auctio, & alitio in corpus referetur aptissime. nam & ipse corpus est. Quis autem modus hic fuerit? An palã est, attractiõe quapiã è venis facta & cõcoctione istud fieri quando sanguis extremũ atq; idẽ vniuersis est alimentũ. Vt igitur ad vaso-

rum

rum,& eorũ quæ cõtinetur, atq; omnino ad calidi alitionem quippiam attrahitur, quod aër distribuit efficaciam præbens, sibique ipse concoquendi vim apponens auget, nutritque: sic hunc ipsum spiritum incrementum durationémque accipere fortasis haud fuerit absurdum. At quod primum est aliorum, & tam animæ cognatum, & fortasis generatione, per quam semina in partes fingendas secernũtur, & in cuiusqs naturã abeũt, ea ipsa prius est, id ex alimẽto ortum habere, absurdum videri queat. tale enim syncerius esse, quàm vt ita nascatur, par fuerit. Deinde si omnis alimenti excrementum sit aliquod, cuiusmodi ab his, aut quo pacto excretio fiat? Nam expiratione fieri, rationi consentaneum non est, nam statim aërem recipit, reliquum igitur est, vt per arteriæ meatus. Sed tum quod excernitur, aut tenuius erit aut crasius. & vtrumuis absurdum est. Siquidem enim hic omnium syncerissimus sit, quomodo excrementum erit tenuius? Et si sit crasius, tum fuerint meatus omnino maiores aliqui, nisi per eosdem attractio fiat, & excrementi expulsio? Spiritus itaque ipsius auctio & duratio ex alimento facta hisce fere modis esse queat. Quod autem respiratione incrementum, & durationem spiritus accipiat, vt &*Aristoteles est arbitratus, ex aëre in pulmone concocto, & per vasa distributo, excrementis autem foras expulsis, id plures dubitationes habet. Primum enim concoctio hæc à quo fiat? Ac par est, ab eo ipso, & cæterorũ. Idipsum vero absurdum quoque est, nisi ab exteriore differat aëre. quo modo calor cõcoquet. Sed & spissiorem eundem esse rationi est consentaneum, vasorum scilicet & molis totius humiditate coniuncta. proinde in corpulentum quippiam abibit. At si te

*Aristoteles.



si tenuius fiat excrementum, rursus præter fidem est. Deinde concoctionis quoque celeritas præter rationem est. nam inspirationem illico sequitur expiratio, quid igitur tã velociter mutare & alterare queat? Et putarit quispiam maxime calidum esse, astipulante ipso etiam sensu. nam qui expiratus aër, calidus est. Præterea si in pulmone & arteria sit, quod concoquitur, tum calidi quoque vis in iisdem erit: id quod non aiunt illi, sed spiritu moto agitatoque excalfieri aiunt. Quòd si aliunde attrahitur, aut mouẽte quopiam impellentéue excipitur, admiratione tũ maiore, inquisitionéue id dignum est. simul autem non id erit, quod primum moueat. Postremo inspiratio vltra pulmonem non pergit, vt ipsi quoq; affirmant. at spiritus innatus per vniuersum est animalis corpus. Quòd si è pulmone tum ad infernas, tum ad partes cæteras distribuatur, quonam modo tam velox esse queat concoctio? id enim admirãdum omnino miniméque vulgare est. neque enim ad infimas partes subito demittet cõcoctum aërem. Atqui necessario id secuturum videtur, si & concoctio in pulmone fiat, & quæ infima sunt respiratione participẽt. Et tanto obscurius id esse, magisq; præter opinionẽ videbitur, quòd transitu & velut contactu quodã sola concoctio sic fiet. Sed & hoc præter rationẽ esse, & magis adhuc quàm superiora videtur, vt alimenti excrementiq; eadẽ ratio sit. Sin per aliud quodpiã eorũ quæ in animali habentur. tũc rationes superiores redibunt, nisi quis respondeat, vt neq; planis ita nó cuiusuis alimenti aut partis excrementũ esse. Quòd si hoc quoque tollas, & omnino eadẽ ratio partium sit, superest vt constituatur vasorum eandem esse auctionẽ, quæ cæterarũ est partiũ. distentis autem his

his, & maius interuallū capiētibus, maior quoq; aēris copia influat, & effluat, quo modo tandem auctior fiat innatus spiritus. Ex hisce itaque modis omnibus quis vero propior sit, & necessitatem demonstratiuam habeat maiorem, inquirendum proponitur. Nam hoc peracto & demonstrato, quis sit innatus spiritus, & quo pacto is in animalibus spirātibus auctior fiat, manifestum euadet. At in nō spirātibus quæ alitio, & quæ auctio huiusce fueritneque enim in his quoque foris esse recte affirmabitur. Quòd si intus sit, tum è communi alimento in his quoq; esse, cōsentaneum rationi est: quādo ex iisdē similia fiant & eodē modo, nisi fortasis etiam in illis accensionē alimenti huiusce foris esse, quomodo odores sentiat, affirmare quis volet. Sed non respiratio hic modus est. quamuis dubitare quispiā in hoc quoq; possit, an prorsus non spirēt, tū ex hoc ipso signū ducēs, tū quia dū cibū attrahāt, aērē quoq; vnà hauriat, necesse sit. Deinde quia & ipsa refrigeratione indigeāt, quæ non aliter quam aēris attractione fieri possit. Quòd si per diaphragmatis loca refrirentur, per eā ipsam quoq; partē aēr ingrediatur vnde respirationi simile quidpiā accidat. Quanquā hic nō definiatur, quæ nā hæc attractio sit, & à quo fiat, aut si attractio non sit, quo pacto fiat ingressus. Hæc enim adhuc latebāt nisi forte nullo nec attrahente, nec impellente, sed sponte aēr introeat. hoc itaq; per sese peculiarē exigit contemplationem. Eorum insuper quæ in aquis degū, quænam est alitio, & auctio innati spiritus? Nam præterquam quòd hæc non spirant, ne omnino quidem sub aquis aērem contineri, neque è puro latice spiritum gigni posse affirmamus. reliquū igitur est, vt ex alimento sit. Proinde aut non



non in omnibus idem modus generationis huiusce erit, aut etiā illa ex alimento spiritus generationem sortientur, nam ex tribus his, vnus omnino necessarius est modus. Et de spiritu quidem tum auctione, tum alitione hæc dicta sint.

## *Difficultas de Respiratione.*
### *Cap. II.*

DE respiratione vero alii non dicunt, cuius gratia fiat, sed id solum, quo pacto fiat dicunt, vt Empedocles, & Democritus. Alij ne id quidem, nec modum eius assignant, sed tanquam manifestus sit, eo vtuntur. Atqui si refrigerationis gratia fiat, idipsum exponendum est. Calidum itaque si in supremis tantum sit partibus, tum inferiora refrigeratione nulla indigent. sed non est in supremis tantum. nam spiritus per vniuersum corpus est, & initium respirationis à pulmone est. quo pacto itaque qui in extremis est, calor refrigerabitur? Et dicet quispiam refrigerationem respiratione factam in omnes partes distribui per cōtinuitatem: sic proximas pulmoni partes ab aēre attracto frigefieri, deinde vicinas frigefacere, & ita deinceps vsque ad extrema. Sed ostendendum est id fieri non posse. Quisiaque modus extremorum erit? absurdum est enim omnino statuere ea agitatione quapiam, & velut alimento non indigere. Quòd si dicas, perspiratione totius esse aliquam, quæ scilicet agitationem spiritus præbeat totius: tum quis erit finis respirationis? nō enim refrigeratio erit, si eam perspiratio efficiat. Et in vniuersum ambiguū negociū hoc totū est. Siue enim refrigeratio nē extremorū in respirationē referas, tū ad ea vsque distributionis, ipsius celeritas quomodo sensum

sum effugiet? siue rerspirationē constituas, quæ ea lorē in ambitu totius existente foueat, tū præterquā q; respirationis hic finis esse amplius nō possit, siquidē perspiratione illū cōsequi liceat, mirabilis quoq; erit profecto omniū inter se partiū fluxio & refluxio perspiratione facta. Nihil dicas eundē in vtroq; finē recte cēseri. & qui in ambitu totius calor sit, nō ita plenus & auctus perspiratione sufficienter fōueri possit. qui vero in corde & vicinis illi partibus sit, vehemētissimus, maiore refrigeratione opus habere, vt in primis ob hunc ipsum instituta fuisse respiratio videri queat. & perinde maiorē quoq; vim aëris eo attrahi oportere, ob quā instrumēta capaciora, & actio quædā magis cōspicua a natura fuerint constructa. permulta enim eiusmodi in cæteris quoque actionibus facultatibusq; cōtingūt. Adhuc tamen absurdum est, si ad os quoque distributio fiat, id quod ex arteriis est manifestū. Ob hæc itaq;, vt dictum fuit, de respiratione perquā diligens cōsideratio est habenda, cuiusnam gratia fiat, & quibus partibus communis sit, & quomodo sit. Præterea nec alimentum omnibus per arterias adfertur, veluti tum vasis ipsis, tum aliis partibus quibusdam, viuunt autem plantæ quoque, & aluntur. Sed ad ea pertinent, quæ de interitu rerum traduntur.

*Dubitationes de Respiratione. Pulsu, & Alimento. Caput III.*

CVm amē motiones in arteria cōtēti spiritus tres sint, respiratio, pulsus, & tertia alimēti aduectio elaboratioq;, de quaq; harū dicendum est, & vbi, & quo pacto sit, & cuius gratia fiat. Pulsus itaq; motio qua parte sit, sensui quoq; est manifestū, quāuis scilicet animalis partē tāgentibus. Sed respirationis motus in qua sit parte, aliquousque



vsque manifestum quidē sensu quoque est. potior tamen illius cognitio ratione habetur. At alimēti motus vniuersus fere rationi est inquirendus quæ tamē ab accidētibus de eo fit inquisitio ipsa quoq; à sensu initiū habet. Quòd igitur respiratio intus habeat initium, manifestum sanè est, siue ea facultas animæ sit, siue anima ipsa dicenda, siue alia quæpiam corporum miscela, quæ per ea talem attractionem efficiat. At facultas qua animal alitur, tota sibiipsi respondet, & similis est tanquam eadem per vniuersum sit corpus. Et si forte non sit at corpus tamen vniuersum æquabiliter iuxta tempus se habet in tali motu. Quòd si non statim sit obuium non aliqua sit differentia inspectione partium omnium est cognoscendum. Pulsus autem peculiaris quispiam præter hos, motus est, & quadantenus accidentarius esse, nec finē habere videtur, ob quem fuerit institutus. Et vt colore vehemente in humidum agente, necesse est quæ in flatum resoluuntur, partes ob versationem bullas excitare, ita pulsum quoque fieri in animalis corpore par est, statimque per initia primum consistit pulsus: nam iis quæ prima sunt, coæuus color est, & fortasse actionem caloris in materiam quæ generationi animalis substernitur, id ipsum consequi est necesse. Quod autem respirationi pulsus non respondent signum hoc est, siue enim frequens siue æqualis, & siue magna sit siue leuis respiratio, pulsus similis idemque semper manet, sed inæqualis sit & intenditur, tum pro corporis affectionibus variis tum animæ velut timore, spe, agonia. Sed an in arteriis pulsus eundem tenorem seruet aut æqualitatem considerandum est. Et videtur non seruare ad partes longe inter se disitas animum ad-

uertentibus. Cæterum quod dictum est non finis cuiuspiam gratia fieri, sed actionis necessitatem sequi caloris ipsius scilicet in humidum, id omni no ita habere videtur. At inspirationis & expira tionis motus, siue eundem finem habet vterque & diuersus alter ab altero sit, siue alium neque sibi mutuo respondeant, ob finem tamen omnino quem fieri rationabiliter videntur. Porro de his tribus motibus ambigi recte potest. an sint coæui: & si non sint quibus horum primus sit: & an irrationabile pulsum respiratione priorem statuinam alitio priusquam totum animal sit perfectū est, & postquam perfectum est animal. Attractio enim menstrui humoris ad formationem fœtus, & partium deliniatarum auctio nutricis facultatis opus est, quemadmodum designatio partium ex semine formatricis. Iuxta quem ordinem respirationis motus postremus fuerit. Nam tum primum respirat, vbi in lucem editus fuerit partus, eaque propter postremus hic motus est. nam alimenti attractio elaboratioque non solum post, sed & priusquam integris suis partibus animal sit absolutum, in vtero peragitur, respirationem itaque hic motus præcedit. At pulsus per initia statim in constitutione cordis emergit, id quod in sectione virorum, & pulli formatione ex ouo deprehendere liceat. Sed &, vt supra quoque dictū est. in prima partium deliniatione, quæ per actionem calidi in humidum fit, feruorem hunc & pulsus agitationem cieri par fuerit. quare primus hic erit motus, qua ratione quoque actioni cuipiam similis esse videtur potius quàm aeris attractioni, nisi & hic ad actionē faciat aliquid.

Dubit



*Dubitationes circa quamplurimas corporis partes, ac earum determinationes: multáque de ipsarum functionibus.*

*Caput. IIII.*

HAbetur autem & de sensu difficultas. Nam si arteria sentit solum, num spiritu qui per eam fertur, an mole ipsa, an toto corpore? aut siquidem aër primus animæ subest, eo ipso tanquam potiore causa ac priore: quid igitur in animæ potentiam huiusce motionis causam referunt? quemadmodum illi quoque faciunt, qui partem rationalem animalémque inter causas referunt: & pro illorum sententia reprehendendi non fuerint, cùm & ipsi causam rogati, potentiam animæ assignent. At in non spirantibus num immixtus externo est? An non est, sed mixtus quidem, at alio quodammodo? Quæ itaque differentia eius fuerit qui arteria continetur, ad eum qui foris est? Nam vt inter has differentia statuatur, prorsus ratio postulat, & fortassis tenuitate necessario differat. At rursus aut à seipso, aut ab alio quopiam calidus est. de hoc enim ita sentiendum videtur, vt de eo qui fortis est. Nam de his quæ in corpore fiunt, ita videtur ratiocinandum esse, vt de hisce quæ foris eueniunt. Et à refrigeratione auxilium omnino quoddam accipit ipse, qui intus est aër. Num igitur sic res habet, vt qui foris tenuiore substantia est aër, vbi intro hausus fuerit & in angusta vasa intrusus, compingatur quodam modo ac densetur? aut mixtionem necessario accipit aliquam, dum per humores & cæterarum animalis partium molem versatur? Sed tum non fuerit tenuior, siquidem mixtionem sic accipiat. At ratio tamen dictabat. quòd primum animæ susceptiuū sit omnino cæ-

teris substantia tenuius esse, nisi animam quoque ipsam talem esse, nec purum quidpiam, & mixtionis omnino expertem statuamus. Porrò autem arteriam solam spiritum suscipere, recipiendum est: neruum non suscipere. Differunt tamen inter se, quatenus neruus tendi potest, arteria non potest, sed statim rumpitur, vt & vena. Cutis tribus hisce, vena, arteria, & neruo constat. vena quidem, nam dum pungitur, sanguinem emittit. è neruo autem, quia tendi potest. ex arteria quoque, perspirationem enim habet. nam sola arteria spiritum suscipit. Præterea venas habere meatus, in quibus tāquam officinæ quapiam æraria calidum latitans sanguinem calefaciat. neque enim natura calidum esse, sed illac veluti diffundi, eáque propter arteriam concrescere, & humiditatem continere tum in sese, tum in tunicis cauum ipsum abigentibus. quæ omnia è sectione manifesto deprehendere liceat. Eodem modo ad intestina & ad ventrem venas arteriásque committi, quas par sit alimentum attrahere, è venis in carnes mox distribuendum, non per obliquum, sed per venarum oscula, fistularum scilicet more. Nam è lateribus, venæ magnæ & arteriæ, exiles venæ vtrinque deriuantur, per obliquum scilicet, & venæ cuilibet arteria sua est adiuncta. Ad ossa quoque, quà scilicet committuntur inter se, & ad magnum capitis os, venæ ac nerui finiunt. Hoc parte cibum capiunt pisces & respirant: qui si non spirarent, tum ex aqua profectò exempti, morerentur illico. Quòd autem venæ & arteriæ inter se committantur, sensu quoque ipso manifestum est. Id sanè non foret, nisi & humor spiritu, & spiritus humore opus haberet, quod & in neruo, & arteria, & vena



vena vis caloris ingens sit. Cæterum qui in neruo habetur calor vehementissimus naturæ eius, qui in venis est plurimum habet. Non igitur calor spiritus regioni conuenit, tum alias ob causas, tum autem ob refrigerationem. at si actiones efficiat & veluti excitet, tum calido id fiat. Eorum præterea omnium quæ innatum quodammodo calorem obtinuere, nullo sese obiiciente, neque refrigerante vllo, duratio est. Quod enim omnia refrigeratione opus habeant: tere est manifestum. Quòd sanguis in vena calorem detineat, & velut concludat, signum fuerit, quia dum effluit ille, hoc quoque dissipatur, & mors sequitur, quòd hepar nullam habeat arteriam. De semine præterea quæstio haberi potest, num per arteriam feratur, & an compressione id quadam fiat. & dum emittitur solum. Quo loco mutatio quoque, per quam sanguis in solidarum partium naturam abit, pulcherrimamde se inquisitioni occasionem præbet, & euidentiam. Item de neruorum nutritione, num ex ossibus sit: videtur enim minime dissimilis amborū modus esse. Aut non id verum non sit, cum non solum ex ossibus suspensi in totius animalis mole, sed & in corde visantur, qui nullis ossibus commissi sint nerui, neque in alio vllo cum cæteris coëunt seu in carcerem finiunt. An hoc nihil impediat, quominus iis qui ab ossibus pendent, in idem alimentum accedat, an potius ab ipsis ossa alantur. sed & hoc absurdum est, neque sensum astipulantem habet. nam siccus natura & nullum meatum humectum habens. per sectiones neruus visitur. atqui haberet, si per eum alimentum quod est humidum, ad ossa veheretur. Quapropter diligens hic est instituenda inquisitio. Etsi

omnino in osse initium constituatur, vt ex hoc potius neruus, quam è neruo os ipsum, alimentum capiat, quomodo igitur ad ossa tandem alimentum aduehetur? aut meatus è vena arteriáve ad ipsum tendens quis erit? id enim in plerisque obscurum erit, tum ad spinam maxime quisnam deriuetur? Deinde quæ ab ossibus ad latera committuntur. quomodo è ventre deriuentur, & attractio quo pacto fiat? an plura habentur absque cartilagine, velut spina? sed non vt motum exerceant hæ sunt, magisque continuationis gratia. Sed & si é neruo, os alatur, cerui alimentum nouisse oportet. Cæterum nos affirmamus è muco illis adhærente eosdem ali. Sed rursus vnde his & quo pacto sit exponendũ erat. Carnem è vena atque arteria aliud confirmat quod dum pungitur sanguinẽ reddit quãuis in cæteris animalibus veluti volucribus, & serpentum ac piscium, & vniuerso ouiparorum genere non visatur: sed sanguine multo præditis peculiare habetur. nam & volucrum pectora incisa saniem emittunt, non sanguinem. Vnguem Empedocles per congelationem è neruo constitisse ait: an ne igitur eandem rationem ad carnem, cutim ipsa obtinere dicemus? Itidem difficultas habetur de testatis. quæque molli testa contegantur animalibus, quomodo cibus is foris accedat. contra enim intus magis quàm foris aduenire videtur. insuper autem quale in illis sit, & qua parte eiiciatur ventris onus. Item reditus ad carnem quàm sit præter rationem. admirabilis enim & omnino impossibilis esse videtur sane omnino aliis aliud alimentum est, neque omnibus sanguis esse potest. Verum ex hoc cætera sunt. De natura quoque ossium consider-



consideratio est instituenda, an triplicis functionis causa sic extiterint, & alia ad motum, alia ad fulciendum. alia vt contegant, capiantque. Et an quartum quoque inter hæc genus sit, quod tanquam principium motus sit; velut poli. Ad motum itaque instituta fuisse dico manus, ossa, & pedes, & tibiæ, & cubiti, & id bifariam, flectendi scilicet, & ambulandi. neque etiam ambulatio absq; flectione fieri potest. Sed & fulcimẽta quoque in his ipsis fere cõsistunt. Contegunt autem & capiunt, veluti quæ in capite sunt ossa, cerebrum ipsum, & quæcunque medullã in sese habent, Laterum ossa functionem habent, vt claudant. Initium autem cæterorum & velut immotum quiddam, spina est, à qua laterum quoque ossa originem ducunt, partes vtrinque claudentia. Et necesse erat omnino vt talis aliqua pars esset: nam quod mouetur, id é quiescente est. Simul autem esse aliquid oportet, cuius gratia in quo genere sane prima statuerunt, nucam, & cerebrum. Præterea vero aliud quoque genus habetur ad committendas claudẽdasque partes cæteras factum, veluti claues sunt. ex hoc ipso tale nomen sortitæ. Cæterum ad vsum idoneum vnaquæque harum partium aptissime sic est comparata. Neque enim flectio siue totius, siue partium fiat, si talia non sint, pes inquam, spina, cubitus. Nam flexus introrsum vsum habet perquàm necessarium, vt & pedis & aliarum partium consimilis motio: vniuersæ enim alicuius gratia fit institutæ fuere, vt & ossa quæ in eisdem visuntur. Sic quod in cubitu habetur focile, ad vertendum quoquouersus, cubitum & manũ facit: nam absque hoc supinam manum mouere aut pronam non licebat: & nec pedes leuari aut flecti

potuissent absque binis focilibus, hunc motum efficientibus. Eodem modo autem cæteræ quoque partes sunt inspiciendæ, velut colli motus, an ab vno esse sit. Item quæ comprehendunt cætera ac vinciunt, velut patella est genu imposita. Et quamobrem aliis quædam ex hisce non adsint. Quæ igitur motum perficiunt. vniuersa neruos adhærentes habent. & fortasis quæcunque multam actionem obeunt, velut quæ in cubitu habentur & crure: manibusque ac pedibus. Cætera quæ præter neruos ossibus adhærescere videntur, ligandi gratia adiecta sunt, non motus. quod genus aliæ quoque partes habent, quascunque vinciri oportebat. Neque enim in omnibus necesse id erat, aut parem admodum, quæcunque scilicet non operosas motiones faciunt. veluti spina est, quæ solummodo flectitur. Talium itaque inter se nexus sanies est: & humor quidam mucosus. Cætera neruis quoque vinciuntur, vt quæ in articulis sunt. De hisce omnibus nulla inquisitionis ratio commodior institui queat: quam quæ nunc est proposita: quo sane loco quæ vere initia cuiusque functionis statui queant, & cuius gratia vnumquodque ipsorum sit, perquam diligenter inspicere conuenit: velut vtrum rectius in ossa referatur motus, & num huius gratia hæc sint: an in neruos, & quæ hisce proportione respondent partes aliæ quorundam animalium, vt pote in quibus spiritus motiuus primis inest: quando & venter mouetur, & cor quoque, quorum neutrum os habet, sed à neruis texuntur ambo. & cordis substantia neruos habet, vsus itaque horum non quidem omnibus necessarius erat futurus, quæ animalia vocarentur. sed quæ motum quoque exercere possent.

Est



Est itaque inter principia istud recipiendum. quod animalibus omnibus, quæ motum erant exercitura, ad hunc ipsum vsum aut neruus, aut quæ iis proportione responderet, partem aliam natura adnexuit. Deinde ad motum cuique peculiarem sua quoque rursus instrumenta affinxit: velut pedestribus futuris pedes: & recte incedentibus binos: at per terram omnino gradientibus plures, quibus scilicet materia terrestris magis & frigidior contingit. Quædam pedibus omnino vt carerent, accidit: nam vi totius molis erant mouenda. Sic volucribus quoque alæ sunt adiectæ, & forma naturæ ipsorum idonea. Sed & inter hæc ipsa quoque differentia habeatur, prout magis aut minus sunt volucres. Pedes vero his quoque sunt additi: tum alimenti gratia, tum vt recte starent: experta vespertilione: nam huic soli his opus non erat, cum ex aëre alimentum habeat, nec quiete indigeat. Atqui pedum vsus, nullus alius est. Ex aquatilibus animalibus sola, quæ restata sunt pedes habent, ob grauitatem scilicet eorum. nam alioqui per loca volui & impelli propria vi nequibant. hæc itaque communia sunt illis. sed pro cuiusque vsu idoneo singulis sua priuatim instructa fuere. Ad quæ omnia animaduertendum scilicet est, ita vt nihil ex hisce prætereatur, quod hæc inquisitio non tentet. Sic ea quoque quæ obuia non sunt. sed inter cæteras causas latent, velut, quamobrem multipeda tardissima sint, cum tamen quadrupeda sint celeriora bipedibus: anne quod toto corpore super terra gradiantur? aut quia natura rigorecum sint, difficilius moueri queant? aut ob aliam causam?

*De actione Caloris contra nonnullos.*
*Caput V.*

QVi affirmant non calorem esse qui in corporibus animalium agat, & quod vna sola latio ignis sit aut facultas, secandi videlicet, non recte dicunt. Neq; enim in corporibus inanimatis omnibus idē efficit, sed alia densat, alia rarefacit, liquefacit alia, alia cogit. quare inanimatis quoque idem effici existimandum est. Quæ itaque caloris vis sit in fabrica operum naturæ, comparatione ad artem facta, inquiretur aptissime. Et in arte aliud efficit aurifabri ignis quam fabri ærarii, aut quam loci ignis: vt nec ipsorum quidem ignes idem efficiunt, & exterorum quoque inter se artificum. Proinde verius fortasse affirmabitur, quod & artes hoc vtantur tanquam instrumento, molliētes, liquefacientesque, & arefacientes, ac nonnullis quoq; modum ac proportionem addentes. & naturam quoq; id ipsum facere, vnde rerum inter se multiplices differentiæ proficiscātur. Ineptum itaque & ridiculum prorsus fuerit, leui inspectioni eorum quæ foris apparent. iudiciū de hisce rebus ferre, priusquam intro penetraris, & in alto latentes causas attigeris. Siue igitur separatio sit siue attenuatio siue aliud quodcunque sint calefactio & ignitio, differentiam certe sortiētur opera, pro modo tali calore vtentium. Differentia tamen artis ad naturam est, nam illa tanquam instrumento, calore vtitur, hæc, & vt instrumento, & vt materia. Qui enim ab arte ad opus adhibetur ignis, ipsius operis pars non est, at qui in natura habetur calor, diffusus per ipsum opus est, atque vna cum cæteris substantiam eius explet, & nulla in hoc difficultas est: sed magis in illo est, quo pacto natura



tura hoc instrumentum ita regat, & affectiones quibusque rebus suas ac modum omnino reliquum inurat, vt plane cognoscere scilicet, & ratione quadam vti videatur. Neque enim absque ratiocinio & cognitione hæc peragi posse videntur, neque quo pacto naturæ vis cognoscendi tribui queat satis apparet. Atqui in ignem solum & naturam spirituum hoc artificium referri non potest: at vim quampiam talem hisce admixtam esse omnem admirationem vincit. Eadem de anima quoque admiratio subit: nam in iisdem consistit non igitur inepte aut in idem referetur simpliciter, aut in partem quampiam eandem vis formatrix. Et cur motus perpetuo simi lis actio sit: nam & natura à qua fit, eadem est: & generatio itidem. At quæ differentia fuerit caloris cuiusque, siue vt organum is habetur, siue vt materia, siue amborum vicē præstat. nā ignis differentiæ, iuxta id quod magis ac minus est. sumuntur. Hæc autem fere in eo vt mixtus sit. aut immixtus, consistit. nam hic purior erit, & proinde intentior gradus: ille admixtione contrarij remissior. Eadem ratio in aliis quoque simplicibus habetur. Siquidem enim alia sint, os, & caro, quæ equi est & quæ bouis, aut ob id alia esse. quia è diuersis constituta sint, aut vsu ipso differre est necesse. Si itaque sint diuersæ inter partes simplices, quænam cuiusque earum erunt differentiæ? Sin eædem sint cum iis, quæ in aliis habentur, necesse est enim alterum è duobus hic esse, vt in cæteris quoque rebus. Nam vini & mellis temperamentum, per subiecta differre dicimus. vini autem ipsius si differentia, per rationem. Quare Empedoles simpliciter huiusce diuersitatis causam ossis

natu

naturam assignat. Siquidem enim vniuersa eandem mixtionis rationem sortiretur non differre inter se oportebat equi leonis atque hominis parte. At nunc duritie mollitieque tunc inter sese tum à cæteris differunt. Sed & quæ in eodem animali habẽtur partes, tum densitate, tum raritate tum cæteris quoque affectionibus plusculum inter se differre videntur. Quapropter non eadem temperatio omnium est. nam crassities & tenuitas, magnitudo & exiguitas in quanto: durum autem densum, & quæ hisce contraria sunt, in quali mixtionis consistunt. Cæterum qui ita sentiunt exponant oportet, quo pacto vis, quæ artificio præest, alia sit. etenim hanc auctiorem esse, aut omnino minorem sic eueniet, & per seipsam & per mixtionem: aut certe ab alio intẽdi, quem admodum quæ elixãtur assanturue, id quod vero fortasse propius est, simul enim miscet ac fingit natura. Porro eadem quoque de carne ratio est. nam & eædem propemodum differentiæ sunt Ita de vena & arteria ac cæteris. Eaque propter alterum è duobus necessarium sit, aut vt ratio horum iuxta mixtionem non sit eadem, aut non è duritie & densitate ab hisce contrariis passionibus rationes ducendas esse

*

*Libri de Spiritu finis.*



# ARISTOTELIS DE XENOPHANE, ZENONE, ET GORGIA,

## IOANNE BERNARDO Feliciano interprete.

### *De Xenophane.*

ÆTERNVM esse inquit, quicquid est: si quidem fieri non potest, vt ex nihilo quippiam existat. Siue enim omnia facta sint, siue non omnia, vtroque modo efficietur, vt ex nihilo fieri ipsa concedendũ sit. Nã si omnia fiãt, nihil præexistere: si æterno alicui alia accedant amplius & maius vnum ipsum effectũ iri asserit. Quod autem amplius & maius fit, id ex nihilo etiam proculdubio existere: quippe cum neque in pauciore amplius, neq; in minore esse maius possit. Quod vero est æternũ infinitũ esse, cùm neq; principium, vnde extiterit, habeat, neque finem, in quem fieri aliquando desierit. at infinitum esse vnum, si enim sint duo, aut plura, fines ea esse inter

ter se, ac sese mutuo terminare, sed vnum simile sibi vndequaque esse: eo quod si dissimilia plura essent, non iam esset vnum, sed multa. Vnum autem ipsum cum æternum sit, & immensum, & sibi vndequaque simile. immobile etiam esse: non enim moueri posset, nisi excesserit. Quod autem excedit necesse est, vt vel in plenum, vel in vacuum excedat. Quorum alterum hoc est plenum admittere nullo modo posse: alterum quod est vacuum, nihil sit. Sed si res ita se habeat, doloris quoque & ægritudinis, & morbi expers esse, atque eiusmodi vt neque situ transponi, neque forma diuersificari, neque alteri possit commisceri. Eo quod ex omnibus his, vt & vnū multa fiat, & quod non est procreetur, & quod est intereat, necessario efficiatur, quæ sane fieri nullo ex pluribus dicatur, sintque multæ res. quæ in se mutuo moueantur: vt mixtio vel tanquam in vno plurium compositio, vel recessione quasi mixtorum superadditio sit. efficeretur vt illo modo, eorū quæ à sese mutuo separarentur, mixta essent hoc si superaddito esset in auersione singula, quæ sub se mutuo posita ex mixtis sunt, detractis primis manifestarentur. quorū neutrum euenit, hoc autem modo etiam multa essent, nec nobis tantummodo esse viderentur. Quocirca quia res esse ita nequit, neq; fieri potest, vt multa sint, ea quæ sunt, sed non recte esse ea videantur: quandoquidem multa etiam alia sensu omni apparent ratione neque eadem gigni, neque id quod est, multa sed æternum, & infinitum, & sibi vndequaque simile est conuincere affirmat.

Nunquid igitur primū non omni sumpta opinione, neque omni quod apparet, incipiendum est,



est, sed semper eo quod maxime est firmum ac stabile. Quare si omnia, quæ in opinionem veniunt, & apparent, non recte existimantur, nihil fortasse conuenit, vt huic etiam opinioni & dogmati acquiescamus, quod nihil ex nihilo fieri statuit, quippe cum vna etiam quædam ex non rectis hæc opinio sit, quàm ex sentiendo quodam modo cum in multis essemus, existimauimus. Sin autem non omnia falsa sunt, quæ nobis apparent, sed aliqua etiam horum recte existimationes habentur vel ex demōstratione, quæ maxime rectæ esse videantur sumi debent, quas identidē certiores esse necesse est, vel quæ ex illarū rationibus demonstrandæ sunt. Si enim sint duæ inter se contrariæ opiniones quemadmodum, si multa facta fuisse dicat quispiam, necesse esse. vt ex iis quæ non sunt, extiterint: si vero id esse non potest. ea quæ sunt, multa minime esse: efficeretur etiam vt ens quodcunque est, infinitum esset: atque iccirco, etiam vnum ex vtrisque his sane ratio concluſa si simili modo probabilis est, nihilo magis vnum esse quam multa demonstrat. At si altera stabilior est ac certior, quæ ex ea collecta fuerint magis fuisse demonstranda censendum est: quæ quidem si in eum incidant, qui vtrasque has opiniones habuerit, licet ea quæ sunt, adhuc moueantur, probabilior tamen hæc est, citiusque hanc, quam illam opinionem omnes admittent. Quorum etiam si eueniat, vt contrariæ sint enunciationes, & impossibile esse, vt & factum sit quippiam ex eo quod non est, & non multæ res sint, à se mutuo hæc conuincantur, quid magis ita rem se habere assereret quispiam? Neque enim vbi demonstrauit, rectam esse opinionem, à qua incipit neque magis certam, quam de qua

demon

demonstrat sumendo disseruit. Magis si quidem sumitur verisimile esse, vt ex eo quod non est aliquid fiat, quam non multa sint ea quæ sunt. Nam de ipsis his admodum dicitur, & fieri ea quæ non sunt, & non multa facta fuisse ex iis quæ nō sunt atque nō hæc è vulgo quilibet, sed ex iis nonnulli asseruerunt, qui sapientes etiam habiti sunt. Ii vero Hesiodus.

„ *Primum ante omne, aliud, inquit, Chaos extitit, in de patenti.*

„ *Pectore cunctorum sedes firmissima tellus.*

„ *Atque amor, is cunctis specie immortalibus anteit.*

Ex quibus alia, genita fuisse, ipsa autem hæc ex nihilo. Multi præterea altj esse nihil, sed fieri omnia asserunt ex iis, quæ non sunt omnia quæ fiunt existere affirmantes. Vt nonnullis videri. etiam ex iis, quæ non sunt gigni omnia quæ fiunt, perspicuum iam sit. At vero fieri ne possint nec ea quæ dicit omittendum videtur, sed illud considerandum vtrum ex iis, quæ sumit, id conficiatur an nihil veret, quominus alio modo se se habere res queat. Illud sane est, quod primū sumit, fieri ex eo quod non est. nihil posse. Nunquid igitur omnia esse ingenita necesse est? An nihil prohibet, quin alia, ex aliis existant, atque id in infinitum progrediatur? An etiam reflexio in orbem sit, vt alterum ex altero procreetur, dū semper ita aliquid est, & infinities ex se se mutuo singula gignuntur. Nihil profecto obstat, quin omnia genita sint, etiam si nihil ex eo quod nō est, fieri concedatur: nullumque ex nominibus, quæ vnum consequuntur, prohibet quin infinita etiam ea quæ sunt. apud ipsum appellemus, propterea quod ille quoque infinito attribuit, vt omnia & sit, & dicatur. Nihil item vetat etiam si infin



infinita non sint, quo minus in orbem generatio eorum circunuoluatur. Adde, quòd si omnia gignuntur, & est nihil, vt nonnulli dicunt, quo pacto vnum æternum erit? Nam de vno quodam quòd sit, quasi sit, & concedatur, ita disputat. Si enim inquit, genitum non est, sint æterna, quasi essentia rebus inesse necesse sit. Præterea, etiam si quàm maxime fieri nequeat, vt quod non est. factum sit, aut quod est, interierit, quid impedit tamen, quin alia genita sint, alia æterna, quemadmodum etiam Empedocles inquit. Nam cùm omnia etiam ille eadem cōcesserit, & quicquam esse impossibile ex non ante creari.

*Quòdque est disrumpi, & consumitur, interiturum,*
*Semper enim stabile nixum, quocunque feretur.*

Ex iis tamen quæ sunt, quædam æterna esse inquit, ignem, aquam, terram, & aërem, reliqua ex his & genita esse, & gigni. Nulla enim alia iis quæ sunt, vt existimat, generatio est, mixtio sed tantum, & mixtorum abstractio, cuius vis hæc, natura à mortalibus appellatur. Generationem autem æternis non inesse, neque ea generari dicit quòd impossibile id prorsus sit. Vnde inquit

Qui fit enim vniuerso essentia, & vnde profecta est? Sed, dum ignis & cætera miscentur, & componuntur, multa hæc generari, dum segregantur & abstrahuntur, corrumpi asserit. Verum tamē mixtione & segregatione multa esse, natura autem quatuor absque causis, vel vnum: vel si etiam infinita statim extiterint hæc, ex quibus compositis gignuntur, segregatis corrumpuntur cætera. Quemadmodum Anaxagoram quoque affirmare nonnulli dicunt, ex iis quæ semper essent, & infinitis gonerari ea quæ fierent. Quod si ita esset, nequaquam æterna omnia essent con-

cedenda, sed nonnulla etiam quæ & gignerentur, & genita ex iis, quæ sunt, fuissent, necnon in substantias quasdam alias corrumperentur. Accedit, quòd nihil vetat, quin vna quædam substantia & forma vniuersum sit sicut & Anaximander, & Anaximenes inquiunt, aliter quàm esse vniuersum, Anaximenes aërem asserens, & quicunque alij ita vniuersum esse vnum consuerunt. Id enim & figuris, & multitudinibus, & paucitatibus & dum rarum & densum euadit, multa & infinita ea quæ & sint, & gignantur, efficit. Cùm verò Democritus quoque aquam, & aërem, & vnumquodque, quod ex multis his est, fluxione differre asserat, quid prohibet etiam ita multa & oriri & interire, dum vnum ex ente in ens antedictis differentiis semper mutatur, & nihilo tamen aut amplius, aut minus totũ ipsum efficitur? Quid item vetat, quin interdum ex aliis corpora & gignantur, & è contrario corrumpantur? Si autem etiam hæc quispiam concesserit, sitque aliquid ingenitum, quid magis id infinitum esse demonstratur? infinitum enim esse, inquit, si sit quidem aliquid, sed genitum tamen minime fuerit: quippe cum & generationis principium, & finis, termini eius sint. At enim quid obstat, id quod ingenitum est, ex antedictis finem habere? Nam si genitum est quippiam, id habere principium illud censet, vnde ea quæ gignuntur, existũt. Sed quid vetat quæso, quin etiã si genitum non fuerit quicquam, principium, nõ ex quo genitum sit, sed alterum habeat? sintque ad sese mutuo terminantia ea, quæ æterna sunt? Quid præterea impedit, quo minus totum ingenitum sit, & infinitum, ea vero quæ in ipso gignuntur, sint terminata, cùm & principium gen-



erationis, & finem habeant? Porrò etiam, sicut Parmenides inquit, nihil prohibet vniuersum esse vnum & ingenitũ, & tamen esse terminatum, Orbiculare, vt ait, globosæ per simile vndique moli, A cuius medio spatia in quascunque ferantur Partes æqua, vt nec maius, nec firmius vllum. Cùm enim habeat medium & extrema, finem habet, quamuis ingenitum sit. nam etiam si, vt ipse inquit, vnum sit, atque id corpus, alias tamen sui partes habet, quæ similes inter se sint. Simile enim ita dicit vniuersum esse non alteri alicui, quod terminatum esse arguit. Nam si infinitum est simile, & simile alteri est simile, duo igitur, vel plura entia sunt, nõ vnum, neque infinitum. Sed fortasse simile sibi esse simile dicit, ipsúmque, inquit, simile esse vniuersum, eo, quòd similibus partibus constet, cùm sit vel aqua vniuersum, vel terra, vel quippiam aliud huiusmodi. Cõstat enim hunc cẽsere vnum esse vnumquodque, quod duplicibus partibus constet, & corpus sit, quod sanè infinitum minime est. Nam vniuersum ipsum est infinitum. Quare hæc licet ingenita sint, ad sese mutuo terminant. Ad hæc, si æternum & infinitum sit, quo pacto esse vnum corpus potest? nam si sit dissimilium partium, erunt multa, & ipse quoque ita existimat. sin autem tota aqua, vel tota terra, vel quodlibet aliud vnum id sit, multas proculdubio partes habebit: quemadmodum Zeno etiam ens esse conatur demonstrare id, quod ita vnum est. erunt igitur etiam plures eius partes paucioribus & minoribus, & diuersæ prorsus, si ita nullo neque accedente, neque recedente corpore, alterabile sit. At si neque corpus sit, neque latitudine, neque longitudine vlla præditum, quomodo esse infinitum po-

test? Quid obstat, quin multa, & numerabilia huiusmodi sint? Quid prohibet etiam, quin licet plura vno esse dicantur, infinita tamen magnitudine sint? Sicut Xenophanes quoque ipsi infinitam esse terræ profunditatem, & aëris asserit. Id quod etiam Empedocles declarat, cùm quosdam reprehendens, qui ea nullo modo esse posse dicebant, cùm tamen res ita esse videretur.

*Quandoquidem, inquit, est infinito terra ipsa profundo,*
*Necnon ampláque & immensa spatia atheris alti,*
*Vaniloquo qui hominum multorum effunditur ore,*
*Naturam vniuersi, ipsius conspicientum.*

Nihil absurdi insuper est, si cum vnum sit, non vsquequaque simile fuerit. Si enim sit aqua vniuersum, vel ignis, vel quodcunque aliud tale, nihil vetat, quin plura, quàm vnum ens esse dicamus. Quandoquidem vnumquodque non prorsus simile sibi ipsi est, cùm partim rarum, partim densum sit, etiam si in raro vacuum non insit. Nihil tamen obstat, quin in raro separatim aliquibus in partibus secretum vacuum insit. Quare si totum partim densum partim rarum sit, & simili modo plenum vniuersum, rara pars minus plena erat, quàm quæ densa est. Quod si etiam ingenitum sit, ac propterea esse quoque infinitum concedatur, vt neque aliud, atque aliud esse infinitum possit, neque ita continuo vnum erit appellandum. Quo pacto enim infinitum totum, vel vacuum non totum esse vnum potest? At vero immobile etiam esse inquit, siquidem vacuum non est. omnia enim dum mutant locum, mouentur. Sed primum hoc non omnibus probatur, sed esse vacuum quoddam aiunt, quod tamen corpus non sit. Quemadmodum



dum Hesiodus quoque in generatione, primum „ ante omne aliud chaos inquit extitisse. quod „ quasi sedes quædam entibus substerneretur. Ta- „ le quid etiam vacuum quasi vas quoddam, ac receptaculum, quod medium intercedat, requirimus. Deinde etiam si vacuum nullum sit, neque ita quippiam fortasse non moueretur. Nam Anaxagoras quoque cum hoc ante ipsum tractarit, & non solum satis sibi esset id pronuntiasse, vacuum non esse, moueri tamen ea quæ sunt, inquit, etiam si vacuum non sit. Simili modo etiam Empedocles moueri quidem semper, inquit ea, quæ simul tempus in omne mouentur assidue, nihil esse in vniuerso vacuum affirmans vnde superueniens fuerit quicquam: sed cùm in vnam formam concreuerit, vnum vt iam sit quicquam neque, quod vacuum, neque, quod superefluat, vllum esse inquit. Quid enim prohibet, quin in sese mutuo ferantur, & deuoluantur omnia, dum hoc in aliud, atque aliud in aliud, atque ita deinceps semper transmutatur. quo ad primum vltimum redierit? Quin etiam forma rei, licet in eodem loco permaneat, mutationem vel alterationẽ cum alii, tum ipse ille asserit: vt ex iis etiam, quæ ab ipso dicuntur, nihil obstet, quo minus res, dum ex albo nigrum, vel ex amaro dulce fit, moueantur. Nam siue non esse vacuum concedamus, siue plenum admittere nihil posse, id nulli impedimento est, quin alteratio efficiatur. Quamobrem neque omnia æterna, neque vnum, neque infinitum esse necesse est. Sed neque infinita multa, neque vnum simile neque immobile siue vnum sit, siue multa quædam. His autem ita constitutis, nihil ex iis, quæ ab illo dicta sunt, & transponi, & alterari res vetat, cum

etsi vnum sit vniuersum, motio existat, dum & multitudine & paucitate differt, & alteratur, nulla re alia accedente nam si modo quicquam id est, quod accedit, corpus non est: & si multa sint, dum ea inter se simul & commiscentur, & secernuntur. Mixtionem enim neque super additionem eiusmodi esse, neque compositionem, qualem inquit verisimile est: vt vel statim separata inter se sint, vel in auersione dum alia aliis superocurrunt, à seseq; mutuo seorsum ferantur: sed ea quæ mixta sunt, ita esse composita, vt quælibet pars cum quilibet confusa ita sit, vt non composita, sed mixta esse videantur, neque deprehendi, qualesnam partes eorum sint, posse. Quia enim non est corpus aliquod, quod minimum sit, vnaquæque pars, simili modo ac totum commixta est.

*De Zenone.*

FIeri non posse inquit, vt si quid est, id factum fuerit, hoc de Deo asserens: quippe cum necesse sit, vt quod factum fuerit, id vel ex similibus, vel ex dissimilibus extiterit, quorū fieri neutrum queat. Neque enim simili magis conuenire vt à simili procreetur, quàm similem procreet: eo quòd æqualibus vel similibus omnia eadem erga seq; mutuo insint. neque dissimile ex dissimili posse existere. Nam siue ex imbecilliori robustius, aut ex minore maius, aut ex peiore melius, siue é contrario præstantiora ex deterioribus fierent, ex non ente quippiam efficeretur: id qnod esse nullo pacto potest. Aeternum igitur hac de causa esse Deum affirmat. Si autem Deus est id, quod præstantissimum omnium est, vnum debere esse ipsum inquit: nam si duo, aut plures etiam essent, præstantissimum & optimum



mum omnium ipsum esse nullo modo liceret: quippe cum vnusquisque ex multis Deus similis, atque iccirco talis foret. Deum enim & Dei potentiam eiusmodi esse, vt præsideat & dominetur, non subiiciatur, vt in eo quod non est præstantior, Deus non sit. Si igitur plures cū sint, partim sint seq; mutuo præstātiores, partim inferiores, Deos nullo modo fore. cum Deus inferior esse, & subiici natura non possit. Si sint æquales non fore ea natura Deum, vt præstantissimū omnium sit. propterea quod æquale neque melius, neque peius æquali sit, necesse est. Quapropter si est, & talis est Deus, vnum ipsum solum esse. neq; enim aliter omnia posset, quæcunq; vellet: quippe cū si essent plures, minime ipse esse solus posset. Cum vero vnus sit, similē quoque ipsum sibi vndequaque esse ait, quantum ad visum, & auditum, reliquosque omnes sensus spectat. alioqui enim efficeretur, vt non præsiderent, & dominarentur, sed sibi mutuo Dei partes subiicerētur, id quod fieri nullo pacto potest. si autem vndequaque sit similis, globosum quoque esse. non enim partim esse, partim non esse, sed vndequaque esse huiusmodi debere asserit. Cum itaq; sit æternus, & vnus, & globosus, neque infinitum, neque finitum esse ipsum censet. Eo quod infinitum non ens sit: quod neque medium neque principium, neque finem, neque aliam quampiam partē habeat: cuiusmodi infinitum esse inquit. ens autem tale esse, quale est non ens, proculdubio non posse. si plura sane sint, ea seq; mutuo terminare. Sed vnum neque non enti, neq; multis simile esse debere. vnum enim nihil habet, ad quod terminari queat. Id præterea, quod huiusmodi est vnum, quem Deum esse affirmat, neque moueri, neque

immobile esse inquit, quippe cum immobile illud sit, quod non est: nam neque aliud in ipsum, neque ipsum pertrãsire in aliud potest: moueantur autem ea. quæ plus vno sunt: alterum enim in alterum moueatur. necesse est. Quod si id quod non est, ne moueri quidem potest: cum id quod non est. nusquam sit: quæ vero in se mutuo transmutãtur, plura vno sunt, propterea sane effici ait vt duo, vel quæ plura vno sunt, moueantur: quiescat autem nihil, quod immobile est: vnum vero neque quiescat. neque moueatur: cum neque ei quod non est, neque multis simile sit. In omnibus autem ita sese habere Deum inquit, vt æternus & vnus, & similis, & globosus cum sit, neque infinitum esse, neque finitum, neque quiescere, neque moueri ipsum asserat. Ac primum quidem etiam iste non secus ac Melissus, sumit, id quod sit, ex eo qđ est, gigni. At enim quid obstat quin neq; ex simili, neque ex dissimili id quod fit, sed ex non ente existat? Adde quod nihilo magis efficitur, vt Deus sit ingenitus, quam vt reliqua etiam omnia: quandoquidem omnia ex simili vel dissimili constiterunt: quod fieri nõ potest. Quare vel nihil erit præter Deum, vel reliqua etiam omnia erunt æterna. Præterea præstantissimũ esse Deũ sumit, potentissimum, atque optimum ita appellans. Id autẽ ex lege minime videtur: sed in multis præstantiores sese mutuo esse Dii dicuntur, non igitur ex eo quod videtur, hanc de Deo cõsensionem sumpsit. Accedit, quod Deum esse præstantissimum non eo sensu dicitur, vt erga aliud quippiam huiusmodi sit Dei natura, sed quantum tantummodo ad suam ipsius affectionem attinet. nam si ad alterum spectemus, quid prohiberet, Deum non sua ipsius æquitate & fortitudine, sed



dine, sed ex aliorum imbecillitate excellere? At Deum ita esse præstantissimum intelligit nemo, sed quia ipse quam optime fieri potest, affectus est: nihilque ei, quo minus bene & recte sese habeat, deest. quippe cum ita sese habenti simul illud etiã eueniat, necesse sit. Ita vero esse affectos etiã si plures ipsi sint, nihil vetat: vt omnes quam optime fieri potest, affecti, & præstantissimi erga alios, non erga se sint: nam sunt proculdubio etiam alia. Cum enim præstantissimum Deum esse dicat. id aliquorum esse necesse est. at vero vnum vndequaque videre & audire nihil conuenit. neque enim si non etiam hac parte videt, minus videt, sed ea parte nõ videt. Sed fortasse cum inquit vndequaque ipsum sentire, id sibi vult. vt ipsum optime ita affectum esse significet, si similis vndequaque sit. At si sit talis, cur globosus potius, quã aliqua aliqua forma esse præditus debet quia vndequaque audit, & vndequaque domanatur? Quemadmodum enim cum cerussam vndequaque esse albam dicimus, nihil aliud significare, quam in omnibus eius partibus albedinem esse insitam volumus: quid impedimento est quo minus ita quoque illic vndequaq; videre, & audire, & dominari dicatur, vt quamcunque eius partem quispiam sumpserit, eam hoc modo esse affectam intelligamus? Sicut igitur neque cerussam, ita neque Deum hac de causa globosum esse necesse est. Porro neque infinitum. neque finitum esse, corpus cum sit, magnitudinemque habeat, qui fieri potest? Præsertim cum infinitum id sit, quod finis capax finem non habeat. finis autem & terminus in magnitudine, & multitudine, & in omni demum quantitate inest. Quocirca quod finem non habet, magnitudo cum sit, infi-

nitum est. Adde, quod cum sit globosus. finem quoque habeat necesse est, extrema enim habet siquidem habet medium, á quo plurimum abest habet autem medium, cum globosum sit. à media vero extrema ignis circumeunt, extremum enim corpus, an fines habere, nihil refert. Neque præterea si non ens est infinitum, iccireo eas infinitum non erit. Quid enim obstat, quin nõnulla sint, quæ eadem tam de ente, quam de non ente dici queant? Nemo siquidem est, qui non ens nunc sentiat. sed ens quoque non sentire nunc quispiam potest. Quæ vtraque & dici & considerari sane possunt. Non album item non ens est: nunquid igitur: propterea omnia quæ sunt esse alba dicendum erit, ne quippiam idem de ente, & de nõ ente significemus? an nihil impediet, quin ex iis etiam quæ sunt, aliquid album nõ fit. omitto quod ita alteram quoque negationem admitteret infinitum, nisi id quod antea dictum est. magis ex eo quod habet, vel non habet, vnumquodque esse est existimandum. Quare etiam ens vel inifinitum erit, vel finem habebit. Fortasse etiam non enti infinitatem attribuere absurdũ est. non enim vnumquodque quod finem non habet, infinitum dicimus, sicut neque inæquale, id quod non est. Accedit, quod Deus vnus cum sit, finem quantum ad alium Deum spectat. non habet. si vero vnum tantum est Deus, vnum etiam tãtum partes ipsius Dei erunt. Nam illud quoque absurdum est, si iis, quæ multa sunt, accidit, vt ad sese mutuo sint finita, ac terminata, propterea sequi, vt vnum finem nõ habeat. multa siquidem sunt, quæ & multis, & vni eadem insint: nam etiam ei se ipsum commune vtriusque est. Absurdum iraq; fortasse esset, si propterea non esse Deum asseremus



mus, quia multa sunt, ne in hoc similis esse ipsis videretur. Ad hæc quid prohibet, Deum etiam, si vnus sit, finitum esse, & fines habere? quemadmodum etiam. Parmenides vnum esse ipsum inquit.

*Orbiculare globosæ persimile vndique molis,* ,,
*A tuius medio spatia in quascunque ferantur* ,,
*Partes æquæ.* ,,

Terminum enim & finem alicuius quidem esse necesse est, non tamen ad aliquid. Non enim necesse est, vt quod habet finem, ad aliquid aliud finem habeat, tanquam finitum ad id referatur, quod deinceps subsequitur infinitum. Sed finitum esse, nihil aliud est, quàm extrema habere. quod autem extrema habet, vt ad aliquid ea habeat, necesse non est. aliquibus enim non accidit, vt finita ad sese mutuo sint. Præterea quod inquit de eo, quod immobile est, & mouetur, simili modo vt superiora, absurdum fortasse est. neque idem esse non moueri & immobile esse, existimare quispiam possit: sed non moueri esse negationem, quemadmodum etiam non æquale, quod de non ente etiam verum est. immobile vero de eo iam dici, quod quodam modo sese habet, non secus ac inæquale. sicut etiam quiescere, cui moueri contrarium est. nam negationes, quæ à primo existunt de cõtrariis etiam ferè dicuntur. Non moueri igitur de non ente etiam verum est, quiscere autem nõ enti non inest. Simili modo autem neque immobile esse idem significat. At iste immobile esse pro quiescere sumit, & id quod non est, quiescere inquit, quia transitionem nõ habet. Sed sicut superius etia diximus, absurdũ fortasse est, si, quia aliquid nõ enti attribuimus, id de ente nõ esse verũ

dixeri

dixerimus,præsertim si negatio fuerit,cuiusmodi est nō moueri, & nō trāsire. Multa enim, vt etiā d.ctum est,de entibus simili modo dicūtur alioqui verum nō esset,si multa esse non vnum diceremus, eo quòd non ens quoque non vnum est. In quibusdam vero contraria videntur conuenire, cùm ex negationibus minime loquimur. Necesse siquidē est, æquale vel inæquale esse quicquid multitudine & magnitudine constat: par item,vel impar, si numerus sit, eodem modo moueri vel quiescere, si sit corpus. Præterea si etiam ea de causa non mouetur Deus,& vnum, quia ea quæ multa sunt,mouētur,dum in sese mutuo trāseunt,quid vetat,quo minus Deus quoq; in aliud moueatur? Si autē ipse nō mouetur, quid vetat, partes ipsius omnia ambientis Dei in sese mutuo moueri? quippe cùm vnum, quod Zeno inquit, multa natura esse videatur. Corpus enim Deum esse statuit, siue vniuersum hoc, siue quodcunq; aliud ita appellet. Nā si esset incorporeus Deus, globosus esse qui posset? Ita quidem sanè, cùm nusquam esset, neq: etiam moueretur,neq; quiesceret. At cùm sit corpus, quin moueatur,sicut dictum est, nihil prohibet.

*De Gorgia.*

NOn esse quippiam inquit, & si sit, cognosci non posse. & si cognosci possit, esse tamen eiusmodi, vt nequeat manifestari. Præterea se nequaquam quæ ab aliis fuerint dicta,composuisse qui de rebus disputantes contraria, vt videtur inter se sibi ipsi pronuntiant: dum alii vnum & non multa, alii è contrario multa & non vnum quidam ingenita,nonnulli genita esse omnia demonstrant. Ipse enim aduersus vtrosque ratiocinatur in hunc modum. Necesse, inquit, est, vt si quid



quid sit neque vnum neque multa, neque ingenita, neque genita. id nihil sit. Nam si quicquā horum nō sit, altera his opposita proculdubio erūt: hoc est, neque vnum,neque multa,neque ingenita,neque genita non erunt. Atque hæc pattim vt Melissus,partim vt Zeno aggreditur demōstrare post primam propriam suam demonstrationem, in qua neque esse, neq; nō esse quippiam inquit. Si enim non esse est non esse non ens nihilo minus erit, quàm ens: quippe cùm non ens sit non ens, & ens sit ens. Quare nihilo magis est res esse, quam non esse. at si simili modo, inquit, sicut nō esse, est esse oppositum non erit. Nam, si non esse est esse, esse vel non esse conuenit. Quare nequaquam ita, inquit, quippiam erit, nisi esse & nō esse idem sit. est autem idem, atque ita nihil quicquam est. Nam nō ens non est,& ens entiū, quandoquidem idem est quod non ens. atque hæc quidem ipsa ratio illius est. Sed ex iis, quæ dicit, nullo modo efficitur, vt nihil sit. Cùm enim inquit, si non ens est,non ens & ens est ens, simili modo & nō ens, & ens est perinde ac si,est absolute ac simpliciter sumatur: id neque apparet,neque necesse est. Sed sicut de duobus ente & non ente alterum esse, alterum non esse dicitur. qua propter,non ens esse, verum non est. Quia igitur non est, non sequitur, vt neque esse neque nō esse vtrunque,neque alterum non sit. At nihil erit, inquit, si non esse & esse similiter sunt. quando quidem erit aliquid etiam nō esse. Sed nemo est, qui non esse, esse prorsus dicat. Nam si non ens est non ens, non propterea efficitur, vt simili modo vt ens, non ens sit: quippe cùm illud sit non ens,ens autem sit. adde quòd, si etiā absolute ac simpliciter verū esset, cum dicimus non ens esse,

mirum

mirum quidem profecto id videretur:sed si tamen ita esset,vtrum ex eo magis eueniret, vt omnia essent, quám non essent? Ita enim cõtrarium proculdubio efficeretur. Si enim& non ens est,& ens est,omnia sunt:cum & ea quæ sunt,& ea quæ non sunt simili modo sint.Nõ etenim est necesse, si non ens est.vt etiam ens non sit. Veruntamen si ita etiam quispiam concesserit, vt & non ens sit, & ens non sit, nihilominus omnia essent, eo quod ea quæ non sunt, ex illius ratione proculdubio essent.Præterea, si idem etiam sit & esse & non esse, neque ita magis vt non sit, quàm vt sit, conficietur. Nam quemadmodum ille inquit, si non ens, & ens idem est, non ens autem non est, etiam ens nõ erit.quamobrẽ nihil erit ita quoq; vice versa dicere omnia esse non possumus. si enim non ens est, & ens est, omnia erunt. Post hanc rationem subiungit: si sit aliquid,est vel ingenitum, vel genitum esse. si uero ingenitum, infinitum id fore ex Melisi enũtiatis sumit.Infinitum autem nullo modo esse, cùm neque in se sit,neq;in alio:duo enim ita,vel plura esset:ipsum vnum quod est, & illud in quo esset. nũquam autem cum sit, neque esse prorsus,ex Zenonis ratione de sede asserit.Hac de causa igitur ingenitum non esse affirmat. quin etiam neque genitum.eo quod nihil neq; ex eo quod est,neq; ex eo quod non est,gigni queat Si enim ens, inquit,transmutetur,nequaquam ens amplius erit,sicut si nõ ens gigneretur, non ens amplius non esset. Sed neq; ex non ente genitum est.si enim non ens non est, genitum nihil ex nihilo esset.Sin autem est non ens,quia neque ex ente quicquam gignitur,iccirco neque ex non ente. Quocirca si necesse est,vt si quicquam est, id vel ingenitũ sit, vel genitum

Hæc



hæc autem fieri nequeunt: vt quicquam sit, fieri etiam nullo modo potest.Præterea,sic quicquam est, inquit, id vnum est, vel plura,si autem neq; vnum, neque plura, nihil est. *Si enim vnum esset, incorporeum id esset, * sicut in Zenonis ratione dictum est. Si vero vnum sit, nihil esse. quin neque etiam multa. * Si enim vel vnum esset,vel multa,neque moueretur quidem quippiam inquit. Si enim moueretur, vel non vnum amplius esset, vel non simili modo sese haberet: sed partim non esset: partim non ens genitum esset. si item mouetur, transfertur,si transfertur, non continuũ ens diuisum est,neq; quicquam hac parte est. Quare si vndequaque moue tur, vndequaque etiam diuisum est. vndequaque igitur etiam nõ est.Deficit enim ea parte,inquit, qua diuisum ab ente est: diuisum loco vacui appellans quemadmodum in Leucippi rationibus, quæ vocantur, scriptum est.Si igitur nihil hæ demonstrationes conficiant, omnia esse. oportet enim vt quæ cogitantur, sint:& non ens,si quidẽ non est,ne cogitari quidem possit.Quòd si ita sit, nullum esse mendacium inquit,neque si in mari currus decertare quispiã dixerit, eo quòd ea omnia etiam sint. Nam quæ videmus quoque & audimus singula, propterea sunt, quia cogitantur. Si enim nõ propterea, cur sicut ea quæ videmus, sunt, ita magis ea quæ videmus esse dicẽdum est, quàm quæ cogitamus? quippe cùm,sicutillic multi eadẽ possent videre, ita hic multi cogitare eadẽ possemus. Ac quæ quidẽ cogitantur,talia sunt Sed quænã sint vera,incertũ est. Efficitur ergo,vt etiam si quippiã sit, cognosci à nobis res minime queant.Si vero,inquit cognosci etiã possunt,quo pacto manifestare eas quispiam alteri poterit?

Quod

Quod enim vidit quispiã, id quo modo oratione alteri explicabit? vel quo modo id alteri audiẽti & non videti poterit manifestari? Nã sicut visus sonos non percipit: ita neq; auditus audire colores potest: sed sonos tãtũmodo. Et dicit quidẽ illi qui loquitur, sed nõ colorẽ, neq; rẽ dicit. Quo modo igitur rẽ quispiã ab altero vel verbis, vel signo aliquo alio sibi exponi petit, quãille cõsiderauit. Qui enim colorẽ inuitus nõ est, sed orationẽ audiuit, ignorat colorẽ, & orationẽ percipit, qui vero è cõtrario colorẽ inspexit oratione auditu minime percepta, nõ colorẽ, sed orationẽ ignorat. Quare cogitari neq; color, sed videri, neq; sonus sed audiri tantũmodo potest. Sed si etiam cogitari potest: & cognoscit quidẽ, ac recognoscit ille qui dicit: qui audit tamen quo pacto idẽ cogitabit? nõ enim fieri potest, vt idẽ in pluribus, & seorsum collocatis sit. vnum enim duo esset. Verũ si etiã idẽ, inquit, in pluribꝰ sit, nihil obstat, q̃n id non simile diuersis appareat, qui nõ prorsus similes inter se sunt. Quin etiã in eodẽ quãuis vnũ, & non duo sint, idẽ non prorsus simile inest. quippe cùm neq; idẽ ipse sibi similia in eodẽ etiã tẽpore sentire videatur: sed alia auditu, visu alia, & antea & nũc diuerso modo percipiat. vt difficulter admodũ omnia eadẽ quæ alter sentire quispiam queat. Ita fit, vt etiã si cognosci res posit, eam alteri explicare quisquã possit: propterea quòd, & res ipsæ explicabiles verbis non sunt, & idem prorsus quod alter cogitare potest nemo. Sed omnes quidem etiam hæ veterũ aliorum dubitationes sunt. Quocirca hæc quoq; perpẽdenda, atq; excutienda in disputatione de illis videntur.

*Arist.de Xenophane, & Zenone, & Gorgia Finis.*



# ARISTOTELIS LIBER DE LINEIS INSECABILIBVS.

*Apud Latinos nondum visus.*

## IVLIO MARTIANO Rota interprete.

*Aristotelis Textus.*

NVnquid vllæ reperiuntur lineæ, quæ secari nequeunt: & vt in vniuersum res ista pertractetur, est ne in omni quantitate, sicut nõnulli statuũt. aliquid carens partibus? An cõfitendum est lineas aliquas insecabiles esse: nam, si vt paucum, sic & paruum est aliquid in rerum natura quod autẽ infinitas fere sectiones sustinet neq; paucũ, neq; paruũ est, sed potius, & multũ & magnũ quæ pauco, & paruo sunt opposita: statim manifestũ euadit paucũ, & paruũ finitas habere diuisiones. Quod si finitas diuisiones habent, necesse est magnitudinem insecabilem aliquam extare. Quare omni quantitati insecabile quid-

dam inerit, modo reperiatur quippiam, quod paucum, & parum nuncupari debeat.

Deinde si lineæ extat forma, atque idea, fatendum est lineam indiuiduam esse: nam constat idem omnium, de quibus prædicatur, primam esse. At partes totum natura semper antecedunt. Quare diuidua erit ipsa linea. Et eodem modo ipsum quadratum, ipse triangulus, & aliarum figurarum ideæ, ac denique superficies ipsa, & corpus ipsum. Continget enim ideis, prius alia quædam esse. Amplius si elementa sunt corpora, & elementis nihil est prius, suntque partes toto natura priores: indiuiduum proculdubio ignis erit, & vniuersaliter quicquid corporis alicuius est elementum. Quare non solum in rebus quæ cognoscimus intellectu, verum etiam in his quæ sensu percipiunt, quippiam erit, quod partes non habet. Præterea per Zenonis argumentationem necesse est aliquam extare magnitudinem, quæ partibus careat, si modo fieri nequit, vt res aliqua per singula quæque tangenda decurrens finito in tempore tangat infinita. Nam oportet vt ad medium mobile prius veniat. At rei quæ partibus non vacat, medium sublime semper aliquod supereſt. Sin autem tangit infinita, finito in tempore: id quod super lineam fertur, & mobile celerius æquali in tempore plus spatij transigit, cogitationisque nostræ velocissimus est motus, cogitatio quoque finito in tempore in singulis rerum motibus, tangit infinita. Quare si cogitationi id omni rerum progressu singula tangere, nihil aliud est quàm numerare, continget finito in tempore cogitationem infinita numerare. quod si hoc fieri nequit, indiuidua sane



sanè dabitur aliqua linea. Postremo & ex iis, quæ tradunt Mathematicis imbuti disciplinis, quiuis lineam aliquam insecabilem esse concedet. Nam si, vt dicunt, illæ commensurabiles sunt lineæ quæ eadem mensura dimetiri queunt: & quæcunque sunt commensurabiles, vt dimetiantur omnes, nihil impedit, nimirum longitudo aliqua extabit, quia mensurabuntur omnes, hanc necesse est indiuiduam esse. Nam si diuidua statuatur, huius quoque mensuræ partes, mensuram aliam aliquam habebunt. partes enim toti commensurabiles sunt ita, vt partis portio, quæ dimidia fuerat, efficiatur dupla. quoniam vero hoc fieri nequit, indiuisibilis esse mensura debet. Eodem modo & quæ semel ab ipsa mensura sunt mensuratæ, sicut omnes ex mensura compositæ lineæ, ex indiuiduis componuntur. Idem etiam continget in figuris planis: nam omnes inter se sunt à constitutis lineis procreatæ, commensurabiles. quare ipsarum quoque mensura indiuidua erit. Cæterum si quis mensuram diuidet, constitutam quandam & determinatam lineam, non erit amplius neque constituta, neque irrationalis linea, neque aliarum vlla, de quibus modo dictum est, velut quam ἀποτομὴν vocant ex duobus nominibus compositam. Verum neque secundum se aliquam definitam naturam habebunt, sed collatæ sibi ipsis & constitutæ, & irrationales erunt omnes. An primo quidem non oportet id, quod infinitas habet diuisiones non esse paruum, aut paucum. Nam locum, lineam, superficiem, & summatim omne continuum, paruum dicimus, & in quibus conuenit paucum etiam, nec ob id tamen infinitis diuisionibus ipse carere affirmamus.

Deinde si de lineis hisce indiuiduis, quæ sunt in composito ex lineis, paruum dicitur, atque ipsis puncta insunt infinita, fiatque diuisio secundum puncta & in quibusuis punctis æqualiter, poterit infinitas sectiones suscipere omnis linea, vt quæ non sit insecabilis, & quædam ipsarum in parua secari eruntque infiniti puncti pauca, fieri vero potest, vt omnis non indiuidua linea talibus soluatur diuisionibus, quibus coagmentata fuerit. Tertio si magnum ex paruis quibusdam componitur, aut magnum nihil erit, aut quod finitas habet diuisiones non erit magnum. Nam totum qualecunq; fuerit magni sectiones admittit. Est autem probabile, & paruum finitas & magnum infinitas habere diuisiones, sicque illi etiã arbitrantur. Quare manifestum euadit, non hac ratione paruum aut magnum quicquã dici, quia finitas, aut infinitas sectiones admittat. Quod si quispiam propterea quod in numeris paucum definitas sectiones habet, in lineis quoque putet finitas paruum habere stolidum se prodit, eo quod numerus è rebus partium expertibus procreatur, & ab initio quodam constituto originem sumit. Hinc omnis numerus, modo infinitus non sit, finitas diuisiones habet, magnitudines autem tali ratione non consistunt.

Qui vero lineis indiuiduis ideam constituunt, minus credibilia fortasse decernunt, quàm præsens affirmet opinio, quæ nunc in disceptationem venit. Nam linearum ideam faciendo modo quodam ideas tollunt, quibus demonstrare quod instar, moliuntur. Hic enim ratione destruuntur ideæ. Rursus quoque stultum est arbitrari elemẽta corporea partibus carere, nam etsi



etsi quidam sic affirmant, tamen quãtum ad præsentem quæstionem attinet, principium petunt. Et quanto magis quod probandum est assumere videntur tanto plus diuiduam esse longitudine lineam latitudine superficiem altitudine corpus apparet. Zenonis autem ratio sibi ipsa non consonat, cum non sic vno modo velit finito in tempore rem motam tangere infinita. Atqui tempus & linea simili modo finita, & infinita, dicuntur, ac totidem vtraque diuisiones suscipiunt. Neque numerare est singulas infiniti particulas animi cogitatione, tangere etiam si quis ita nos cogitatione singula infiniti puncta tãgere concedat: quod quidem fortasse fieri non potest. Non in rebus continuis, & substratis cogitationis motus consistit, sicut earum quæ feruntur rerum. Sed si quis animi cogitationem sic etiam moueri consentiat, non erit is motus numerus, numerare non nisi interposita quiete absoluitur. Verum absurdum est fortasse quempiam præ ignauia succumbere, propterea quod non audeat oblatas argumentationes dissoluere, atque sic imbecillitatem suam fouendo, grauioribus in super fallaciis se decipere. Quod vero de cõmensurabilibus lineis postremo dicunt, omnes vna quadam & eadem mensura oportere mensurari, falsum est admodum, & nequaquam Mathematicorum suppositionibus concordat. Non enim ita supponunt Geometræ, neque vtile ipsis istud foret, immo potius aduersaretur, lineas omnes commensurabiles esse, & omnium commensurabilium linearum communem mensuram existimare. Quamobrem ridiculum est, eos, qui dicunt se demonstrare ex Geome-

tratum decretis, & ex quibus Mathematici docent, in contentiosam pariter atque fallacem diuertere argumentationem, præsertim tam inualidam nam multis modis imbecillis est eiusmodi ratio, & quouis modo liceat ciuitate, ne aut inusitata dicere, aut argui videamur.

Præterea absonum foret, si quis à Zenonis oratione vltra quam par sit persuaderetur, lineas indiuiduas concedere: quia ipsi respondere nesciat, ob rectæ vero lineæ motum in semicirculum diuiduas non credere, quàm necesse est in rectum ita diuidere, vt infinitæ circunferentiæ, & interualla totidem interueniant. Rursus quoque facile persuaderi potest ex motu circulorum æqualium. Nam quisquis horum moueatur, oportet per maius semicirculum moueri, & quæcunque alia eiusmodi constituta sunt de lineis, fieri non posse, vt talis vllus motus peragatur, quin prius omnibus & singulis interiectis occurrat. atque hæc Mathemathicorum scita multo magis ab omnibus cõcessa sunt, quàm istorum dicta. Quamuis autem ex confutatis nuper rationibus appareat, vt neque necessarium, neque probabile sit lineas vllas indiuiduas extare, tamen ex iis etiam, quæ deinceps subiungam multo magis perspicuum euadet, & primo quidem per ea, quæ Mathematici demonstrant atque addiscenda proponunt, quæ mutare non decet. nisi probabiliores rationes habeamus. Nam neque lineæ, neque rectæ lineæ definitio cum insecabili linea consentit, vt quæ nec inter duo puncta extensa sit, nec medium vllum habeat: manifestum est igitur ex antedictis rationibus, quod neque necessarium.

neque



neque probabile sit lineas insecabiles esse. ex his autem, quæ subiicientur, manifestum adhuc magis fieri poterit. ac primo quidem per ea, quæ in mathematicis demonstrata suppositáque sunt quæ iustum. non est aliter quam certioribus rationibus amouere. Nam si quam insecabilem lineam vocant est & linea, & recta linea, nimirum ipsi & lineæ & rectæ definitio conueniet: sed neque lineæ, neque recte definitio ipsi conuenit, cum neque aliquorum media queat esse, neque medium omnino vllum habeat. Deinde omnes lineæ commensurabiles erunt. Nam omnes ab indiuiduis lineis dimetientur, quæque longitudine, quæque potentia sunt commensurabiles: indiuiduæ autem lineæ sibi ipsis commensurabiles sunt longitudine, cum inter se sint æquales: quare potentia quoque. Quod si hoc est, diuiduum erit quadratum: Tertio cum linea breuior grandiori copulata latitudinem faciat, si sumantur æquales portiones ab indiuidua, & à pedali linea, bipedalique coniungantur minoremque latitudinem indiuidua faciat quam reliqua, minor erit latitudo, quæ ab indiuidua prouenit. Quarto, si ex tribus datis rectis triangulus componitur, ex tribus quoque lineis indiuiduis componi poterit: in omni autem æquilatero perpendicularis in mediam basim incidit. Quare & medium indiuiduæ diuidet. Quinto si quadratum ex quatuor insecabilibus lineis consistat. diametro protracta, & perpendiculari ducta, quadrati costa potentia perpendicularem diametrumque dimidium æquat. Quare non erit minima, neque duplum erit spatiũ à diametro consurgens illius. quod ab indiuiduo procreatur, nam æquali ablato reli-

quum erit minus indiuiduo: nam si æqualis, diameter quadruplum describeret, hæc, atque huiusmodi complura colligere quispiam posset, eo quod omnibus, vt ita dixerim aduersantur, quæ à Mathematicis traduntur, quorum non nulla denuo subnectam. Eorum quæ partibus carent, vnus esse contractus potest, at linea duos habet. nam tota, totam, & extremis vtrinque finibus tangit. Deinde hoc pacto vna linea alteri copulata non efficeret ex vtrisque coniunctum maius, idcirco quia partibus carentia sibi ipsis adiuncta maius non faciunt.

Postea nihil continuum à duobus efficitur, quæ partes non habeant, propterea quod omne continuum plures partes continet: omnis autem linea, præter indiuiduam, est continua: quamobrem linea non erit, quæ indiuidua fuerit.

Amplius si quæuis linea, præter insectilem, in partes diuidi potest, tum æquales, tum inæquales scindatur linea in tria frusta, quæ non ex tribus insecabilibus, & vniuersaliter imparibus constet, diuidua fiet insecabilis linea. Similiter autem si in duo diuidatur linea, quæ ex paribus consistit. Quod sibifariam quidem nō omnis linea funditur, sed quæ solum ex partibus coagmentata fuerit, si iam in duas partes diuisam in quæcunque diuidi potest diuideretur, sic quoque insectilis linea diuidetur, quando ex paribus composita per inæqualia scindetur. Rursus si mobile per totum spatium vna hora mouetur, horæ dimidio per medietatem spatii mouebitur, & in minori tempore per minus spatium, quam sit medietas: ergo siquidem ex imparibus indiuiduis spatium illud componitur, redibit insectilium in medietates diuisio. siquidem media hora,



hora, medium spatium, mobile pertransit, similiter enim tempus, & linea secabitur. Quare si nulla ex cōpositis lineis diuidetur in æqualia, & inæqualia, neque sicuti tempus scindetur, non erunt indiuiduæ lineæ. Est autem eiusdem rationis sicut dictū est ex indiuiduis omnia, vel affirmare, vel negare. Ad hæc, omnis linea modo non sit infinita duos fines habet, siquidem linea hisce terminatur: at indiuidua linea non est infinita, fines igitur habebit. quare diuidua erit, finis enim aliud est, & non illud cuius est finis: aut extabit aliqua linea præter istas, quæ neque finita neque sit infinita. Præterea omnis linea vel est infinita vel fines habet: igitur insecabilis linea mon est infinita: fines ergo habebit atque diuidua erit. nam finis aliud est ab eo cuius est finis, vel erit aliqua linea, quæ neque finibus careat, neque fines habeat. Insuper non erit in quauis linea punctus: non enim [in indiuidua. nam si vnius punctus insit, ipsa primum linea sola erit, & inde pūctus: sin plures inerunt, diuidua fiet, ergo si punctus indiuiduæ lineæ nullus ineſt, neque prorsus inerit lineæ, cum reliquæ ex indiuiduis, sicuti dicunt, coaluerint.

Postea, vel nihil inter duo puncta, vel linea, erit: quod si linea: cum in omnibus lineis puncta insint, non erit insecabilis vlla linea. Amplius nō esset cuiusuis lineæ quadratum: habebit enim longitudinem, & latitudinem. atque idcirco diuisibile erit. cum illa quidem aliquid, hæc autem aliquid aliud. quod si quadratū diuiduum est, & linea vnde procreatur diuiduū erit. Præterea finis lineæ: punctus est, & non linea. finis enim extremum est. extremum vero indiuiduum igitur, si punctus est finis, indiuiduæ lineæ pars

erit punctus: atque ita vna linea maior erit altera puncto, sin indiuiduæ lineæ punctus ineſt, quia finis idem ſit continuatarum linearum, dabitur finis rei carentis partibus, & demum quid à linea punctus diſtabit, cum proprium nihil habitura ſit indiuidua linea à puncto præter nomen.

Adhuc etiam, vt linea, ſic & ſuperficies, & corpus erit impartibile. vno quippe indiuiduo exiſtente, cætera quoque conſequentur, ideireo quia vnum ad aliud diuiditur, at corpus indiuiduum non eſt cum in ſe latitudinem, & altitudinem contineat. Quare nec linea poteſt eſſe indiuidua. corpus ſiquidem in ſuperficies, ſuperficies in lineas ſoluitur. Quoniam vero rationes, quibus iſti nituntur ſententiam ſuam perſuadere debiles ſunt, & falſæ: aduerſæ autem opinionis omnes plurimum valent ad fidem faciendam: vnicuique liquere iam arbitror quemadmodum nulla queat eſſe linea, quæ diuidi non poſſit. Ex his autem quæ ſubiicientur, manifeſtum euadit ne à punctis quidem componi lineam poſſe, quam inſecabilem affirmant: ad quod probandum illamet pene quadrabunt argumenta, aut plurima ſaltem. Oportet enim punctum diuidi, quando linea, vel ex imparibus in æqualia ſecatur, vel ex paribus in non æqualia ſeinditur. Item lineæ partem non eſſe lineam, nec ſuperficiei ſuperficiem, & rurſus lineam puncto maiorem eſſe lineam, ex quibus enim vnumquodque componitur, his etiam quoduis aliud excedit. At qui illud vnum eſt eorum, quæ nullo modo fieri queunt, & per ea, quæ Mathematici docent, aperte falſum. Inſuper quoque continget punctum eſſe illud, quod in tempore fertur. modo maior in longiori æqualis



æqualis in æquali tempore, motus fiat exceſſuſq; temporis tempus fit. ſed fortaſſe tempus quoque rem quandam eſſe ex inſtantibus compoſitam, ſuntque vtraque tempus, & linea, ex ſuis quæq; indiuiſibilibus compoſita, dicet aliquis. At ſi nunc eſt principium temporis & finis, itemq; lineæ punctus: neque ſibi coniuncta ſunt principium & finis, ſed in medio ſemper aliquid habent: neque nunc neq; puncta ſibi continua eſſe poterunt. Amplius ſi linea magnitudinem aliquam habet, punctorum autem iunctura magnitudinem, nullam efficit. ideireo quia maiorem locum non occupant. Nam & quando linea, lineæ ſuperimponitur eiq; coniungitur, nulla prouenit inde maior latitudo, ſunt autem in linea pũcti, qui nec ipſi maiorem locum occupare queũt procul dubio ſequetur, vt non poſſint longitudinem cuniuncti facere. Præterea ſi res omnis, rem quamlibet aliam tangit, vel tota totam, vel pars partem, vel tota partem tangit. tanget & pũctus vnus indiuiduus punctum alium indiuiduum, totus totũ. At neceſſe eſt cum totus tangit totum cum ipſo vnum fieri, nam ſi quid remanet, quod alteri non coniungatur, non tetigit totus totum, ſin nihil remanet, & ſimul ſunt hæc duo indiuidua pũcta eundem implebit locũ id quod plura nũc eſt & prius vnũ fuit. Duobus enim in vnum coeuntibus, quæ nulla ex ſe habeant extenſionẽ idem locus ſufficit. Atque partibus carentia extẽſionem non habent, quocirca nec ex indiuiduis vlla compaginabitur magnitudo: igitur neque ẽ punctis linea, neque ex inſtantibus tẽpus componetur. Inſuper ſi qua ex puuctis componitur linea punctus tanget punctũ. igitur ſi ex K ſigno protracta fuerit ab & gd tangent ſe primũ, &

punctus,

punctus,qui est in a K & punctus qui est in K d. Quare,& diuersa parte tanget,nam res quæ partibus caret, tangit rem partibus carentem, tota totam. Ergo eundem locum posidebunt,quem K punctus obtinet,& sese puncti coniungent in eodem loco,quod si in eodem iuncti fuerint loco,se etiam tangent:quæ enim in eodem sunt loco, primo se tangant oportet. Deinde hoc pacto recta rectam duobus punctis tanget: punctus enim in a K, & punctus in K g alterum etiam tangit punctum quare linea ex g d pluribus tangit punctis. Eadem ratio fuerit,etiam si non seinuicem,sed quouis alio modo linea lineam tetigerit. Quinetiam orbis circunferentia rectam lineam pluribus tanget punctis: punctus enim contactus, quique est in circulo, quique in recta consistit sese mutuo tangunt, quod si hoc fieri non potest,neque punctus punctum tangere valet,quod si se tangere nequeunt,neq; linea punctis constare potest.nam neque punctum tangere necessarium est. Postea quonam pacto recta vlla est linea, & circularis. quando nihil differat contactus punctorum in recta & circulari? Nam res, quæ partibus careat, rem quæ partes non habeat tota totam contangit,neque prorsus eo modo est tangere, si sunt ergo lineæ quidem differentes contactus autem indifferentes, non fiet ex punctorum contactu linea circularis, & recta: quare neque è punctis constabit. Insuper necesse est puncta vel sese mutuo tangant, vel non se inuicem tangant: si igitur id quod deinceps est tangat oportet,eandem redibit ratio:sin contingit quod deinceps est non tangere, non erit linea continuum: nihil enim aliud continuum dicimus,quàm quod est ex se tangentibus compo-



positum. Quare oportebit,& hoc modo vel puncta sese mutuo tangere, vel lineam continuam esse.Amplius si absurdum est puncto punctum superimponere quo fiat linea, & lineæ lineam adiungere quo fiat superficies, impossibilia sunt,quæ ab eis dicta fuerunt:siue enim deinceps puncta, diuidetur linea per neutrum ipsorum,sed per id quod intercedit,siue se tangunt, linea erit vnius puncti spatium, hoc autem esse non potest.Postremo omnia diuiderentur, & resoluerentur in puncta,corporisque pars punctus esset,si quidem corpus è superficiebus superficies è lineis consistat, si vero illa, ex quibus primis inexistentibus singula constant, elementa sunt, puncti corporum elementa esse poterunt. Quare vniuoce corporum,& linearum elementa puncti erunt non specie diuersa. Apparet itaq; ex dictis non esse lineam è punctis, neque ab ea punctum auferri posse. nam si contingit punctum auferri, contingit & apponi quoniam autem appositio illud cui adiunctum est magis euadit, quàm prius fuerat.si tale sit appositum: quale quod susceperat. Quare ex ambobus vnum totum facere licebit,&, erit vna linea maior alia puncto:id quod fieri nequaquam potest. Verum per se quidem non potest à linea punctus auelli, per accidens autem potest eo quod ablatum lineam sequatur, cum enim totum auferatur,totius & principium, & finis auferatur oportet.at lineæ principium,& finis punctus erat, licet itaque partem de linea demere: quare: & punctum auferre, sed ea per accidens censebitur ablatio. Si vero finis tangit illud cuius est finis, vel ipsum vel aliquem eius partem, & punctus quatenus finis lineam tangit sequetur,vt hæc quidem linea puncto maior alia fit.

sit. hæc autem ex punctis nihil in medio comprehendẽtibus. Eadem ratio est,& in diuisione nam si diuisio per punctum est, & diuisio tangit aliquid tam in solido,quam in superficie. Similiter enim & solidum è superficiebus, & superficies è linea conficitur. Non est autem verum dicere per pũctum fieri diuisionem,neque paruissimam aliquam lineam in minimum, quod insit, diuidi. minimum quippe minus est etiam eorum quorum minimum dicitur. at lineæ nihil aliud quàm punctus inest, & linea,atque lineæ: linea vero puncto maior non est. nam neque superficies est linea maior:quare punctus non erit in linea minimum.Si vero lineæ coniunctus est punctus,& minimum est quod à tribus faciebus, hoc est à tribus partibus deficit,non erit punctus eorum quæ lineæ insunt minimum:nã & alia quædam insunt longitudini præter puncta, & lineas. Non enim & punctis longitudo consistit.Si vero id quod est in loco punctus est, longitudo quippe superficies & solidum,quædam ex iis compositæ res sunt:illa siquidem ex quibus cõstat linea sunt in loco,etenim & linea est in loco, ac neque corpus neq; superficies, neq; ex his quippiã in linea sunt, non erit aliquid penitus in longitudine præter puncta & lineas.

Amplius si res, quæ maior dicitur esse,in loco est,vel longitudo,vel superficies, vel corpus: est autem punctus in loco,nihilq; longitudini prædictarum rerum insit præter puncta,& lineas,sic quoque non erit punctus rerum inexistentium minimum, præterea si vas aliquod, eorum quæ in domo sunt, minimum appellatur non domui comparatum,sed per seipsum considerarum iisq; & in aliis loquendi modus seruari solet, nihil eorum



eorum quæ sunt in linea minimum erit ad lineã comparatum,quare puncto non conueniet minimi appellatio.Quoniam vero quod non est in domo, minimum esse non potest eorum,quæ in domo sunt,ita & in cæteris est iudicandum,contingit autem lineam ipsam per seipsam esse,non erit de puncto verum dicere, quod minimum sit eorum,quæ in linea sunt. Postremo non est etiam punctus articulus indiuiduus, nam articuli semper duorum termini sunt, punctus autem, & vnius lineæ terminus est.Insuper punctus,finis.articulus,diuisio potius est.Adhuc si lineam statuamus articulos superficiem quoque articulos concedamus oportet,iccirco,quia proportionem inter se seruant. Præterea articulus quodammodo differentia est,quamobrẽ Empedocles in suis carminibus inquit,

*Articuli semper constat iunctura duobus.*

Punctus autem etiam inter immobilia collocatur:Postea vero nullus habet infinitos articulos in corpore,vel in manu,at puncta habet.Et denique lapidis articulus est nullus, neque saxum articulos vllos habet, puncta vero habet.

*

*Libri de Lineis insecabilibus finis.*

# DE CAVSIS PROPRIETATVM ELEMENTORVM LIBELLVS

## ARISTOTELI ASCRIPTVS.

*Nunc primum in lucem editus.*

POSTQVAM præmissus est sermo à nobis in Cœlo & Mundo, & determinauimus, illud determinatione sufficiente, & constituimus super illud demonstrationes manifestas apertas luminosas, visum est nobis quod remansit super nos aliquid. Volumus ergo nunc determinare omnes proprietates, quæ sunt in alto & in infimo: & constringam illud constrictione sufficiente, & narrabo elementa quatuor & referam, quod dixerũt in eis qui præcesserunt ex primis, & dicam illud cum significationibus cadentibus sub sensu.

Dico ergo nunc, quod elementa quatuor, quæ sunt materiæ, quædam eorum sunt graviora aliis & quædam sunt leviora aliis, sicut diximus nos in libro ex iis, quos edidimus: quod est quia terra, quæ est frigida & sicca, est gravior elementorũ: & quod sequitur eã in gravitate est aqua, quæ est



est frigida & humida: & quod sequitur aquam in gravitate, est aër, qui est calidus & humidus: &, quod sequitur aërem in gravitate, est ignis, q. est calidus & siccus. Facta est ergo terra gravior elementorum, & inferior ipsorum in loco, & ignis levior ipsorum, & altior ipsorum in loco: & facta sunt ista duo elementa media, scilicet, aër, & aqua inter hæc duo elementa. Et æstimauerunt quidam ex Primis, quòd ignis non est ex elementis: quoniam generatus est ex motu alterato, & ratiocinati sunt in illo, quòd res, quæ generatur ex re alterata, non est elementum, & non est elementum nisi ex quo generata est illa res. Et, quòd ignis inter ista duo, qui est levior rerum, quia est in loco superiori, non est factus nisi ex confricatione orbis in aëre, nam facta est ex illo caliditas, quæ est ignis inter ista duo genera. cuius exemplum est sicut resudatio facta ex vapore terræ. & est nobis necesse vt dicamus, quòd ignis, cum sit generatus ex motu, tunc possibile est vt sit inter orbem Lunæ, & inter orbem Mercurii ignis: item inter orbem Mercurii & orbem Veneris ignis: item inter orbem Martis & inter orbem Iouis ignis: item inter orbem Saturni & stellas fixas ignis: item & maior horum ignium est quem diximus esse orbem stellarum fixarum, cum orbis stellarum fixarum sit multorum corporum, & aliquando ex orbibus vnicuique sit corpus vnum. Necesse est ergo ex hoc modo, vt mensuratio, quæ est inter orbem Saturni & orbem stellarum fixarum, sit pluris generis, & calidioris loci. Iam ergo nunc apparet per illud, quod diximus, quòd inter orbes est impletio ignis, scilicet aëris, quæ est inter omnem orbem & comparem suum qui sequitur eum sub eo, &

qui est supra ipsum, & nos videmus simile illius in lapidibus, qui fricantur cum fotili, & generã tur ex eis ignes per frictionem eorum. & simile illius iterum accidit alboribus, quæ sunt in montibus, & in desertis. fortasse enim procellosæ flant venti & confricantur ad inuicem, & inflammatur ignis & sicut fossorium, cum quo foditur fortasse enim accidit ei lapis & volat ex eo ignis, & simile huius multotiens existit. Volo ergo nunc redire ad illud, in quo fuimus de rememoratione elementorum. Dico ergo, quòd animalia omnia cum eis quæ sunt in eis, sunt composita ex istis quatuor materiis, quæ sunt elementa, & sunt commixta per ea. & semper inuenitur eorum cõmixtio ex cholera citrina calida sicca simili igni, & sanguine calido humido simili aëri, & phlegmate frigido humido simili aquæ, & cholera nigra simili terræ in frigore suo, & siccitate sua, & inuenimus has quatuor naturas, quæ sunt materiæ, ingredi corruptionem & additionem & diminutionẽ, & resolutionem à natura sua, aut ex caliditate ad frigiditatem, aut ex frigiditate ad caliditatem, aut ex humiditate ad siccitatem, aut ex siccitate ad humiditatẽ. Cùm ergo additur vnum eorum super mensuram, secũdum quam componitur ex eo, ingreditur nocumentum super corpus, & conuertitur ab ordine suo, & sua cõparatione, accidit ex eo nocumentum iterum. Et similiter, quando occupat vnum elementorum istorum quatuor, aliquod animalium interficit ipsum, & quando priuatio est eorum non est remanentia ei: quod est, quia, si aliquod animalium priuatur aëre, non est ei permanentia, & similiter quãdo occupat ipsum aër interficit ipsum, sicut illud, quod ruit ex loco altissimo



simo superiori. moritur enim antequam perueniat ad terram, & similiter ignis, quando occupat aliquod animalium. Veruntamen ignis velocius aliquo eorum interficit, & similiter terra, quando occupat aliquod animalium interficit ipsum, & similiter aqua. Veruntamen inuenimus quædam animalia habitare in aqua, sicut reptilia maris, & pisces, aqua enim sit eis tranquillitas, & habitant in ea, cúmque egredientur ab aqua, non est eis permanentia: nos autem non inuenimus aliquod animalium habitare in igne omnino. Et remansit nobis vt dicamus de corporibus substantiarum & plantarum, & quare quædam eorum natant super aquam, & quædam submerguntur in ea, & propter quam causam est istud. Dico ergo sermonem vniuersalem necessarium. quod est, quia quando corpus est vincens pars terræ, quæ est frigida, sicut ferrum & æs, & lapis, submergitur in aqua, & similiter quando vincens super ipsum est pars aquæ, & est frigida, facit illud: & quando vincens super ipsum est pars ignis & pars aëris, natat super aquam, & non fit natans super aquam, nisi per aggregationem caliditatis & siccitatis in ipso: similiter & vt sit vincens super ipsum illud: & semper inuenimus volatile natare in aëre, super quod vincit pars aëris, & ignis: quoniam penna quæ est in eo, est aërea, & dum permanet penna in eo parua, est pars terræ & pars aquæ plus, & non potest volare, nec eleuari in aëre: cùm autem multiplicatur penna eius, eleuatur in aëre, & natat in eo, cuius exemplum sunt olera, & adipes super aquam natantes: quoniam pars caliditatis in eis plus est, quoniam caliditas est eleuata semper, & præcipue quando sunt caliditas & humiditas.

nam illud est melius secundum quòd diximus, & sicut inuenimus lignum ebeni, & ilicis, & buxi, & similes eis sunt multæ ex plantis, terræ. Postquam autem expleuimus omnia, ad quæ tendimus dicere, est necessarium nobis, vt inquiramus de frigore, an est causa elementaris, an accidens intrans super corpora. iam ergo locuti sumus in eo multitudinem primorum antecedentium. Democritus autem & Plato & sectæ Arabum, & qui locuti sunt sermonibus vtriusq; dicunt, quòd frigus est radix, & quod caliditas generata est accidentalis intrans super eam: & signum illius est, quòd quando Sol declinat à nobis in orbe suo decliui dextra ad partem meridiei, accidit semper ros super flamen: & similiter loca longinqua à sentibus capitis, propter assiduationem motus Solis ad latus polorum septentrionalium, inueniuntur frigida, ita quòd non inhabitantur, & minoratur illic habitatio propter superfluitatem frigoris: & loca propinqua sentibus lineæ æqualitatis sunt calida valde propter assiduationem motus Solis super ea, & hoc est, quod est inuentum sensu. Dico ergo, quòd ipsi bene putauerunt in illo, cùm testificati sunt & quòd motus generat caliditatẽ, & quòd quies facit frigus: verumtamen nos dicimus, quòd ipsi conuenerunt nobiscum in sermone, & alongati sunt à nobis in sententia: cui attestatur visus, & quod terra esset frigida & sicca, & quòd terra propinquior elementorum est nobis, & nos sumus tangentes eam, & quòd aqua est frigida & humida propinqua nobis, proculdubio: quare fiunt ista duo elementa propinqua nobis & duo elementa calida, & sunt ignis & aër longiora à nobis. Oportet ergo propter illud quod apparet, quòd esse frigoris



goris non est nisi propinquitate duorum frigidorum nobis elementorum. Iam ergo manifestum est nunc & certum, quod æqualitas est radix, & semper inuenitur æqualitas in corporibus animali m, quæ sunt cum sanitate: & cum exitu ab æqualitate ad vnam extremitatem caliditatis, aut frigiditatis, aut humiditatis, aut siccitatis ingrediuntur ex hoc nocumenta pernicio sa. iam ergo certificatum est nunc per ista accidentia, quòd esse frigoris semper non est nisi ex propinquitate horum duorum elementorum frigidorum nobis. Narremus ergo nunc loca terræ, & littora marium, & ramos montium, & quod generat habitatores cuiusque lateris eorum & naturas hominum cuiusque locorum. Dico ergo, quòd in habitatoribus climatis primi, quod est propinquius lineæ æqualitatis, propter assiduam affixionem motus Solis, accidit siccitas & caliditas, & minoratur in eis frigiditas & humiditas: quare calefiunt matrices mulierum eorum & communicant eis nigredo corporum & crispitudo capillorum: quod est, quia sperma viri quando cadit in matrice mulieris, decoquit ipsum matrix caliditate sua, & cõmiscetur sperma illud cum sanguine matricis, donec fit fructum, deinde formatur, & sic fit spiritus vitæ in ea iussu Dei: quod est, quia super illos huius climatis vadit Sol bis in anno, quoniam permutatur de linea æqualitatis ad septentrionem donec pertransit casu lapidis capitum eorum: deinde quando redit ex altera parte, quæ est ei in septentrione ad lineam æqualitatis, est ei reditus secundus. & similiter stellæ currentes, & Luna, quorum est operatio communicans operationi Solis, faciunt simile illius, & similiter inuenimus

illos de India, & qui sunt secundum temporum rectitudinem de illis de Iamnem, & Zindi, & Europa. in illis enim omnibus apparet color nigredinis & crispitudo in capillis eorum. Et inuenimus illos, qui sunt in climate septētrione quod est propinquum polo septentrionali, & longinquum à linea æqualitatis, & loco motu fieri subito frigidos: quoniam infrigidantur matrices mulierum eorum, & accidit in eis albedo & subalbedo vehemens, & sunt sclaui & Dalmati, & in viis maris septentrionalis. ipsi enim sunt secūdum hanc formam. Illi autem, qui sunt climatis medii, sunt commixti ex albedine & nigredine, & secundum dispositionem, quæ accidit in eis ex loco de profunditate aut maris, aut littoribus maris. Iam ergo ostensum est, cuius volumus explanationem. Inuenimus autem in littoribus calorem. propterea quòd, quando Sol oritur super mare, impellit aqua caliditatē Solis ad extremitates, quæ sunt littora frigiditate sua, & intensione calefiunt propter illud littera, nisi fuerint prope illa littora mōtes excelsi, super quos ascēdunt flatus venti septentrionalis, qui est frigidus & siccus. & congelat ventus ille rorē descendentem ex aëre, & fit nix & glacies, quare infrigidātur loca illa propter illud. Et significationes accepimus nobis super illud, quod diximus de calore littorum ex operatione viri. nam, cùm impletur aqua frigida & opponitur oculo Solis, & approximatur ei pannus mundus, accenditur ille pannus. & si aqua est calida, non accenditur, & non est illud nisi propter fugā caliditatis à frigiditate, quia sunt contrariæ adinuicem. Quia ergo iā diximus illud, ad cuius rememorationem necessarium fuit, nunc dicam quod dixerunt quidam homi



homines ex quibusdam sapientibus, quod est. qua ipsi dixerunt, quod orbis stridor cadens in auribus nostris est vehemens, & quod nos consueuimus illud ex tempore natiuitatis, quare consueuerunt illud auditus nostri & acquieuit ei sensus auditus. & nos qui iam artulimus hanc dictionem in libro Cæli & Mundi determinauimus. nos autem volumus inquirere de illa inquisitione vehemēti sufficienti, quare eorū determinatio magis vltima & manifestior erit. Dico ergo quod ipsi fecerunt esse necessarium stridorem orbis, & quod auditus animalium acquieuerunt ei, iam ergo possibile est vt acquiescat auditus superioris æquali eius, & superfluo, & minori: quoniam stridor & tremitus, quando approximant auditui minorantur, & inuenimus propter sensum geometricum, & visus testificantes super illud demonstrationes: quod est, quia corpora alta approximāt quandoq; & elongātur quādoq;.

Dico ergo quod quando nascitur Sol, & stellæ sunt currentes declinatæ in meridie, est stridor minor stridore, qui fit, quando Sol, & stellæ, & Luna sunt in Septentrione: & similiter, quando stellæ sunt in superiori orbium reuolutionis suæ, est stridor & tremitus maior. & similiter accidit in Luna, quæ est propinquior corporum terræ, & velocioris motus, quam ipsa permutatio ad meridiem, & septentrionem: & possibile quidem est vt accidat simile huic in stellis fixis, quando est stella ex eis super capita nostra, oportet vt stridor maior sit cadens in auditu quam ipse est, quando est longinqua apud orientem & occidentem, & simile illius est in Sole secundum magnitudinem corporis eius, & superfluitatem stridoris eius secundum quod ipsi fecerunt necessa-

rium,quando fecerunt necessarium stridorem vt sit tremitus eius in auditibus nostris hora ortus & occasus diuersus à tremitu eius & stridore ipsius hora qua est super capita nostra. iam ergo manifestū est & planum per ea, quæ exposuimus & determinauimus de tractatibus præcedentibus, quod corporibus superioribus non est stridor,neque terminus: & fregimus sermonem eorum, qui æstimauerunt illud per demonstrationes manifestas. ponamus ergo illud & determinemus ipsum determinatione sufficiente per rationem geometricam & demonstrationes rationales. Quod est,quia reuoluam circulum, qui sit circulus terræ,& scribam super ipsum B,& reuoluam super ipsum circulum alium qui sit circulus solis, & describam super ipsum A G, & ponam locum ortus Solis punctum G, & A punctum occasus eius, & ponam punctum D loco Solis, quando est super capita nostra in medio diei, & ponam locum habitationis nostræ ex terra, & protraham lineas A G, A B, B G, & protraham à centro E ad punctum B lineam E B: dico ergo. quod Sol secundum magnitudinem sui motus & propinquitatem suam nobis non appropinquat stellæ fixæ,neque reliquæ stellæ vagæ,quæ sunt supra Solem, faciunt tremitum magnum, & quando Sol est in hora ortus sui apud punctum G, aut in hora occasus sui apud punctum A, est ei stridor minor stridore, qui est ei: quando est ad punctum D. quoniam manifestum est nobis. quod punctum G, & punctum A, sunt longinquiora puncta D: quare est vox apud ortum & occasum parua, & cum ipse super capita nostra est maior, & declaratur illud in omni die. Sed testificatur nobis visus con



contrarium illius. Et similiter accidit Lunæ secundum propinquitatem eius nobis, vt sit ei stridor & sonus maior: & quando est apud ortum, & apud occasum, & apud punctum G, aut punctum A, oportet vt elongetur à nobis, quando sumus ad punctum B: & quando est super capita nostra ad punctum D, ostenditur quod appropinquat nobis:quoniam est stridor maior & grossior: & declaratur illud in auribus nostris, & apparet illud. apparet autem contrarium illius per demonstrationes mathematicas. iam ergo determinauimus hoc, cuius determinatio fuit nobis necessaria, & manifestum est,quod linea AB,est æqualis BG lineæ. & quod linea B G, est longior linea E G. sed, quia multiplicamus lineam E G, in se & lineam B E in se, & aggregamus duas multiplicationes, & accipimus radicē, quod aggregatur est linea BG,& manifestum est quod linea AE est æqualis lineæ EG, simile lineæ BG: quoniā putamus quando multiplicamus lineam EG in se,& similiter lineam EB in se, & aggregamus duas multiplicationes & accipimus radicem eius quod aggregatur: manifestum igitur, quod linea BG est longior linea EG: ergo est longior ED: ergo multo longior linea BD. & illud est, quod volumus declarare. Quidam homines ex authoribus sermonis dixerunt: quod mare est permutatum super sphæram, & quod non est in terra locus,qui iam non fuerit super aquas: & signū illorum super illud est,quod videtur expressionibus in capitibus collium & cacumine montium: & retulit vir ex eis, qui fodit puteum, quod post quam peruenit ad locum argillæ? inuenit argillam solidam firmam, & fodit in ea, & repetiit in ipsa gubernaculum nauis: sciuit ergo per illud,

quod mare iam fuit in illo loco, & quod ipsum permutatur in seculis longis, & in tempore lõgo Quare non comprehenditur illa longitudo, neq; spatio vitæ, & abbreuiatur præter illud per brevitatẽ vitæ hominis, dicatur ergo eis quod cum sit necessaria illa permutatio maris de loco ad locum, & permutatio locorum profundorum ad marina,& marinorum ad profunda, tunc necessarium est vt dicãt quod permutatio ei est de occidente ad orientem,& de oriente ad occidentem, & de septentrione ad meridiem,& de meridie ad septentrionem, & afferunt ad illud demõstrationes visibiles:ipsi autem confitẽtur,quod res,quæ fiunt in terra, sunt propter motum corporum superiorum, & elementi nobilis scilicet orbis, & ꝙ currit ex corporibus, & ipse est agẽs in rebus omnibus,sicut illud, quod ipsi dixerunt quod diluuium.quod fuit in terra nõ fuit nisi propter coniunctionem stellarum in signo piscis, & quod ventus, qui interfecit gentes in Hadramot fuit propter coniunctionem, quæ fuit in gemini, & quod pestilentia quæ fuit in terra, iam & causa non fuit nisi coniunctio quæ fuit in signo Virginis, & similiter reliqua facta quæ fuerunt apud aggregationes, & apud cuniunctiones: & sicut illud quid videtur ex caliditate Solis,& eius operatione & operatione Lunæ, in extensione fluminũ & maturatione fructuum, & velocitate natiuitatis rerum & impletione earum & augmentatione ipsarum, & quod Luna quando oritur in quacunque hora noctis fuerit vel diei, tunc si flumẽ ingreditur mare in regione illa,in qua oritur Luna,extẽdit ipsum mare,ita ꝙ æqua illius fluminis redit ad partẽ loci à quo currit,cumq; æquat luna mediũ cæli illius regionis redit aqua ita quod reuer



reuertitur ad formã suam.deinde quando Luna incipit occidere, incipit aqua extendi iterum,donec Luna est in cardine inferiore: cũmque est in cardine inferiore, incipit aqua deminui, sicut quando vult oriri, incipit aqua augeri. taliter inuenitur semper sensu visibili. & similiter stellis vagis, scilicet planetis est communitas cum Sole in operatione sua, ipsæ autem quando declinant ad meridiem trahũt humiditatẽ ex pluuiis in meridiem. Et quidem est sicut in Nilo veniente ex parte meridiei ad terram Aegypti minorãtur hæc & multiplicantur. Et illud quod non est nisi per stellas in parte septentrionis vagas, nam quando sunt in meridie, & Sol est in septentrione, minoratur pluuia in meridie, quãdo sunt cũ Sole in septẽtrione, multiplicãtur pluuiæ in meridie, & multiplicatur extẽsio in Nilo:& inuenimus Lunam apud complemẽtum,& multiplicatur in mari inundatio vehemẽs, & similiter non est causa annorum sterilitatis & annorum vbertatis nisi propter permutationem stellarũ in signis diuersis super climata vij. immortalitas gentium præteritarũ & regna vacua fiunt apud coniunctionem stellarum duarum,scilicet Saturni & Iouis,per permutationẽ enim ipsarum de triplicitate, ad triplicitatẽ accidũt accidentia magna,& hoc inuentũ est apud eos.nos autem diuisimus de rememoratione huius multũ,quia timuimus multiplicationes.Dico ergo ꝙ causa quã dixerũt de permutatione maris super terram nõ potest esse quin sit causa illius ex permutatione Lunæ super signa,& ex operatione eius: & est illud in omnibus xviij.diebus: quare destruitur agricultura,& generatio: aut sit causa illius ex permutatione Mercurii & Veneris, & est illud in omnibus x. mẽsi

mensibus, aut minus illo aut accidit illud ex permutatione Solis & permutatur mare in omni anno, aut ex operatione Martis, & motu eius, & fit permutatio in omnibus xxij. mẽsibus, diebus xiij. aut est causa illius propter motũ Iouis, & eius ꝑmutationẽ, & erit accidẽs ꝙ diximus in omnibus xij. annis, aut est causa permutationis Saturn⁹, & est illud accidens in omnibus xxx. annis, aut per cõiunctionẽ duarũ stellarũ grauiũ, & est illud in omnibus xx annis, aut est propter cõiunctionẽ & permutationem ex triplicitate ad triplicitatem, & est illud in omnibus ducentis annis, & xl. aut est illud propter rem, quam dixerunt authores atalasimet orbi signorum, & est accessio vii. partium, & recessio octo partium in omnibus lxxx. annis gradu. Quare accidit illud in omnibus sexcentis annis, & xl.3.3. aut est illud propter mutationem orbis stellarum fixarum, & ipse permutatur in omnibus.c. annis gradu vno. quare accidit illa permutatio in omnibus xxxvij. millibus annis, & hoc vltimum omnium rerum super quam innituntur authores recidiuationis, & sententia quam inducunt. nos autem inuenimus ratione geometrica, & operatione mensurali, quòd rotũditas est xxiiij. millia milliaria, quæ est reuolutio terræ super xxxvj. annorum millia, inuenitur ergo illud in ciuitatibus propinquis littoribus marium, vt approximet eis mare, sicut ciuitas Axym & ciuitas Medecuel, & ciuitas Serendid, & insulæ Auri, & illæ quidem ciuitates sunt super mare Indiæ, & sicut ciuitates, quæ sunt super mare Alæpila, & Gemon, quæ est super luuiem mare, sicut Aegyptus, & ciuitas Alexandria, quæ sunt inter mare rubeum, & inter mare assemus. & sicut ciuitas Roma, & Byzantiũ & ciuitates



tes multæ, quarum rememoratio prolõgatur. nos autẽ non vidimus quòd mare fuerit propinquius istis ciuitatibus, neque longius, quàm est hodie neque peruenit ad nos de præteritis annis ex regnis præteritis, neq; in historia regis, neque scripserunt sapiẽtes ex eis qui locuti sunt in mari & pluuiis quod fierit propinquius. aut longius ciuitati, nisi sicut hodie est. Iam ergo manifesta est & plana per ea quæ diximus in tractatibus, destructio intentionis eius, qui dicit, quòd mare est permutatum super terrã, & apparet error eorum qui æstimauerunt illud. dico ergo quod in orbe est elementum vnum aut duo, aut tria, non plura aut pauciora. Dico igitur, quòd substantia corporis Solis est alia à substantiis corporũ stellarum & Lunæ: quod est, quia Sol habet lumẽ, & lumẽ Lunæ, & stellarum est acquisitũ à Sole, sicut ostẽdimus in aliis libris ab isto, ex naturæ editione. Iam ergo apparet & est manifestũ, quòd substantia corporis stellarum & Lunæ est alia à substantia corporis Solis, sicut candela quando opponitur ei speculũ: illuminatur enim speculũ à substantia candelæ, & est alia à substantia speculi. iam ergo apparet nũc, quòd illud quod diximus, & quod ostensum est, quòd substantia corporis stellarum & Lunæ est alia à substantia corporis Solis & similiter est substantia corporis orbis, absque substantia corporis stellarum & Lunæ, quod est, quia substantia corporis orbis ex substantia corporis stellarum & Lunæ recipit lumen & non illustratur splendore, sicut illustrantur corpora stellarum. & similiter oportet ꝙ substantia sit corporis orbis alia à substantia corporis Solis. Iã ergo apparet per ista accidẽtia, & has inquisitiones, ꝙ corpora corũ sunt diuersarũ substantia

rum

rum, & q; orbis eum eis quæ sunt in eo, sunt triæ elementa, scilicet tres substantiæ: ergo & Sol substantia per se, & stellæ, & Luna substantiæ per se: quòd si nos aggregamus illud in dictione vna, tum dicimus, q; orbis est elementum quintum, quando discernimus inter ipsum & inter ignem & aërē, & terram, quoniam est separatum ab eis per materias iiij. in natura & genere, & nos non dicimus in eo, quia est leuis, & ex eo elemento ignis, neq; grauis, & est ex elemento terræ. nā, si esset ex vno elementorum horum ingrederetur super ipsum corruptio & alteratio, aut particulariter, aut vniuersaliter, & caderēt sub generatione & corruptione, hoc autem non est inuentum in eo immo creator posuit eum causam generationis. iam ergo declaratur per illud quod exposuimus numerus elemētorum eius. Quantitatem vero eius iam ostēdimus in libro, quem composuimus super mensuratione superiorū, & narramus in ipso quantitatem ipsorum ab inuicem & proportiones corporum stellarum, & reuelationem orbis, & egressionem linearum eius, & quantitates opere syllogistico demonstratione cadente sub sensu, & illud est quod volumus exponere. Quia ergo peruenimus super illud cuius volumus declarationē, tunc redeamus super illos qui dixerūt quòd orbis est infinitus. Dico ergo, quod elementa quatuor, scilicet terra aqua aër, & ignis sunt finita quod est, quia vnicuiq; eorū est extremitas imienta: ergo oportet necessario quòd sit ei extremitas secūda: & omne cui sunt duæ extremitates, est finitum, vos autem dicitis quòd non est finitum: hoc autem est ex magno impossibili contingente dictum. dico enim quod dicitis, in elemento vnū est mobile, aut quietū, necesse est ergo



ergo eis dicere, quia est mobile & motus eius revolubilis est super mediū super duos polos, polū meridianum, & polum septentrionalē: postquam ergo manifestum est, quod est ei medium & datum est ei illud, quòd oportet vt sint ei extremitates necessario, & omne, cui sunt extremitates, habet vt locatum sit, & finitum. iam ergo planum est, non quòd mundus habet mediū & omni cui est medium sint duæ extremitates, & omne, cui sunt duæ extremitates, est habens finem, & iterū omne, cui est extremitas vna, necessario est extremitas secunda. Iam ergo manifestum est per illud, quod præmisimus, quòd mundus est finitus, & manifestus est error eius, qui dicit eum infinitum: qui autem dixit Primorum. quòd latus meridianum terræ est eleuatū, & quòd latus septentrionale contractum & depressum, dicit, quod quidam ex regibus eorum voluit aggregare inter duo maria, mare rubrum, & mare expansum scilicet semmi, vt ingrederetur ex mari semmi ad mare rubrū, & esset per illud introitus ex terra Romanorum ad terram Admot, & terram Iamam, & ex terra illius partis ad hanc, & transiret inde ad mare Persicum continuum cum duabus insulis daieli & altarilem, & quòd est illic, & alleuiaretur per illud super eos studium. Aesti mauerunt ergo, quòd quidam ex sapientibus earum prohibuit regem ab hoc opere, & dixerunt, quòd causa ipsum prohibendi fuit propterea, quòd ipse accipit altitudinem maris rubri & altitudinem maris semmi per xi. stadia, & stadium quidem est octingentorum cubitorum: submerguntur ergo ciuitates, quæ super maris litora sunt, ab vtrisque lateribus simul, sicut ciuitas Alexandria, & Damach, & Dimix, & Alpharine

pharine, & Erte, & Cilicia, & Coriſca, & Sardinia & aliæ inſulæ, quæ ſunt circiter lvij. inſulæ: quare ſubmergentur multæ ex regionibus. Poſtquam ergo narrauit regi dimiſit illud, ad quod intẽdebat, vel q̃ dixerunt. Redeamus ergo ſuper eos in hoc ſermone certo, & ſyllogiſmo geometrico cum demonſtratione rationali. Dico ergo iſtud, quòd de mari rubro in mari ſemmædie aqua tranſit ſuper alueum per æſtimationem noſtram & non eſſet alueus, quem fodorent, latior illo, qui eſt cadens in hoc mare, cuius timemus exitũ. Ipſe autem cucurrit in ipſum multis milliibus annorum: ergo in eo addit non aliquid, & maxime cum multiplicet Nilus apud tranſitum ſuum, quando redit Sol ab vltimo termino ſeptẽtrionis ad latus meridiei, ſic ergo verus eſſet ſermo quem dicitis, & opinio, quam putatis deſtruxiſſet de ciuitatibus, quas timetis per additiones aquæ & iſtis inſulis multæ, & deſtruentur quædam eorum cum multitudine facta, quæ ingreditur ex duplo eius, ſcilicet continente ſphæram ex parte orientis, & ex parte meridiei: ingreditur enim aqua in mare ſemmi à parte Occidentis ex mari continente, ergo accidet eis accidens, quod timuerunt: nos autem non videmus illud accidens. Iam ergo manifeſtum eſt contrarium eius, quod didicerunt à magiſtro ſuo, & non opinati ſunt hanc opinionem, & dubitauerunt in ſe ipſis hanc dubitationem, niſi qui habitant in terra Aegypti, aut ſunt in circuitu Nili. Ipſi vero conſideraverunt aduentum Nihi ex parte meridiei recedentes ad ſeptentrionem, & putauerunt, quòd ille acceſſus non eſt, niſi de climate terræ ad partem ſeptentrionalem, & quod ipſa eleuata eſt ad partem meridiei: quare accidit ex hoc opinio falſa oportet autẽ vt accideret illis hæc opinio à ratiocinabilibus ipſorũ, qui habitant littora Tygris, & Euphratis, & dicerẽt q̃ illa terra ex parte ſeptentrionis eſt vehementius eleuata propter deciſionẽ horũ duorũ fluminum ex parte ſeptentrionis ad partẽ meridiei: exitus enim Tigris eſt ex monte Armeniæ, & exitus Euphratis eſt ex terra Alchaſar, & caſus eorũ eſt in mare Perſicum. Oportet ergo vt accideret in mari Perſico, quòd timuerunt ſuper mare Sẽmi ex magnitudine Tigris, & Euphratis, & multitudine aquæ eorũ. Iam ergo manifeſtus eſt error eorũ qui æſtimauerũt, quod terra eſt eleuata ex parte, & cõtracta ex parte: & apparet error eorũ: & quod ipſa eſt centrũ mũdi totius, & q̃ ipſa eſt ſecundũ æqualitatem ex omni parte cum ſuperficie aquæ, & ignis cõtinens aerem. Remanſit autem ſuper nos vt dicamus corruptionem elementorũ quatuor, ſcilicet terræ, aquæ, aeris, & ignis: ingreditur autẽ ea corruptio per ſenſum: quo ſentimus q̃ eſt, quia aer infrigidatur & calefit & humectatur & exicatur, & aqua infrigidatur & calefit, & accidunt in ea dulcedo & amaritudo & ſalſedo, & terra infrigidatur, & calefit, & ſi non fit per totum, fit per partem. Fuit autem in diebus Philippi regis via mõte Macedoniæ inter duos mõtes & ſuperueniebat ei in quibuſdam momentis, hora qua nõ tranſiret ſuper illã viã, aliquis equitum & peditum, qui non caderet mortuus, quando erat inter illos duos montes. Interrogauit ergo de illo rex Philippus quoſdam ſapientes ſuos, & neſcierunt cauſam illius donec præcepit Socrates ei facere fabricã altam: fecit ergo ei, & Socrates poſuit in ea ſpeculum de chalybe: appoſuit ergo inſpicere in ſpeculo quod præparauerat oppoſitum duo-

bus montibus:vidit enim duos dracones magnos vnum ex hoc monte, & alterū ex monte secundō & vnusquisque eorū aperuerat os suum aduersus socium suum,& egrediebatur ex orificiis eorū vapor,& corrumpebāt illum aērem,& dū Socrates sedebat aspiciendo in speculo,& cōsideraret dracones,trāsibant super illā viā equites. Vidit ergo Socrates eos cadentes de bestiis.sciuit ergo quod fuit illud propter vaporem,qui fuerat egressus de ventribus draconum, & quod ille corrūpebat aērē illius loci. Festinauit ergo descendere ad Regē & narrauit ei,præcepitq; exire in montē,quare interfecti sunt:saluatusq; est loc⁹,& nō accidit in eo quod acciderat,miratus ergo est Rex de sapiētia Socratis, & illud quidem nō fiebat nisi sicut quādo proiicitur hyoscyamū in lacubus, & fluminibus,& accidit piscibus illorum fluminum ebrietas,ita quod volunt exire,& sicut corrūpuntur aēres aut per superfluitatē siccitatis: quare accidunt habitatoribus illarū regionū ægritudines prauæ,& pestilentiæ mortiferæ. iam ergo exposuimus,cuius voluimus expositionem.

*Caput. II.*

QVia ergo præmissus est sermo à nobis in eis quæ præterita sunt de proprietatibus rerum tunc loquamur nunc in proprietatibus thermārum sermonē vniuersalē,quia iam præcessit sermo in eis à primis, & determinemus illud determinatione sufficiente.Milesius autē Philosophus locutus est in eis,& conuenit super illud multitudo eorum qui secuti sunt eum. Dicit enim quod causa qua est aqua thermarū calida, si non est nisi propter vētū calefaciētē in profūditate terræ, & in cōcauitatibus quæ sunt in vētre eius: quare conuertitur caliditas illa super aquā,& calefacit eam



eā:ergo egreditur calida.Dico ergo,q̄ iste sermo est manifesti erroris,& quia sequitur impossibile, & incōueniens valde.sed,si sermo,quē ipse dicit, esset,& opinio quā putauit, oporteret vt egrederetur ille vētus,& ille vapor calidus cū egressione donec corrūperetur : nos autē inuenimus hanc aquā sempiternæ caliditatis. oportet ergo per hāc inquisitionē vt sit via Milesij non vera , & determinatio eius nō cōueniens ratiocinationi Philosophiæ.Verum Rentipholos philosophus dixit in illo sermone, in quo contrarius est Milesio, & secuti sunt eū in illo multitudo hominū & dicit , q̄ terra in illo loco est rata,nō cōiunctarum partiū, vehementis mollificationis,cui est durities: quare ingreditur eam caliditas Solis. ergo calefit aqua in cōcauitate terræ in foueis , quæ sunt in ventre eius : quare est illud causa illius caliditatis. dico ergo iterum,quōd hæc via non est vera,neq; conueniēs ratiocinationi geometricæ,quod est, quoniam si sermo,quem ipse dicit,esset, & opinio,sicut ipse putauit,oportet vt permutaretur terra in illis locis , quando declinat Sol in latus meridiei, quod est latus hyemis, & minueretur illa caliditas in illo tēpore , & adderetur in tēpore æstatis. Nos autē nō videmus illud,& q̄ æqualitas caliditatis in illa aqua existit in tēporibus, quarto scilicet in hyeme,æstate,vere,& autūno.Iā ergo ostensum est nunc,q̄ ille sermo est impossibilis,& non est aptatio cōueniens omnino. Democritus autē dicit , q̄ causa in caliditate huius aquæ est , quia in concauitatibus , quæ sunt in ventre terræ,sunt montes calcis. cum ergo currit aqua super illos montes calefit , & egreditur aqua calida super faciem terræ. Dico ergo q̄ hunc sermonē ingreditur,quod est cōtrarium considerationi & ratioci-

nationi,quod est,quia calx nõ calefit, nisi sit affociata cum igne, & locata sit caliditas in ea, cum ergo effunditur super eam aqua,efficitur calida. Iã ergo manifestum est,quòd ad calcem, quæ est in ventre terræ,non peruenit ignis.Iam ergo consequitur hãc intentionem,quam intendit Democritus.& facta est impossibile inconueniens,quòd nõ potest esse:quare ergo iam manifesti sunt quidã de sermonibus eorum per inquisitionem præcedentem:& dico tunc in illo sermonem inconuenientem ad cõprehendendum quod rectum est: quia quod est quod dicam in illo sermonem facientem esse necessarium quòd aqua currit super mineras sulphuris: quare calescit super illud. & signum illius est, quia odor sulphuris est inuentus in illa aqua, & quando inuenitur in ea sapor eius extinguitur & candela, & remanet in lichnio eius de igne,& puluerizatur super ipsum puluis sulphuris,& accenditur, & quandoque conficitur lutum cum napatha & sulphure, & fit ex eo lichnium,& ascenditur & comburitur.

*Caput III.*

ET similiter dicimus in vulcano, qui est in terra Siciliæ intra mare Semmi, & illæ concauitates & ruinæ,in quibus sunt ignes, non sunt nisi ex sulphure in ventre illius montis.cum ergo flat ventus,& mouetur vnda illo motu,coarctat vnda illum montem & calefit propter illud sulphur,& accenditur in eo ignis, & egrediuntur ex eo fumus & lapides combusti: perficitur ergo ignis in illo mari & lapides natant super aquas. quod est, quia omne corpus graue, quando aduritur, alleuiatur, & similiter autem accidit istis lapidibus collectis ex illo vulcano.iam ergo ostensum est per illud,quod nunc diximus:quòd Primi,& sententiæ



sententiæ quas narrauerunt & intenderunt illi,quidam Mileus & Replilos,& Democritus non sunt concedendæ.

*Caput IIII.*

QVia ergo iam compleuimus narrationem thermarũ & vulcani,dicamus nunc, quod dixerunt quidam philosophi de terra. Referunt quidam Philosophorũ,quòd terra fuerit in principio compositionis rotunda plana, in qua non fuerunt valles neque montes:quia erat sphericæ figuræ sicut corpora superiora, & quòd istarum vallium quæ sunt in ea, & istorum montium, causa non est nisi cõmotio aquarum. cauauerunt autem loca rara,& facti sunt montes,& quod loca rara,postquam cauata sunt,facta sunt loca marium.Dico ergo,quòd illorum,qui dixerũt hunc sermonem, & intenderunt hanc intentionem sententiæ, iam peruenerunt ad sententiam eorũ, qui dixerunt, quod maria sunt permutata, super sphæram. nos autem tam redarguimus sermonem eorum,& fregimus sententias eorum per demonstrationes in principio lib. Nunc autem redeam super illos,qui dixerunt hunc super sermonem reditione sufficiente, qua nobis possibile est, per propositiones cadẽtes sub sensibus intellectus, & sententiis geometricis.Dico in primis in esse pluuiæ,quia nõ est possibile vt fiat perforatio in terra perforatione,quòd est Dei,dicamus, quòd fuit terra leuis & rotunda, in qua non fuerunt valles, nec habuerit montes,oportuit vt esset superficies corporis induta corpore aquæ indumento æquali ab omnibus partibus,ergo cecidit aqua descendens ab aëre super aquam, quæ erat super faciem superficiei terræ.ergo putatur de hac aqua existẽte super faciẽ terræ,q̃ nõ cessabit perforari

ab ea parū à principio cōpositionis. Quod dixerunt ꝙ terra fuerit leuis, rotūda ab omnibus partibus & quod superficies aquæ fuit super eā per mensuras,& leniuit ventus aquā illam, & mouit eam,& facta est in ea inundatio, & factū est quid dam terræ concauum,& quiddā eius gibbosum, tunc sequitur hunc sermonem impossibile expellendum demōstratione. Quod est vt dicamus sermonem facientem necessariū, cui attestatur visus. Quod est, quia ventus non est nisi ex vapore terræ sicco quomodo oportet vt egrediatur ex terra vapor siccus, cum iam prohibuerit ipsum aqua quæ est super faciem terræ,& humiditatem suam,& frigiditatē: deinde,quoniā facta est aqua velamen inter terrā & aerem,tunc manifestū est per hāc inquisitionem,quia nō esset res sicut putauerunt,aut intentio, sicut ad quod intenderūt nō esset vero motus omnino: Iam ergo manifestū est,quod terra nō cessauit perforata esse à principio cōpositionis,& corrupta est intentio eorum & destructus sermo eorū,qui putauerūt,ꝙ terra nō est perforata. Et quia iā peruenimus super illud cuius voluimus declarationē de causis rerū & qualitate elementorū, & diximus in illo sermonem vltimū cum arctissima inquisitione & subtilissima sententia & breuissima,& opere cogitatiuo,& ostendimus sermonē quorundā sapienter instructorū in philosophia famosorū per loquelam in naturis rerū,remāsit ergo super nos,vt dicamus qualiter est terra, præparatio marium & trasitus fluminum, & exitus eorū,& partes ciuitatum & loca regionū & cōpositio ciuitatū,quæ sunt super littora mariū & effusio fluminum & cognitio aliorū ab aliis. Dicemus ergo illud determinatione sufficiente vt significet speculator super



super æstimationem eius, qui errauit ex illis, qui dicunt se scire naturas rerū, & significet errorem eius,qui æstimauit ꝙ terra est mobilis non quieta & frangatur in illo iterum sermo eius,in cuius mente stat, in cuius intellectu fingitur ꝙ mare & flumina sunt permutata super sphærā, & ꝙ ipsa indigent motu vniuersali non particulari cognitione aut esse in salsedine māris & fluminum, & dulcedine eorū,non est iste locus cognitionem veto longitudinum ciuitatis adinuicem, & numerum pedū eorum iam narrauimus in lib. longitudinū ciuitatū, & determinauimus determinatione sufficiēte. Cōuersio autē quæstionū,de quibus innuimus in principio lib. in frangēdo sermonem qui æstimauit quod terra mobilis est hoc modo. Oportet enim vt resoluta esset forma à figura, secundū quā est in succesionibus præteritis & temporibus præteritis,& permixta essent maria salsa vndosa cum fluminibus dulcibus, & similiter accideret inde permixtio aquarū ad inuicē quarum essent omnes aut dulces, aut salsæ. nos autē nō testificamur hoc in sensu visibili, neq; venit ad nos apud terminos quæ præcesserūt. nos autē incipimus nūc de modo terræ,& narratione ordinis mariū. & fluminū, & locorū, & ciuitatū, & regionū, ita vt fit illud sicut visus intellecturus, cui nō est simile aliquid non verū. Conducā ergo circulum maris continentis sphærā & protraham ex mari continente gausum,& est mare Indū continuum sicci, & continuatur cum ea mare abeluła,& est mare Persicum, in quod intrat Tigris & Euphrates: & egreditur ex hoc mari primo quod est mare Indum galsus: secundum mare est rubrum, & egreditur à mari cōtinente iterum ex parte Semi gansus, qui vocatur berdil mare scindens

terram Romanorum, & egreditur sub polo vniuersali Gansus qui dicitur mare Delim, cuius extremitas venit ad partem meridiei & terrã Chorisœn. Euphratis autem exitus est ex monte Armeniæ. & ascendit ad Aglog, & exitus Tigris est ab oriente terræ Armenorum, & aggregatur cum Euphrate sub Bagder, & cadit in mare Persicum & egreditur Nilus de terra AEthiopiæ, & cadit in mare Sẽmi in Alexandria, & egreditur Giõ de monte Rasmi, qui est in India, cadit in mare orientale. Volo autem ostendere regionum loca & marium. Ponam ergo punctum A locum Sin, & punctum B Indiæ, & punctum C Persiæ, & pũctum P Sceianum, & punctum L heliceb, & punctum E semi, & punctum D irat, & pũctum F Romanis, & punctum Hispaniæ, & punctum G D AEthiopiæ, & punctum MH Teilim, & est insula magna & punctum E basaranti & alcusati occidentali bagdel, & bagdel est inter Tigrim & Euphratem, & punctum N Constantinopoli, nos dimisimus narrationem plurium regionũ, quia vidimus quod in eis. quæ ostendimus, est sufficientia ad id, quod intendimus de descriptione qualitatis marium & fluminum magnorum & ciuitatum, non est ergo nobis necessitas plurium, quia iam nos ostendimus loca eorum & cognitionem longitudinis in alio lib. ab isto, & diuisionem ciuitatum & lõgitudinem fluminum, & numerum montiũ sermone abbreuiato, & determinato: hoc est ergo illud, cuius voluimus declarationem.

*Libri de Causis proprietatum elementorum finis.*

DE



# DE CAVSIS LIBELLVS

## ARISTOTELI, SEV Auempacæ, vel Alpharabio, aut Proculo ascriptus.

### *Propositio prima.*

*Liber iste ex Hebræo in Latinũ conuersus ex libro Proculi desumptus fuisse creditur.*

OMnis causa primaria plus est influens supra causatum suum quam causa vniuersalis secunda. Cum ergo remouet causa vniuersalis secunda virtutem suam à te, causa vniuersalis prima non aufert virtutem suam ab ea. Quod est, quia causa vniuersalis prima agit in causatum causæ secundæ, antequam agat in ipsum causa vniuersalis secunda, quæ sequitur ipsum. Cum ergo agit causa secunda, quæ sequitur causatum, non excluditur ipsius actio à causa prima. quæ est super eam: & quando separatur causa secunda à causato, quæ sequitur ipsum, non separatur ab ea prima causa, quæ est supra ipsam: quoniam est causa ei. Et nos quidem examplificamus illud per esse, & viuum, & hominem. Quod est, quia oportet vt sit res es-

se primo: deinde viuum, postea homo. Viuum ergo est causa hominis propinqua, & esse est causa eius longinqua. esse ergo vehementius est causa homini quam viuum, quoniam est causa viuo, quod est causa homini: & similiter quando ponis rationalitatem esse causam hominis, est esse vehementius causa homini magis quam rationalitas, quoniam est causa causæ eius. Et illius, quod significatio est, quoniam quando remoues virtutem rationalem ab homine, non remanet homo, & remanet viuum spirans sensibile. Cum autem remoues ab eo viuum, non remanet viuum, & remanet esse quoniã esse non remouetur ab eo, sed remouetur viuum: quoniam causa non remouetur per remotionẽ causati sui, remanet ergo adhuc esse. Cum ergo individuũ non est homo, est animal, & si nõ est animal, est esse tantum. Iam ergo manifestũ est & planum, quod causa lõginquæ est prima, & prima est plus cõprehẽdens, & vehementius causa rei, quam causa propinqua. Et propter id fit eius operatio vehementioris adhærentiæ cum re, quam operatio causæ propinquæ. Et hoc quidẽ nõ fit secundũ hoc, nisi quia res in primis non patitur nisi à virtute longinqua. Deinde patitur à secũda virtute, quæ est sub prima. Et causa prima adiuuat secundã causam super operationem suam, quoniam omnem operationem quam causa efficit secunda. prima etiam causa efficit. Veruntamen efficit eam per modum altiorẽ & sublimiorem. Et quãdo remouetur causa secunda à causato suo, nõ remouetur ab eo causa prima. quoniam causa prima est maioris & vehementioris adhærentiæ cum re quam causa propinqua. Et non figitur causatum causæ secundæ, nisi per virtutem causæ primæ, quod est



est, quia causa secunda, quando facit rem, influit causa prima, quæ est supra eam super illã rem de virtute sua. Quare adhæret illud rei adhærentia vehementi, & seruat eam. Iam ergo manifestum & planum, quod causa longinqua est vehementius causa rei quàm causa propinqua, quæ sequitur eam: & quod ipsa influit virtutem suam super eam, & conseruat ipsam, & non separatur ab ea separatione suæ causæ propinquæ, immo remanet in ea, & adhæret ei adhærentia vehementi, secundum quod ostendimus & exposuimus.

*Propositio Secunda.*

OMne esse superius aut est superius æternitate, & ante ipsam, aut est cum æternitate aut est post æternitatem, & supra tempus. Esse vero, quod est ante æternitatem, est causa prima: quoniam est causa ei. Sed esse, quod est cum æternitate est intelligentia quoniam est esse secundum habitudinem vnã: vnde non patitur neque destruitur. Esse autem, quod est post æternitatem & supra tempus, est anima: quoniam est in orizonte æternitati inferius & supra tempus. Et significatio quod causa prima est ante æternitatem ipsam, est: quoniam omne esse in ipsa est acquisitum. Et dico quòd omnis æternitas est esse, sed non omne esse est æternitas, ergo esse est plus commune quàm æternitas. Et causa prima est supra æternitatem, quoniam æternitas est causatum ipsius. Et intelligentia opponitur vel parificatur æternitati, quoniam extenditur cum ea, non alteratur, neque destruitur Et anima annexa est cum æternitate inferius, quoniam est susceptibilior impressionis quàm intelligentia. Et est supra tempus: quoniam est causa temporis.

Prop-

*Propositio Tertia.*

OMnis anima nobilis tres habet operationes. Nam ex operationibus eius est operatio animalis, & operatio intelligibilis, & operatio diuina. operatio autem diuina est, quoniam ipsa præparat naturam cum virtute, quæ est in ipsa à causa prima, eius autem operatio intelligibilis est, quoniam ipsa sit res per virtutem intelligentiæ. quæ est in ipsa operatio autem eius animalis est, quoniam ipsa mouet primum corpus & omnia corpora naturalia: quoniam ipsa est causa motus corporum & causa operationis naturæ. Et non efficit animas has operationes, nisi quia ipsa est exemplum superioris virtutis: quod est, quia causa prima causauit esse animæ mediante intelligentia: & propter id facta est anima efficiens operationem diuinã. Postquam ergo creauit causa prima esse animæ, posuit eam sicut instrumentũ intelligentiæ, in qua efficit operationes suas. propter id ergo anima intelligibilis efficit operationem intelligibilem. Et, quia anima suscipit impressionem intelligentia facta est inferioris operationis. quam ipsa intelligentia in impressione sua id quod est sub ipsa. Quod est, quia ipsa non imprimit vires nisi per motum, scilicet quia non recipit quod est sub ea operationem eius, nisi ipsa moueat ipsum. Propter hanc ergo causam fit quod anima mouet corpus. De proprietate nanq; animæ est vt viuificet corpora, quoniam influit super ea virtutem suam, & directe producit ea ad operationem rectã. Manifestum est igitur, quod anima habet tres operationes, vel virtutes: scilicet diuinam virtutem, & virtutem intelligibilem, & virtutem eius essentiæ, secundum quod ostendimus & narrauimus.

*Prop*



*Propositio Quarta.*

PRima rerum creatarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliud. Quod est quia esse est supra sensum & supra animas, & supra intelligentias, & non est post causam primam latius, neque prius causatum ipso. Propter id ergo factũ est superius causatis rebus omnibus & vehementius vnitum. Et non est factum ita, nisi propter suam propinquitatem esse puro vni, & vero in quo vero est multitudo aliquorum modorũ. Et esse causatum quamuis sit vnum tamen multiplicatur scilicet quia ipsum recipit multiplicitatem. Et ipsum quidem non est factum multa, nisi quia ipsum esse quamuis sit simplex, & non sit in causatis simplicius ipso, tamen est compositum ex finito & infinito. Et omne quod sequitur causam primam, est intelligentia completa in vltima potentia, & in reliquis bonitatibus: & formæ intelligibiles in ipso sunt latioros & vehementius vniuersales. & quod ex eo est inferius, est intelligentia veruntamen sub illa est intelligentia in complemento & virtute & bonitatibus, & non sunt formæ intelligibiles in illa ita dilatatæ, sicut eorum est latitudo in illa intelligentia. Et esse quidem creatum primum est in intelligentia totũ: veruntamen intelligentia in ipso est diuersa per modum quem diximus. Et, quia diuersificatur intelligentia, fit in eo forma intelligibilis diuersa. Et sicut ex forma vna propter hoc quod diuersificatur in modo inferiori proueniunt indiuidua infinita in multitudine, similiter ex esse causato primo propterea quòd diuersificatur apparent formæ intelligibiles infinitæ. Veruntamen quamuis diuersificentur, non sejunguntur ab inuicem, sicut est sejunctio indiuid

diuiduorum. quod est quoniam ipsæ vniuntur absque corruptione & separantur absque seiunctione: quoniam sunt vnum habens multitudinẽ & multitudo in vnitate. Et intelligentiæ primæ influunt supra intelligentias secundas virtutes & bonitates, quas recipiunt à causa prima, & intendunt bonitatem in eis vsquequo consequuntur vltimum earum.

*Propositio Quinta.*

INtelligentiæ superiores primæ, quæ consequuntur causam primam imprimunt formas secundas stantes quæ non destruuntur, ita vt sit necessarium iterare eas vice alia. Intelligentiæ autem secundæ imprimunt formas deciues & separabiles, sicut est anima. ipsa nanque est ex impressione intelligentiæ secundæ, quæ sequitur esse causatum inferius. Et non multiplicantur animæ nisi per modum, quo multiplicantur intelligentiæ quod est, quia esse animæ habet finem, sed quod ex eo est inferius, est infinitũ igitur animæ, quæ sequuntur alachili, id est intelligentiã vltimam, sunt completæ perfectæ & paucæ declinationis & separationis: & animæ, quæ sequuntur esse inferius, sunt in cõplemento & declinatione sub animabus primis & superioribus. Et animæ superiores influunt bonitates, quas recipiunt ab intelgentia, super animas inferiores. Et omnis anima recipiens ab intelligentia virtutem plus est super impressionẽ fortior, quiæ quod impressum est ab ea est fixũ & stans. & est motus eius motus æqualis & continuus. Et illa in qua est est ea virtus intelligentiæ minus est impresione sub animabus primis. Et est, quod ab ea impressum est, debile, euanescens destructibile. Veruntamen quãuis sit ita, tamen permanet per generationem. Iã ergo ostensum est, quare factæ sunt formæ intelligibiles multæ, & non esse earum nisi vnum simplex & quare factæ sunt multæ animæ: quarum quædam sunt fortiores quibusdam & esse earum, est vnum simplex in quo non est diuersitas.



*Propositio Sexta.*

CAusa prima superior est omni narratione & non deficiunt linguæ à narratione, & propter narrationem esse ipsius: quoniam ipsa est super omnem causam, & non narratur nisi per causas secundas, quæ illuminantur à lumine causæ primæ. Quod est, quoniam causa prima non cessat illuminare causatum suum, & ipsa non illuminatur à lumine alio, quoniam ipsa est lumen purum, sic quòd non est lumen: & quia nihil est superius ipsa: sed ipsa super omnia, ex illo ergo facta est prima sola, cuius deficit, narratio. & nõ est ita, nisi quia supra ipsam non est causa, per quam cognoscatur. Omnis res non cognoscitur, & naturalis nisi ex ipsa causa sua. Cum ergo causa est tantum, & non est causatum. nou scitur per causam primam, neque narratur: quoniam est superior narratione: neque consequitur eam loquela, quod est, quia narratio non fit nisi per loquelam, & loquela per intelligentiam, & intelligentia per cogitationem, & cogitatio per meditationem, & meditatio per sensum: causa autem prima est supra res omnes. quoniam est causa eis propter illud: fit ergo quòd ipsa non cadit sub sensu & meditatione, & cogitatione, & intelligentia, & loquela, non est ergo narrabilis. Et dico iterum, quod res aut est sensibilis, & cadit sub sensu: aut est meditabilis, & cadit sub meditatione: aut est fixa stans secundum dispositionem vnam, & est intelligibilis, aut conuertibilis destructibilis cadens

dens sub generatione & corruptione, & est cadens sub cogitatione,& causa prima est supra omnes res intelligibiles sempiternas & supra res destructibiles: quapropter non cadunt super eã meditatio,neque sensus neque intelligentia. Et ipsa quidem non signatur nisi à causa secunda, quæ est intelligentia non nominatur nisi per nomen causati sui primi, veruntamen per modum sublimiorem & nobiliorem & meliorem sicut ostendimus.

*Propositio Septima.*

INtelligentia est substantia,quæ non diuiditur Quod est,quia si non est cum magnitudine,neque corpus neq; mouetur,tunc proculdubio non diuiditur.Et iterum omne diuisibile non diuiditur nisi aut in multitudine, aut in magnitudine, aut in motum suum: cum ergo res est secundum hanc dispositionem, tũc est sub tempore, quoniã non recipit diuisionem nisi in tempore & intelligentia quidem non est cum tempore, imo est cum æternitate.quapropter facta est altior & superior omni corpore,omni tempore, & omni multitudine.Quòd si inueniatur in ea multitudo aliqua non inuenitur multitudo,nisi quid sit res existens vna.Cùm ergo intelligentia sit secundũ hunc modum, diuisionem penitus non recipit. Et si significatio quidem illius est reditio super essentiam suam quia non extenditur cum re extensa aliquâ dimensione, ita vt sit vna suarum extremitatum secunda ab alia. Quod est, quia, quando vult scientiam rei corporalis, non extenditur cum ea,sed ipsa stat fixa secundum suam dispositionem, quoniam est forma, à qua non pertransit aliquid. Et corpora quidem non sunt ita: & significatio quòd intelligentia non est corpus est,



est, quia nec diuiditur eius substantia & operatio eius,& vtræq; sunt res vna. Intelligẽtia autẽ est multa propter bonitates, quæ aduenium ei à causa prima. Et ipsa,quamuis multiplicetur per hũc modũ,tamẽ quia appropinquat vni,fit vnum quod diuiditur. Et intelligẽtia quidem non recipit diuisionẽ, quoniam est primũ creatum, quod creatum est à prima causa, & vnitas est dignior quàm diuisio, iam ergo verificatum est,ꝙ intelligentia est substantia, quæ non est cũ magnitudine, neq; corpus,neque mouetur per aliquem modum motus corporei.Quapropter facta est suprà tempus & cum æternitate,sicut ostendimus.

*Propositio Octaua.*

OMnis intelligentia scit, quod est supra se, & quod est sub se.veruntamen scit quod est sub se quoniam est causa ei,& scit quod est supra se, quoniam acquirit bonitates ab eo.Et intelligẽtia quidem est substantia intelligibilis: ergo secundum modum suæ substantiæ scit res,quas acquirit desuper, & res quibus est causa.ergo ipsa discernit quod est sub ea,& quod est supra eam: & scit ꝙ id,quod est supra se,est causa ei,& quod est sub ea est causatum ab ea: & cognoscit causam suam & causatum suum per modum,qui est causa eius, scilicet per modum substantiæ suæ & sui esse. & similiter omnis sciens nõ scit rem meliorem rem inferiorem, & deteriorem, nisi secundum modũ suæ substantiæ & sui esse,non secundum modum secundum quem res sunt. Et si hoc ita est, tunc proculdubio bonitates,quæ descendunt super intelligentiam à causa prima,sunt intelligibiles in ea, & similiter res corporeæ sensibiles,sunt in intelligentia intelligibiles. Quod est, quoniam res, quæ sunt in intelligentia, non

sunt impressiones ipsæ,imò sunt causæ impressionum. & significatio illius est, quod intelligentia ipsa est causa rerũ,quæ sunt sub ea,per hoc,quod est intelligentia tantum. Si ergo intelligentia est causa rerum per hoc, quod est intelligentia, & sub ea sunt per virtutem intelligibilem, tũc proculdubio causæ rerum sunt intelligibiles etiam, Iam ergo manifestum est, quòd res supra intelligentiam, & sub ea sunt per virtutem intelligibilem, similiter res corporeæ cum intelligẽtia sunt intelligibiles, & res intelligibiles intelligentia sunt intelligibiles, quoniam ipsa est causa earum: & quia ipsa non apprehendit nisi per modum suæ substantiæ & ipsa, quia intelligentia est, apprehendit res apprehensione intelligibili, siue intelligibiles sint res,siue corporeæ.

*Propositio Nona.*

OMnis intelligentiæ fixio & essentia eius est per bonitatem puram,quæ est causa primæ. Et virtus quidem intelligentiæ primæ est vehementioris vnitatis quàm res secundæ quæ sunt post eam, quoniam ipsæ non accipiũt cognitionem eius: & non est facta ita, nisi quia causa est ei quod est sub ea. Et significatio eius est illud, cuius rememoramur,quia intelligẽtia est regens omnes res, quæ sunt sub ea per virtutem diuinam, quæ est in ea,& per eam retinet res: quoniã per eam est causa rerum, & ipsa retinet omnes res, quæ sunt sub ea, & comprehendit eas. Quod est, quoniam omne,quod est principium rebus & causa eis, est retinens illas res,& regens eas, & non euadit ab ipsis aliquid propter virtutem alteram: Ergo intelligentia est princeps rerum, quæ sunt sub ea, & retinens eas, & regens eas,sicut natura regit res,quæ sunt sub ea per virtutem intelligentiæ, quia similiter intelligentia regit naturam per virtutem diuinam. Et intelligentia quidem non facta est retinens res, quæ sunt post eam. & regens eas, & suspendens virtutem suam super eas, nisi quoniam ipsæ non sunt virtus substantialis ei, imò ipsa est virtus virtutum substantialium, quoniam est causa eis. Et intelligentia quidem comprehendit generata,& naturam, & orizontem naturæ, scilicet animam: nam ipsa est supra naturam. Quod est, quia natura continet generationem, & anima continet naturam, & intelligentia continet animam: ergo intelligentia continet omnes res,& nõ est facta intelligentia ita, nisi propter causam primam, quæ supereminet omnibus rebus, quoniam est causa intelligentiæ, & animæ, & naturæ, & reliquis rebus. Et causa quidem prima non est intelligentia, neque anima, neque natura, imo est supra intelligentiam, & animam, & naturam, quoniam est creans omnes res: veruntamen est causans intelligentiam absque medio, & causans animam & naturam,& reliquas res mediante intelligentia. Et scientia quidem diuina non est sicut scientia intelligibilis, neque sicut scientia animalis, vel animæ, imò est supra scientiam intelligentiæ, & scientiam animæ quoniam est causans ipsas. Et quidem virtus diuina est supra omnem virtutem intelligibilem, & animalem, & naturalem: quoniam est causa omni virtuti. Et intelligentia quidẽ est habens ylcachim: quoniam est esse & forma, & similiter anima est habens ylcachim,& natura est habens ylcachim & causæ quidem primæ non est ylcachim, quoniã ipsa est tantum esse.

Quòd si dixerit aliquis necesse est, quòd ei sit yleachim, dicemus yleachim, suum esse ei infinitum, & indiuiduum suum est bonitas sua pura influens super intelligentias omnes bonitates, & super reliquas res mediante ea.

*Propositio Decima.*

OMnis intelligentia plena est formis. Verum tamen ex intelligentiis sunt, quæ continent formas plus vniuersales, & ex eis sunt, quæ continent formas minus vniuersales. Quod est, quoniam formæ, quæ sunt in intelligentiis secundis inferioribus per modum particularem, sunt in intelligentiis primis per modum vniuersalem: & formæ, quæ sunt in intelligentiis primis per modum vniuersalem, sunt in intelligentiis secundis per modum particularem. Et primis intelligentiis est virtus magna, quoniam sunt vehementioris vnitatis, quàm intelligentiæ secundæ vniuersales inferiores, & in intelligentiis secundis inferioribus sunt virtutes debiles, quoniam sunt minoris vnitatis & pluris multiplicitatis. Quod est, quia intelligentiæ, quæ sunt propinquæ vni vero puro, sunt minoris quantitatis & maioris virtutis, & intelligentiæ, quæ sunt longinquiores ab ipso, sunt minoris quantitatis & debilioris virtutis. Et, quia intelligentiæ propinquæ vero primo sunt minoris quantitatis, accidit inde, quòd formæ, quæ procedunt ex intelligentiis primis, procedant processione vniuersali vnitate. & nos quidem abreuiamus & dicimus, quòd formæ, quæ prouenunt ex intelligentiis primis, sunt debilioris processionis & vehementioris separationis. Quapropter fit, quòd intelligentiæ secundæ proiiciunt visus suos super vniuersalem formam, quæ est in intelligentiis vniuersalibus, & diuidunt eam & separant eam, quoniam ipsæ non possunt recipere illas formas per separationem & diuisionem secundum virtutem suam & certitudinem earum, nisi per modum, secundum quem possunt recipere eas, scilicet per separationem & diuisionem. Et similiter aliqua ex rebus non recipit, quod est supra eam, nisi per modum, secundum quem potest recipere ipsum, non per modum, secundum quem est res recepta.



*Propositio Vndecima.*

OMnis intelligentia intelligit res sempiternas, quæ nō destruuntur, neque cadunt sub tempore. Quod est, quoniam, si intelligentia est semper, quæ non mouetur, tunc ipsa est causa rebus sempiternis, quæ nō destruuntur, nec permutantur, neque cadunt sub generatione & corruptione. Et intelligentia non est ita, nisi, quia intelligit rem per esse suum, & esse suum sempiternum est, & non corrumpitur. Cum ergo ita sit dicimus, quòd res destructibiles sunt ex corporeitate, scilicet ex causa corporea temporali, non ex causa intelligibili æterna.

*Propositio Duodecima.*

PRimorum omnium quædam sunt, in quibus dā per modum quo licet vt sit vnum eorum in alio. Quod est, quia animi esse sunt & vita & intelligentia, & vita sunt esse, & intelligentia, & intelligentia sunt esse, & vita. Veruntamen esse, & vita in intelligentia sunt duæ intelligentiæ, & esse & intelligentia in vita, sunt duæ vitæ, & intelligentia & vita in esse sunt duo esse. Et illud quidem non est ita, nisi quia vnumquodque primorū aut est causa, aut causatum: causatum ergo in causa est per modum causæ, causa in causa-

to per modum causat. Nos quidem abbreuiamus & dicimus, quod res agens in rem per modum causæ non est in ea nisi per modum qui est causa eius. Sicut sensus in animali per modum animalem, & anima in intelligẽtia per modum intelligibilẽ, & intelligentia in essẽ per modũ essentialẽ, & esse primum intelligẽtia per modum intelligibilem, & intelligentia in anima per modum animalem, & anima in sensu per modum sensibilem. Redeamus ergo & dicamus, quod sensus in anima & intelligentia in causa prima sunt permodos similes & diuersos, sicut ostendimus.

*Propositio Decimatertia.*

OMnis intelligentia intelligit essentiã suam. Quod est, quia intellectus & intellectum sunt simul. Cùm enim intelligẽtia est intellectũ & intelligens, tunc proculdubio videt essentiam suam. Et quando videt essentiam suam, scit & intelligit per intelligentiam essentiam suam. Et quando scit essentiam suam, scit reliquas res, quæ sunt sub ea, quoniam sunt ex ea. Veruntamen in ea sunt per modum intelligibilem ergo intelligentia & res intellectæ sunt vnũ. Quod est, quia si res intellectæ & intelligentia sunt vnum, & intelligentia scit essentiam suam, tunc proculdubio, quãdo scit essentiam suam, scit reliquas res, & quando scit reliquas res, scit essentiam suam & quando scit reliquas res, tunc ipsa non scit eas, nisi quia sunt intellectæ, ergo intelligentia scit essentiam suam, & scit res intellectas simul, sicut ostendimus.

*Propositio Decimaquarta.*

IN omni anima res sensibiles sunt hoc, quod sunt exemplum ei, res intelligibiles: in ea sunt quia scit eos, & non facta est ita, nisi qui est ex



expansa inter res intelligibiles. quæ non mouentur, & inter res sensibiles, quæ mouentur. Et quia anima sic est, sit quod imprimit res corporeas. Quapropter facta est causa corporum, & facta est causata ab intelligentia, quæ fuit ante ipsam. Res igitur quæ imprimũtur ab anima sunt in anima per intentionem exempli, scilicet quia res sensibiles exemplificantur secundum exemplum animæ, & res, quæ cadunt supra animam, sunt in anima per modum acquisitum. Cum ergo hoc sit ita, redeamus & dicamus, quod res sensibiles omnes in anima sunt per modũ causæ suæ propter quod anima est sicut causa exemplaris. Et intelligo per animam, virtutem agentem res sensibiles. Veruntamen virtus efficiens in anima non est materialis, & virtus in anima est spiritualis, & virtus imprimens in rebus habentibus dimensiones, est sine dimensione corporea. Res autem intelligibiles in anima sunt per modum accidentalem, scilicet quia res intelligibiles vnitæ sunt in anima per modum qui multiplicatur, & res intelligibiles, quæ non mouentur, sunt in anima per modum motus. Iam ergo ostensum est, quod res intelligibiles & sensibiles sunt in anima: veruntamen res sensibiles corporeæ motæ sunt in anima per modum animalem vnitum, & spirituales res intelligibiles vnitæ quiescentes sunt in anima per modum qui multiplicat motum.

*Propositio Decimaquinta.*

OMnis sciens, qui sit essentiam suam, est, rediens ad essentiam suam reditione completa. Quod est, quia scientia non est nisi actio intelligẽtis; eum ergo scit sciens suam essentiam

tūc credit per operationem suam intelligibilem ad essentiam suam. Et hoc non est ita, nisi quia sciens & scitum sunt res vna, quoniam scientia scientis essentiam suam, est ex eo, & ad eum, quia est scitum. Quod est quia propterea quod scientia est scientia scientis & scies scit essentiam suam, est eius operatio rediens ad essentiam suam. ergo substantia eius est rediens ad essentiam suam iterum. Et non significo per reditionem substantiæ ad essentiam suam iterum. nisi quia est stans fixa per se, non indigens in sua fixione & sua essentia re alia regente ipsam: quoniam est substatia simplex sufficiens sibi per seipsam.

*Propositio Decima sexta.*

OMnes virtutes quibus non est finis, pendentes sunt per infinitum primum, quod est virtus virtutum: non quia ipsæ sint acquisitæ fixæ stantes in rebus entibus, immo sunt virtus rebus entibus habentibus fixionem. Quod si aliquis dicat, quod ens primum causatum, scilicet intelligentia, est virtus, cui non est finis, dicimus, quod non est ens causatum virtus, immo est ei virtus quædam. Et virtus quidem eius non est facta infinita nisi inferius & non superius: quoniam ipsa non est virtus pura, quæ non est virtus, nisi quia virtus est, & est res, quæ non finitur inferius, neq; superius. Ens autem primum causatum habet finem, & virtus eius est finis, secundum quem remanet causa eius: ens autem primum creans est infinitum primum purum. Quod est, quia si entibus fortibus non est finis nisi per suam acquisitionē ab infinito primo puro, propter quod sunt entia infinita, & si est ens primum ipsum quod ponit res, quibus non est finis, tunc ipsum procul dubio est supra infinitum. Ens autem primum creatum



creatum, scilicet intelligentia, ipsum non est finitum. immo dicitur, quod est infinitum, neque dicitur, quod est ipsummet, quod non est finitum Ens ergo primum est mensura entium primorum intelligibilium: & entium secundorum sensibilium, scilicet quia ipsum est, quod omnia entia creauit, & mensurauit ea mensura conuenienti omni enti. Redeamus ergo & dicamus, quod ens primum creans est supra infinitum, sed ens secundum creatum est infinitum. Et quod est inter ens primum creans, & ens secundum creatum, est non finitum. Et reliquæ bonitates simplices, sicut vita & lumen, & quæ sunt eis similia, sunt causa rerum omnium habentium bonitates, scilicet quod infinitum est à causa prima. Et causatum primum est causa omnis vitæ, & similiter reliquæ bonitates descendētes à causa prima super creatum primum, in primis est intelligentia, deinde descendunt supra reliqua causata omnia intelligibilia & corporea mediante intelligentia.

*Propositio Decimaseptima.*

OMnis virtus vnita plus est infinita quam virtus multiplicata. Quod est, quia infinitum primum, quod est intelligentia, est propinquum vni puro. Propter illud ergo factum est, quod in omni virtute propinqua vni puro est infinitas plus quam in virtute longinqua ab eo, Quod est quia virtus, quando incipit multiplicari, tūc destruitur vnitas eius, & quādo destruitur eius vnitas destruitur eius infinitas, & non destruitur infinitas eius, nisi quando diuiditur, & huius quidem significatio est virtus diuisa. Et quod ipsa, quanto magis aggregatur & vnitur, tanto plus magnificatur & vehementior fit, & efficit operationes mirabiles. Et quanto magis partitur & di

uiditur, tanto plus minoratur & debilitatur, & efficit operationes viles. Iam igitur manifestum est, & planum, quod virtus, quando plus approximat vni puro & vero, fit vehemētior eius vnitas. & quanto vehementior fit eius vnitas, est infinitas in ea magis apparens & manifestior, & sunt operationes eius operationes magnæ mirabiles, & nobiles.

*Propositio decimaoctaua.*

RES omnes habēt essentiam per ens primum Et res viuæ omnes sunt motæ per essentiam suam propter vitam primam. Et res intelligibiles omnes habent scientiam propter intelligentiam primam. Quod est, quia, si omnis causa dat causato suo aliquid, tunc proculdubio ens primum dat causatis suis omnibus esse. Similiter vita dat causatis suis motum, quia vita est processio procedens ex ente primo quieto sempiterno, & motus similiter primus. Et similiter intelligentia dat causatis suis sciētiam, quod est, quia omnis vera scientia non est nisi intelligentia. & intelligentia est primum sciēs, quod est primum influens scientiam super reliqua entia. Redeamus ergo & dicamus, quod ens primum quietum est causa causarum. & si primum. ipsum dat esse omnibus, tunc ipsum dat eis per modum creationis. Vita autem prima dat eis, quæ sunt sub ea vitam, & non per modum creationis, sed per modum formæ. Et similiter intelligentia non dat eis, quæ sunt sub ea, scientiam & reliquis rebus per modum creationis sed per modum formæ.

*Propositio Decima nona.*

EX intelligentiis est, quæ est intelligentia diuina, quoniam ipsa recipit ex bonitatibus primis



mis, quæ procedunt ex causa prima per receptionem multam. Et de eis est, quæ est intelligentia tantum: quoniam non recipit ex bonitatibus primis nisi mediante intelligentia. Et ex animabus est, quæ est anima intelligibilis: quoniā ipsa est pendens per intelligentiam. Et ex eis est, quæ est anima tantum. Et ex corporibus naturalibus est, cui inest anima regens ipsum, & faciens directionem super ipsum. Et de eis sunt, quæ sunt corpora naturalia tantum, quibus non est anima. Et hoc non fit ita, nisi quoniam ipsa non est intelligibilis tota, neque animalis tota, neque corporea tota, nec dependet per causam, quæ est supra eam, scilicet quia non omnis intelligentia pendet per bonitates causæ primæ, nisi quæ est ex ea completa, & integra. Ipsa enim potest recipere bonitates descendentes ex causa prima, & pendere per eas, vt vehemens fiat eius vnitas. Et similiter iterum non omnis anima pendet per intelligentiam, nisi quæ est eis completa & integra, & vehementius similis cum intelligentia per hoc, quod pendet per intelligentiam, & est intelligentia completa. Similiter non omne corpus naturale habet animam, nisi quod est ex eis completum & integrum, quasi sit rationale, & secundum hanc formam sunt reliqui ordines intellectuales.

*Propositio vigesima.*

CAusa prima regit res creatas omnes, præter quòd commisceatur cum eis. Quod est, quia regimen non debilitat vnitatem eius exaltatam super omne esse, neque destruit eam, neq; prohibet eam essentia vnitatis eius seiuncta à rebus, quin regat eas. Quod est, quia causa prima est sixa stans cū vnitate sua pura semper, & ipsa regit

res

res creatas omnes, & influit super eas virtutem vitæ,& bonitates secundum modum virtutis earum receptibilium,& possibilitatē earum.Prima enim bonitas influit bonitates supra res omnes influxione vna. Veruntamen vnaquæque rerum recipit ex illa influxione secundum modum suæ virtutis, & sui essē. Et bonitas prima influit bonitates super res omnes per modum vnum, quia non est bonitas nisi per suum essē,& suum ens,& suam virtutem,siquidem bonitas,& virtus,& ens sunt res vna.Si ergo ens primum & bonitas fiunt res vna, sic & ipsum influit bonitates super res influxione communi , & diuersificantur bonitates & dona ex cōcursu recipientis.Quod est,quia recipientia bonitates nō recipiunt æqualiter,immo quædam eorum recipiunt plus , quædā vero minus.Et hoc quidem est ,ppter magnitudinem suæ largitatis.Redeamus ergo & dicamus,quod inter omne agens,quod agit per essentiam suam & intra factum suum, non est continuator,neque res aliqua media,& non est continuatio inter agens & factum, nisi sit additio super essē: etenim quando agens & factum est per instrumentum, non facit per essē suum,& fiunt composita. Quapropter recipiens recipit per cōtinuationem inter ipsum, & factorem suum, & est tunc agens se iunctum à facto suo. Agens vero, inter quod & factum suum non est continuatio penitus , est agens verum,& regens,faciens res per finem decoris, post quod non est possibile , vt sit decus aliud, & regit factum suum per vltimum regiminis,quod est quia regit res per modum , per quē agit,& non nisi per ens suum . ergo ens eius iterum erit regimen eius.Quapropter fit , quod regit & agit per vltimum decoris , & regimen , in quo



quo non est diuersitas,neque tortuositas,& non diuersificantur operationes, & regimen propter causas primas, nisi propter meritum recipientis.

*Propositio Vigesimaprima.*

PRimum est diues per seipsum,& est diues magis. Et significatio eius est vnitas eius,nō quia vnitas eius sit sparsa in ipso, immo est vnitas eius pura quoniam est infinitæ simplicitatis simplex. Si autem aliquis vult scire, quòd causa prima est diues, proiiciat mentem suam per res compositas, & inquirat de iis inquisitione perscrutata:inueniet enim compositum omne diminutum, indigens aut alio,aut rebus, ex quibus componitur. Res autē simplex,quæ est bonitas, est vna,& vnitas eius est bonitas,& bonitas est res vna. Illa ergo res est diues magis,quæ influit, & non fit influxio super ipsam per aliquem motorum. Reliquæ autem res intelligibiles aut corporeæ corruptæ sunt,non diuites per seipsas,immo indigēt vno vero influente super eas bonitates & omnes gratias.

*Propositio Vigesima secunda.*

CAusa prima est super omne nomen, quo nominatur, quoniam , non pertinet ei diminutio,neque complementum solum:quoniam diminutum est non completum , & non potest efficere operationem completam , quoniam est diminutum.Et completum apud nos , quamuis sit sufficiens per seipsam , tamen non potest creare aliquid aliud, neque influere aliquid aliud à seipso omnino . Si ergo hoc ita est apud nos , dicimus quòd primum non est diminutum , neque completum tantum , sed est supra completum. Quoniā creans est res , & influens bonitates super eas influxione completa , quoniam est bonitas , cui

non

non est finis, neque dimensiones. Bonitas ergo prima implet omnia secula bonitatibus. Verūtamen omne seculum non recipit de ista bonitate nisi secundum modum suæ potētiæ. Iam ergo ostensum & manifestum, quod causa prima est super omne nomen, quo nominatur, & superior & altior.

*Propositio vigesimatertia.*

OMnis intelligentia diuina scit res per hoc quòd ipsa est intelligentia, & regit eas per hoc, quod est diuina. Quod est, quia proprietas intelligentiæ est scientia, & non est eius complementum & integritas, nisi vt sit sciens. Regens ergo est Deos benedictus & sublimis, quoniam ipse replet res bonitatibus: & intelligentia est primum causatum, & est plus similis Deo sublimi, & propter illud regit res, quæ sub ea sunt. Et sicut Deus benedictus & excelsus influit bonitates super res, similiter intelligentia influit scientiam super res, quæ sunt sub ea. Veruntamen, quamuis intelligentia regat res, quæ sunt sub ea. tamen Deus benedictus & excelsus præcedit intelligentiam per regimen, & regit res regimine sublimioris ordinis & altioris, quàm sit regimen intelligentiæ, quod est illud, quod dat intelligentiæ regimen. Et significatio illius est, quod res, quæ recipiunt regimen intelligentiæ, recipiunt regimen creatoris intelligentiæ. Quod est, quia non refugit regimen eius aliqua ex rebus omnino, quoniam vult vt faciat recipere bonitatem suam simul omnes res. quod est, quia non est quòd omnis res, quæ desiderat intelligentiam, desiderat recipere eam, & res omnes desiderant bonitatem ex primo, & desiderāt recipere ipsum desiderio multo, & in illo non est qui dubitet.

Propo



*Propositio Vigesimaquarta.*

CAusa prima existit in omnibus rebus secundum vnam dispositionē: sed res omnes non existunt in causa prima secundum vnam dispositionem. Quod est, quia, quamuis causa prima existat in rebus omnibus, tamen vnaquæque res recipit eam secundum suæ potētiæ modū, quod est, quia ex rebus sunt, quæ recipiunt vnita receptione causam primam, & ex eis sunt, quæ recipiunt eam receptione multiplicata: & ex eis sunt, quæ recipiunt eam receptione æterna, & ex eis sunt, quæ recipiunt eam receptione temporali: & ex eis sunt, quæ recipiunt eam receptione spirituali: & ex eis sunt quæ recipiunt eam receptione corporali. Et diuersitas quidē receptionis non sit à causa prima, sed propter recipiens: quod est, quia recipiens diuersificatur. Propter illud ergo & susceptum diuersificatur. Influens vero existēs vnum non diuersum, influit super omnes res omnes bonitates æqualiter. Bonitas nanq; influit super omnes res ex causa prima æqualiter. Res igitur sunt causa diuersitatis influxionis super omnes res. proculdubio ergo non inueniuntur omnes res in prima causa per modum vnum: Iam ergo ostensum est, quòd causa prima inuenitur in omnibus rebus per modū vnum, & non inueniuntur in eo omnes res per modum vnum. Ergo secundum modum propinquitatis causæ primæ & secundum modum quo res recipere potest causam primam, secundum quantitatem illius potest recipere ex ea & delectari secundum eam quod est quia non recipit res ex prima causa & non delectatur in ea nisi per modum esse sui. Et non intelligo per esse nisi cognitionem. Nam secundum modum, quo cognoscit res causam

sam primam secundum quantitatem illam recipit ex ea, & delectatur in ea, sicut ostendimus.

*Propositio Vigesimaquinta.*

SVbstantiæ vnitæ intellectuales nō sunt generatæ ex re alia. Omnis substantia existens per essentiam suam nō est generata ex re alia. Quod si aliquis dicit, possibile est, vt sit generata ex re alia, dicemus, vt si possibile est, vt substantia stās per essentiam suam sit generata ex re alia, procul dubio est substantia diminuta, indigens vt compleat eam id, ex quo generatur, & significatio illius est generatio ipsa. Quod est, quia generatio non est nisi via ex diminutione ad complementum. nam, si inueniatur res non indigens in generatione sui, idest in sua forma & sua formatione re alia nisi se, & est causa ipsa formationis suæ & sui complementi est completa & integra semper. Et non sit causa formationis suæ & sui complementi, nisi per relationem suam ad causam suam semper. Illa ergo comparatio est formatio eius, & ipsius complementum simul. Iam ergo manifestum est, quòd omnis substantia stans per essentiam suam non est generata ex re alia.

*Propositio Vigesimasexta.*

OMnis substantia stans per seipsam est non cadens sub corruptione. Si autem aliquis dicat quod possibile est quòd substantia stans per seipsam cadat sub corruptione, dicemus, si possibile est, quòd substantia stans per seipsam cadat sub corruptione, possibile est vt separetur eius essentia, & sit fixa stans per essentiam suam sine essentia sua: & hoc est inconueniens & impossibile, quoniam propterea, quòd est vna simplex non



non composita, est ipsa causa & causatum simul. Omnis autem rei cadentis sub corruptibne non fit corruptio, nisi propter separationem suam à causa sua, dum vero permanet res per causam suam retinentem eam & seruantem ipsam, non perit, neque destruitur. Si ergo ita est, substantiæ stantes per essentiam suam non separantur à sua causa, quoniam est inseparabilis causa ab essentia sua, propter hoc, quod causa eius est formatio sui, & non fit causa suiipsius nisi per relationem suam ad causam suam. Et ipsa est causa relationis ipsius, & ipsa est ipsa causa suiipsius per modū quem diximus, quoniam non perit nec destruitur, quoniam ipsa est causa & causatum simul, sicut ostendimus nuper. Iam ergo verificatum est, quòd omnis substantia stans per seipsam non destruitur. neque corrumpitur.

*Propositio Vigesimaseptima.*

OMnis substantia destructibilis non sempiterna, aut est composita, aut est delata super aliam rem. quod est, quia substantia aut est indigens rebus ex quibus est & est composita ex eis, aut est indigens fixione sua & essentia sua deferente. Cùm ergo separatur deferens causa, corrumpitur & destruitur, quòd substantia non est composita, tunc est simplex, & est semper, nec destruitur nec corrumpitur omnino.

*Propositio Vigesimaoctaua.*

OMnis substantia stans per essentiam suam est simplex nec diuiditur. Quòd si dixerit aliquis possibile est vt diuidatur, dicemus, quòd, si possibile est vt substantia stans per se diuidatur, & est ipsa simplex: possibile est vt

essentia partis eius sit per essentiam suam iterum, sicut essentia totius. si ergo possibile est illud, redit pars super seipsam, & omnis pars eius est rediens super seipsam, sicut est rediens totum super essentiam suam: & hoc est impossibile. Si ergo impossibile est hoc, substantia stans per seipsam est substantia indiuidua, & est simplex. si enim non est simplex, sed composita, pars eius est melior parte, & pars illius vilior parte: quare res melior est ex re viliori, & res vilior ex re meliore, quoniam est omnis pars eius seiuncta ab omni parte eius: quare vniuersitas eius non est sufficiens per seipsam, cùm indigeat partibus suis, ex quibus componitur: & hoc quidem non est de natura rei simplicis, imò de natura substantiarum compositarum. Iam ergo constat, quòd omnis substantia stans per essentiam est simplex, & non diuiditur: quoniam non recipit compositionem, vel diuisionem, nec corruptionem, nec destructionem, sicut ostendimus.

*Propositio Vigesimanona.*

OMnis substantia simplex est stans per seipsam, scilicet per essentiam suam. Quod est, quia creata sine tempore, & est in substantialitate sua superior substantiis temporalibus. Et significatio illius est, quia non est generata ex aliquo, quoniam est stans per essentiam suam & substantiæ generatæ ex aliquo sunt substantiæ corporales & compositæ cadentes sub corruptione & generatione. Iam ergo manifestum, quòd omnis substantia stans per essentiam suam non est in tempore, quia est altior & superior tempore & rebus temporalibus.





*Propositio Trigesima.*

OMnis substantia creata in tempore aut est semper in tempore, & tempus non superfluit ab ea, quoniam est creata, & tempus æqualiter: aut superfluit super tempus, & tempus superfluit ab ea, quia est creata in quibusdam horis temporis. Quod est, quia si creata sequuntur se adinuicem, & substantiam superiorem, non sequitur nisi substantia inferior ei similis, non substantia dissimilis: substantiæ enim similes substantiæ superiori, & sunt substantiæ creatæ, à quibus non superfluit tempus, sunt substantiæ quæ non assimilantur substantiis sempiternis, & substantiæ sunt abscissæ à tempore, causatæ in quibusdam horis temporis. Non est ergo possibile, vt continuentur substantiæ causatæ in quibusdã horis temporis cum substantiis sempiternis, quoniã non assimilantur eis omnino. Substantiæ igitur sempiternæ in tempore sunt illæ, quæ continuantur cum substantiis sempiternis, & sunt mediæ inter substantias fixas, & inter substantias secundas in tempore. Et non est possibile vt substãtias sempiternas, quæ sunt supra tempus, sequantur substantiæ creatæ in tempore, nisi mediantibus substantiis tẽporalibus sempiternis in tempore: & istæ quidem substãtiæ non sunt factæ mediæ, nisi quia ipsæ cõmunicant substantiis sublimioribus in permanẽtia, & cõmunicant substantiis temporalibus abiicissis in tẽpore per generationem. Ipsæ enim, quamuis sint sempiternæ, tamen permanentia earum est per generationẽ & motũ, & substantiæ sempiternæ cum tempore sunt similes substãtiis sempiternis, quæ sunt supra tempus per

durabilitatem, & non assimilantur eis in motu,vel generatione.Substantiæ autem factæ in tempore non assimilantur substantiis sempiternis,quæ sunt supra tempus per aliquem modum vel motum. si ergo non assimilantur eis, tunc non possunt acquirere eas, neque tangere eas. Necessariæ ergo sunt substantiæ sempiternæ, quæ tangunt substantias sempiternas, quæ sunt supra tempus, & erunt tangentes substantias, quæ sunt in tempore, scilicet sub generatione & corruptione. Ergo aggregabunt per motum suum inter substantias sempiternas, quæ sunt supra tempus, & aggregabilitatem suam inter substantias,quæ sunt supra tempus,& inter substantias, quæ sunt sub tempore, scilicet quæ sunt cadentes sub generatione & corruptione. Et aggregabunt inter substantias bonas & inter substantias viles,vt non priuentur substantiæ viles substantiis bonis, & priuentur cum bonitate & omni communitate, & non sit eis remanentia neque fixio.Iam ergo ostensum est,quòd durabilitatis duæ sunt species:quarum vna est æterna & altera est temporalis: veruntamen vna duarum durabilitatum est stans quieta, & altera mouetur, & vna earum aggregatur compositioni finali, & operationes eius omnes sunt simul, neque quædam earum est ante quandam, & altera est currens & extensa: quædam operationes eius sunt ante quasdam,& vnitas vnius earum est per essentiam suam, & vnitas alterius est per partes suas. quarum vna est seiuncta suæ compari per modum primum & postremum.Iam ergo manifestum est,quòd substantiarum quædam sunt sempiternæ, & sunt supra



supra tempus, & ex eis sunt, quæ sunt sempiternæ æquales tempori, & tempus non superfluit ab eis,& ex eis sunt, quæ sunt abscissæ à tempore & tempus superfluit eis ex superiori earum & ipsarum inferiori, scilicet ex principio earum vsque in finem & ipsarum extremum:& sunt substantiæ cadentes sub generatione & corruptione.

*Propositio Trigesima prima.*

INter rem, cuius substantia & actio sunt in momento æternitatis,& inter rem cuius substantia & actio sunt in momento temporis, existens est medium,& est illud,cuius substantia est ex momento æternitatis, & operatio ex momento temporis. Quod est, quia res cuius substantia cadit sub tempore,scilicet,quia tempus continet eam, est in omnibus dispositionibus suis cadens sub tempore: quare & eius operatio cadit sub tempore, quoniam eius essentia est in tempore, quoniam, quando substantia rei cadit sub tempore, proculdubio & eius actio sub tempore cadit. Res autem cadés sub tempore in omnibus dispositionibus suis seiuncta est à re cadente sub æternitate in omnibus dispositionibus suis: cõtinuatio enim non est nisi in rebus similibus. Necesse est ergo,vt sit res aliqua,quæ sit res tertia media inter vtrasque, cuius substantia cadat sub æternitate, & ipsius actio cadat sub tempore. Impossibile nanque est,vt sit res,cuius substantia cadat sub tempore, & eius actio sub æternitate:sic enim actio eius melior esset ipsius substãtia:hoc autem impossibile est. Manifestum igitur est, quòd inter res cadentes sub tempore cum suis actionibus & substantiis, & inter

res, quarum substantiæ & actiones sunt cadentes sub momento æternitatis, sunt res cadentes sub æternitate per substantias suas, & cadentes sub tempore per operationes suas, sicut ostendimus.

*Propositio Trigesimasecundæ.*

OMnis substantia cadens in quibusdam dispositionibus suis sub æternitate, & in quibusdam dispositionibus suis sub tempore, est ens & generatio simul. Quod est, quia omnis res cadens sub æternitate est ens vere, & omnis res cadens sub tempore est generatio vere. Si ergo ita est, tunc res vna cadens sub æternitate & tempore est ens, & generatio non per modum vnum, sed per modum & modum. Iam ergo manifestum est ex hoc, quod diximus, quòd omne generatum cadens per substantiam suam sub tempore, est habens substantiam dependentem per esse purum, quod est causa durabilitatis, & causa rerum sempiternarum, & omnium destructibilium. Necessarium est autem vnum faciens adipisci vnitates, & ipsum non adipiscatur, sed reliquæ vnitates omnes sunt acquisitæ. Et illius quidem significatio est hoc quod dico, si inuenitur vnum faciens acquirere non acquisitum, & aliud acquirere faciens acquisitum, tunc quæ differentia est inter ipsum & primum acquirere faciens. non enim potest facere vel esse, quin aut sit simile ei in omnibus dispositionibus suis: aut sit inter vtraque differentia. Si ergo est similis eis in omnibus dispositionibus suis, tunc vnum eorum nõ est primum, & alterum secundum: & si vnum eorum non est simile altera in omnibus dispositionibus suis, tunc



tunc proculdubio vnum eorum est primum, & alterum secundum. Illud ergo, in quo est vnitas fixa non dependens ex aliquo, est vnum primum verum, sicut ostendimus: & illud, in quo est vnitas inuenta ex alio inuenta, est præter vnum primum verum. Si ergo est ex alio, est ex vno primo vero. acquisita vnitas. Prouenit ergo inde, vt vni primo vero sit vnitas, & iterum reliquis vnis: & non sit vnitas nisi per vnum primum verum, quod est causa vnitatis. Iam ergo manifestum est & planum, quòd omnis vnitas post vnum verum est acquisita & causata: veruntamen vnum verum primum est causans vnitates, faciens acquirere, non acquisitum, sicut ostendimus.

*Aristotelis Libelli de Causis finis.*

# BIBLIOPOLA CANdido Lectori, S.

MVltis ab hinc annis, typis Romæ excusus, quidam liber prodijt, Theologia seu Philosophia mystica Aristotelis inscriptus, qui, cùm esset eruditionis plenissimus, dignus fuit à nobis iudicatus, qui inter Aristotelis opera recenseretur: non quod existimaremus, eum tanti auctoris, quem inscriptione præ se fert, γνήσιον partum esse: sed quia, cum videamus, librum de mundo & Rhetorica ad Alexandrum, itemq; libellum de Causis (qui eundem atque hic, nostro quidem iudicio, refert parentem) & alios multos, quos exploratum est, falso Aristoteli adscriptos, summa tamen omnium consensione inter Aristotelicos libros legi, nos quoque videbamur, non mediocrem gratiam à studiosis inituri, si hunc vna cum Germanis Aristotelis scriptis ederemus. Quod autem ad librum pertinet, eius sententiæ sumus, Arabem quendam, (nam de Aristotele nunquã ne in mentem quidem venit suspicari) eo tempore, quo Philosophia, apud Græcos pene extincta, apud ipsos solos propemodum vigebat, in postremorum Platonicorum libris, itemq; Christiani Origenis bene versatum, centonem hunc ex illis hinc inde decerptum, admisto interdum etiam Peripatetico dogmate, effecisse.



Esse autem eum natum apud Arabas, non de Græco (vt fertur) translatum, vel maxime patet ex peculiaribus loquendi formulis atque dogmatibus, de quibus Arabes philosophi sunt refertissimi, quæq; Græci ne somniarunt quidem. Vel demus, librum à Græco aliquo scriptum, vt forte à Iamblico, qui, vt si quisque alius, Aegyptiorum maxime mysteria admirabatur: sed tamen ab Arabe fuisse tamq; exemplar sumptum, non quod fideliter verbatim in Arabam linguam transferret, sed (vt erat apud eos in more positum) quod sibi ad imitandum proponeret, ad librum aliquem simlem suo marte conscribendum: qui quidem Abenama Assyrius fuisse fertur. Quicquid demum sit, librum agnoscimus eruditissimum illum quidem, & sapientiæ mysticæ plenissimum, in quo tamen tanquã scopuli quidã, perniciosissima aliquot dogmata sint. cauendo id præcipue, quod tam sæpe de animorum huc delapsu post peccatum inculcat. Hæc habuimus, Candide lector, de quibus te admoneremus. Tu, si quid certius habueris, candide vt impertias, oramus.

# ARISTOTELIS STAGIRITÆ THEOLOGIA, SEV PHILOSOphia mystica secundum Ægyptios, ecphraste Petro Nicolao ex Castellanis Iauentino Philosopho ac Medico.

*Libri primi caput primum, Proemij quæ Theoremata tractanda, secundum quos Autores & quo stilo.*

PRINCIPALE quæsitum, ait Philosophus, est finis intentus, qui postremo inuenitur. Atque omnia genita operantur appetitu naturali ad finem certum. Siquidem constitutum est ex concordia sapientum digniorum inter diuinos. Causas mundi antecedentes & coniunctas esse quatuor, videlicet Materiam, Formam, Agens, & Finem nobiliorem reliquis, secundum quas omnes speculari oportet & earum accidentia pro dignitate singulorum. Et nos quidem in metaphysica iam perfecimus sermonem explicantem causas huiusce modi. Et probauimus eas in sermonibus de anima & natura operationibúsque vtriusque, vbi per rationem perfectam & necessariá declarauimus quòd impossibile est substantias esse absque fine. Sic etiam si finis à sapiente non præsigatur, cessabit eius inquisitio. Siquidem huius præsuppositio in scientia, adiuuat multum considerantem. Cui tamen solicitudo & industria sunt necessariæ ad progredien dum. Igitur nobis quoque, in hoc opere, quod est compendium Philosophiæ, intentio constituti debet. Quæ est contemplari vniuersum, secundum mentem eorum qui docuerant per notas figurarum adeo occultas, quòd non alius potest ad secreta huiusmodi scientiæ peruenire citra difficultatem, quanuis sit ingenij subtilis & recti, nec vtatur negligentia. Proponamus autem cũcta Theoremata operis, deinde singula tractabimus. Primaria igitur intentio nostra in hoc opere est, cõtemplari Deum quomodo differt ab aliis, quodque mundus ac tempus existũt sub eo. Amplius quòd Deus est autor causatum, quódq; creauit omnia pro ratione singulorum. Et quòd is illuminat intelligentias, per eas autem medias intellectum, per intellectum vero medium, animam vniuersalem cœlestemq;. Et per Aiam mediam illustrat naturã generabilium corruptibiliumq;. Et quòd opus sit ab eo sine motu, ac quod motus omnium rerum est ab eo, & ad eum. Siquidem omnia mouentur desiderio essentiali & naturali, ab eo, in eo, & ad eum. Postea vero cõsiderabimus. Mundum intellectiuum referentem bonitatem eius, formásque diuinas inexistentes. Et quòd ab eo fluit bonitas in singula. Siquidem quatenus sunt bona assimilantur ei, sed propter cortices, expressionem veram eorum non attingimus. Præterea enarrabi-

mus naturam vniuersalem cœli, qualiter inest potentia illi ab intellectu. Enarrabimus etiam syderum dignitatem, & lucem. Item considerabimus naturam sublunarem, quomodo virtus cœli immittitur illi, quæ manifestatur in rebus sensibilibus, materialibus, alterabilibus, & corruptibilibus. Deinde scribemus dispositionem animarum rationalium in descensu, & ascensu, & reddemus causam vnionis earum ad corpora. Dicemus etiam de anima honorabili, quæ habet mores intellectiuos, nec submergitur desideriis mundanis, & sordibus corporis. Similiter narrabimus animam turpé, coinquinatámque, & deinde speculabimur dispositionē animæ sensualis & vegetatiuæ, necnon qualitatem animæ terræ, & ignis, & aliorum elementorum, atque hæc omnia latentia (sicut præfati sumus) declarabimus per figuras proposito sufficientes.

*Caput secundum. Quomodo anima vnitur corpori.*

CVm iam pateat (vt probatum est) in veterum libris, quòd anima non est corpus, neque moritur, sed permanet semper. Nunc quæramus quomodo digressa à mundo intellectuali ad hunc sensibilem descenderit, & iuncta est huic corpori resolubili. Etenim nulla substantia intellectualis mere, admittit quicquam motus. Sed fixa in mundo intellectuali non diuellitur ab ipso, neque item accedit alio, cùm non habeat locum ad quem ipsa transferatur. Ad quod dicimus, quod omnis substantia intellectualis secundaria in se habet quoddam desiderium alterius. Quando autem intellectus appetitu co ncepit aliquid, mouetur ad illud, vt mulier grauida nititur parere. Sic igitur intellectus concipiens desiderium conatur illud consequi. Intellectus enimuero desiderans statum inferiorem, fit anima, vnde anima est intellectus desideràs & appetens desiderio vniuersali, ac ipsa anima vniuersalis non separatur substantia à mundo Intellectua li, sed desiderans particularia sub vniuersali opere recedit ab illo. Ordinansq; eadem, & peccatum accidens moderata. Secundum legem causæ propinquæ cœlestis. Anima particularis non est in corpore vt videtur, sed extra. Prius igitur mouetur ad mundum primarium, deinde ad secundarium, postea tertio reuertitur ad primarium: ac oportunè ad eorum vnumquenque.



*Caput tertium. quòd omnis anima & propter quid est immortalis secundum Pythagoram.*

INtellectus agens nunquàm separatur ab anima, sed cooperatur illi semper oportune ad omnia. Propterea anima quidem operatur iugiter, quia perpetuo existit. Et quanuis animæ aliorum animalium velut Leonis, peccādo recesserint à mundo superiori, non tamen corrumpuntur secundum substantiam, sed penes accidentia. Ideóque non simpliciter, ac reuertuntur ad illum. Accidentia etenim in hoc mundo sunt diuersa ab anima, sunt autem con naturalia ipsi animali, siquidem proueniunt à natura ipsius. Similitet autem omnes animæ plantarum oriuntur ab vno principio, cum vi ta conueniant, & sunt substantiæ non accidentia, atque incorporeæ non partibiles. Ideo neque

que corrumpuntur: Sed anima hominis habet tres partes: videlicet. Vegetatiuam, sensualem, & intellectiuam quæ separatur à corpore resoluto. Atque hæc immunis (vtpote non peccando) à coinquinatione corporis, est dissimilis alteri submersæ materiæ, quæ facta est ob id, vt habitudo corporalis, accidentibúsque corporeis talibus (velut ligamẽtis) perhibetur ascendere ad alterum mundum. Ad quem neque peruenit nisi difficulter, ablatísque viribus horum accidentium, & purgata à sordibus corporis, reuersa est incorruptibilis. Non enim est vt aliqui alieni à scientia vere diuinâ opinantur aliter. Si quidem ipsa sustinetur à suis autoribus, quanquam separata. Existítque ens verum & perfectum. Quare anima nõ moritur vt pluries diximus.

*Caput quartum, quòd omnis anima humana est immortalis.*

QVas oportet hic repeti ad illos, qui non credunt aliter, probabiles rationes, dicamus breui. Statuentes principium id in quo conuenerunt omnes Prisci & Iuniores, Theologi, Philosophi, Prophetæ, ac populi videlicet, quòd anima rapta corporis delideriis subiugato intellectu, statim iram Domini incurrit. Propterea abstinẽdum à delictis, & desideria corporalia mouendum, sic enim miserebitur dominus. Rursus si maiores non credidissent animæ immortalitatem, non constituissent legem iuxta dictamen naturæ eam asseuerantem. Cui nemo contradixit nisi vitiis implicitus. Dixerunt etiam quòd multi precari non caruerunt ope animarum à corporibus ad



ad mundum alium reuersarum. Explorantiq; veritatem hoc manifestum est per experimentum reuelationis, & templorum fabricas ob hæc illis dicatas. Quare palam est quòd anima (digressa ab hoc mundo, & assecuta alium non corrumpitur omnino. Ideo autem quoniã creata est perpetua ob nobilitatem vitæ. Atque hoc idem opinatus est Plato de anima vniuersali dicens. Ego pluries speculando secundum animam relictis corporis exuuiis, visus sum mihi frui summo bono cum gaudio admirabili. vnde restiti quodammodo attonitus. tum agnoscens me esse partem mundi superioris adeptúsque vitam æternam sub luce magna inenarrabili inaudibilíq; an cogitabili, lassitudine autem delapsus ab ista speculatione intellectus, ad imaginationẽ, lux illa deseruit, vnde remansi tristis. Rursum relicto corpore reuersus inueni animam luce plenam. & tum corpori influentem, tum supra eleuatam. Inquit igitur Plato. Qui conatus mundum supremum ascendere intellexerit substantias diuinas causásque vniuersales: profecto maximum consequetur præmium. Quapropter nemo debet id omittere quanquam sit plurimum laboraturus: certe & enim in eo adipiscetur tranquillitatẽ impatibilem perpetuámque. Et cum homo fuerit creatus ad hanc contemplationem ociatur, si ab illa vel per vnicã horam absit, sic etiam perdidit animam, sibíque hostis est omnium maximus, cuius in obitu frustra eum pœnitebit. Atque hoc Platonis documentum, est homini exhortatorium ad eleuationem intellectus acquirendam, qualem ipse reperit. Quod Anticles quoq; dicens

animam præextitisse sursum honorabilem, peccato autem commisso decidisse in mundũ inferiorem, quæ postea pudens consequitur à Deo veniam. Præterea anima quoque descendit, vt cæteras (quibus intellectus turbidatur) reuocet sursum. Similis est enim anima emersa homini à præfocatione releuato, si alte proclamet ad mortales, præcipiens mundum omnesque eius fallacias despici, facto indicio reuertendi ad pristini status iucunditatem.

### *Caput quintum. Cur anima descenderit in mundum inferiorem.*

DE anima quidem vniuersali scire oportet, cur descenderit ad hoc corpus, & an descenderit sponte parendi grátia, an coacte alia de causa. Recipiemus namque iuuamentum ex scientia animæ, maius quàm ex alia. Quandoquidem ascẽdemus ab ea ad intellectum, sed & vsque ad Deum sublimem. Hinc discentes, an Deus creauerit omnia recte, & cũ sapientia absolutissima, an per aliam cognitionem. Plato igitur olim dedit animæ plura attributa, quorum nos auriti fuimus testes, sed non scripsit vllum, alioquin mentem eius lector deprendisset. Attributa autem hæc animæ diuersa sunt. Si quidem intellectus vnitur sensui, neq; despicit eum vbique, sed corporis coniunctionem, ligatus & præfocatus in illo. Nam corpus est animæ vt locus. Sic etiam opinatur Anticles magis adhuc vocans corpus carcerem. Vnde dixit Plato quòd solutio animæ vinclis corporis, est causa ascensus illustrationisque, descensio autem obscurationis, quæ nihilominus purgata rursus ascendit. Atq; huius descensionis



sionis causæ sunt plurimæ, quarum prima est peccatum commissum ab aliqua, quapropter descendit ad luẽdam pœnam, promerendúmq; aliquid, ac leges Dei accipiendas. Aliç verò descendunt alia de causa, quam non adduxit. Sed colligens animæ descensum execratus est, addiditque: quòd hic etiam mundus est substantia honorabilis. Quare anima in eo extat Dei iussũ, alligato intellectu, quemadmodum superiori semper cohabito. Non enim conuenit quòd hic mundus tam magnus & perfecte compositus intellectu careat. Impossibile est autem hunc mundum consequi intellectum, nisi præhabeat animam. Propterea sublimis Creator animam illi connexuit, rationalíque animæ implicuit species alias. Siquidem operationes animæ nequaquam videntur indissensibiles. Quarum enimuero in plantis sunt paucæ, in brutis plures, & in homine plurimæ, vt iste mundus sit perfectus, quamuis non æque sicut superior, quia est effectus ab eo, omnisque item extat corruptionis origo. Quare oportet mundo sensibili, inesse etiam genera animalium quæ insunt illi intellectuali.

### *Caput sextum. De errore antiquorum, & quòd omne ens est bonum ex Deo.*

RVrsus versemur circa animę dispositiones plures, vt lucremur aliquid à Philosopho. An sit igitur aliqua conuenientia inter animã & corpus. Antiqui quidem altercati sunt, varia sentientes. Incipiamus autem ab opinione senis quem nouissimè adduximus dicentis, quòd perspexit veteres physicos in intelligentia entium insensibilium errare: inquirentes ea per

inferiorem mundum: vnde opinati sunt quòd entia occulta non insint ei, seponentes intellectum, & prosecuti sensum. Considerando per illum, ex alterabilibus perpetua. Quare cum animaduerterit eos declinare ab itinere veritatis, ob sensum prævalêtem, misertus reduxit ad illud. Distinxitque intellectum à sensu, intelligibiliáque à sensibilibus, ponens illa perpetua inuariatáque inueniri, hæc autem alterabilia corruptibiliáque. Subdens quod vtrorumque vnicus autor est ens primum & verum videlicet. Deus sublimis effector mundorum, & addidit quòd tale primum agens, est summe bonum: quodq; nullum alterũ est ex se bonum. Sed quodlibet est bonum ab illo tantum. Asseruit etiam quòd iste mundus ex materia & forma constat: & quòd formans primã materiam in esse naturæ, est nobilius illa. Itẽ quod anima rationalis format primam materiam, propter vim immissam ab intellectu mirabili: & intellectus agens adiuuat animã ad formandam primam materiam per virtutem entis primi. Quod est principium omnium trium entium. s. intellectus, animæ, & naturæ. Vnde fuerũt sensibilia pulchra vi primi agentis, per medios, animam & intellectum. Decenter etiam ens verum, primum. Deus sublimis bonus, simplex, & perfectissimus omnium: infpirat intellectui vitam primo: deinde animæ: postea naturæ: & fecit intellectum & animam & naturam principia aliorum.

*Caput septimum. Quod Deus creat sine tempore.*

NOn oportet audientem verba Philosophi putare quòd Deus creauerit entia in tempore: existimando quòd omnis prioritas est in tempore, cũ impossibile sit efficiens non esse prius effecto, siquidem non est ita, quia intellectus discernit res sine tempore, & similiter Sensus. Vnde mens Platonis fuit sequi locutionẽ veterum, qui describentes generationem, coacti sunt indueere tempus. Creationis autem non est vllum tempus, quia differt agens primum altissimum nouans, à secũdo inferiori vmbratili. Ideo si cupias discere an patiens in tempore patiatur, explores an agens eius agat in tempore. Patiens enim ab agente in tempore patitur in tempore, & patiens ab agente in tempore patitur in tempore, & patiens ab agente in momento, patitur in momento.



# LIBER SECVNDVS.

*Caput primum, quòd anima in mundo intellectuali non vtitur memoria.*

ANima superius collocata intuetur substantiam rerum illic connexistentium, neque ratiocinatur ibidem vt istic: sed neque speculatur hæc infima, quoniam altiora perspicit. Sicut enim existens inferius pura (ob dignitatem suam) non versatur circa terrena. Ita tanto magis egressa ab hoc mundo, reuersáque ad nobiliorem, non meminit præteritorũ, sed altiorem illum perpetuo speculans & amans, nũquam saturatur, omnémque actionẽ & cognitionẽ ad eum reflectit. Quare

cum omnis scientia in altiori mũdo habita illi Constans maneat. Siquidem habet semper præsens obiectum, non indiget alia memoria illorum. Rursus cum sit aliena ab omni sciẽtia recepta ab his inferioribus. Non enim seruauit eorum apprensionem priſtinam, neque talia conspicere amplius cupit. Namque scientia rei alterabilis accidit subſtantiæ alterabili, qualis nulla est in mũdo intellectuali. Ideo non etiã licet animæ memorari quicquã ignobile, quare contemplatur, quo modo diximus & perfectiſſimo pro facultate.

*Caput secundum. Quod anima non vtitur reminiſcentia.*

DIcimus item quòd omnis scientia in mundo altiore est perpetua. Quicquid enim illic extat, est sine tempore. Propterea anima ibidem speculatur formas sine tempore. Quia permanent illi euidentes, tum supremæ, tum infimæ, & quòd non ab aliquo progreditur ad aliud, discernendo à generibus ad species & indiuidua, vel ab speciebus ad genera & vniuersalia altiora. Quare non etiam indiget reminiſcentia earum. Et si aliquis iuxta hoc ambigens dicat, quòd hæc condictio sit intellectus tantum. Quia omnia insunt ei actu simul, & ideo reminiſcentia non indiget. Anima autem aliter videtur se habere, videlicet quòd non insunt ei plura actu simul, vt materiæ primæ: sed quod cõprehendat naturaliter vnum post aliud. Et cùm fuerit ita, eam reminiſci oportet, siue sit in hoc inferiori mundo, siue in superiori. Huic respondebimus quòd nihil prohibet animam in mundo superiori cognoscere plura simul. Siquidem tale aliquid conſpicitur etiam, quòd cum sit simplex, cognoscit multa vnico actu. Vt visus, varios colores. Quare sic etiã anima cognoscit plura simul, sine tempore, quia est supra tẽpus: vtpote causa illius. At si aliquis dicat, anima discernit primum atq; vltimum: quare vnum post aliud partiri videtur? Cùm autẽ hoc modo sciat, non igitur simul cognoscit. Dicimus quòd anima discernit intellectu, nõ cogitatione. Cùm autẽ faciat hoc intellectu, non intercidit differẽtia, sed maior subit vnio. Siquidẽ intellectus discernit sine tempore, nec habet (cum sit simplex) prius, neq; posterius, quia nõ fluit inter ea successionis spaciũ medium, principiũ enim simul est cũ fine. Adhuc si diceretur, notũ est quod cum anima discernit, scit principium, finem, & medium. Dicimus id verum esse, sed cognoscit hæc non cum medio temporario, sed tantũ ordinario. Quod patet in visu arborem cernẽte, licet namq; radices & ramos simul cernat, tamen cognoscit radices prius, medio ordine nõ tempore, quàm ramos. Quod si visus ita nosci, quanto magis intellectus sciet principium, finem, & medium cum ordine, sine tempore.



*Caput tertium. Quo modo anima habet vires operationẽsque plures, qualiterque intellectus intelligit.*

QVod si dicatur anima cognoscit simplicia, & composita simul: quomodo habet potentias plures? Quarum vna sit prior, & alia posterior? Respondebimus quòd anima vnica est & simplex. Sed multiplicantur virtutes eius vltra subſtãtiam, & si videtur operari plurima simul, eius opera sunt multa ratione patientiũ.

Siquidem corpora non recipiunt operationes animæ æqualiter, sed pro conditione sua, ergo pluralitas operationum inest rebus, non animæ. Quare nos dicimus, quòd intellectus vnus operatur multa (& formatur specie cogniti, sicut materia prima) cui actuatus est similis tantum differens, quia sit vniuersalis, appello autem intellectum actuatum, habentem quæsitum obuium speculationi, & intellectum sub potentia, carentem quæsito obuio, & si aliquis obiiceret quòd intellectus nunquam habet quæsitum obuium. Hoc proculdubio est maximum mendacium, quia ex natura intellectus intelligit perpetuo. Siquidem eius esse, est operari, & si perpetuo intelligit habet rem obuiam semper. Quare intellectus est res omnes forma vniuersali, quali intelligit, & quali ipse est ex natura sua, vt pluries narrauimus. Intellectus autem substantiam suam respiciens, prospicit res alias, sic est idem obiecto, quod est substantia eius speculationi obuia, quæ continet inferiora omnia. Et hoc est quòd dixit sapiens, Deum sublimem creasse intellectum, qui sciat in seipso res progressas à se, & ad se regressuras, conniueat in aliis, id est, quod seruat formas vniuersales, particularéque dimittit, non enim vniuersale auferetur, cum suum particulare auferatur, vt ablatis individuis animalibus, non auferetur animal, sed ablato vniuersali, auferuntur omnia sub particularia.

*Caput quartum, quòd intellectus non est mobilis, & quomodo anima est mobilis.*



ET si aliquis diceret. Si intellectus obuiam habet speculationi, aliquando substantiam suam, aliquando res, sine dubio alteratur. Diximus autem illum esse inalterabilem impatibilémque. Respondeamus, quod si intellectus habet obuiam speculationi aliquando res, hoc fit in statibus diuersis. Videlicet in mundo intellectuali habet obuiam speculationi tantum substantiam suam. Ideóque intellectio eius est substantia sua. In altero autem mundo sensibili, speculationi obuias habet aliquando substantiam, aliquando res ipsas, & hoc ratione particularis, cuius essentia reuertitur vniuersalis apud eum, impedimẽto sublato. Siquidem particulare habet vim vniuersalis. Suscipit enim predicationem eius definitum per illud, tantúmq; ab hoc differt, quòd vniuersali subest. Hoc item fit, ob corpoream dispositionem (media anima) impressam. Intellectus namque inuolutus corpori vehementer, vnitúsque sensui, habet obuias res speculationi. Emersus autem paululum habet obuiam contemplationi etiam substantiam. Quare intellectus non variatur nisi modo quo prędiximus. Anima autem dicitur moueri discendo res, quoniam collocatur in confinio mundi intellectualis, fit autem motus eius reflexus, quia sciẽdo habet obuiam rem speculationi, deinde reuertitur ad essentiam, verum dicitur moueri, quia variatur circa rem immobilem. Intellectus autem inuariatus restat etiam immotus. Impossibile est autem quòd anima sit immobilis, quando subiicitur intellectui. Subiectum alteri est mobile, alioquin esset predicato idem. Vnum tamen sciendum quòd anima in mundo intellectuali

mouetur potius recte quàm reflexe. In inferiori autem viceuersa. Quod si obiiceret aliquis quòd etiam intellectus mouetur, siquidem variatur ab aliquo ad aliquid. Si autem variatur, mouetur proculdubio. Dicemus quòd intellectus nunquam mouetur nisi volente autore eius primatio, & tunc mouetur recte incessanterque, talis nanque motus est quædam quies. Siquidem intellectus est essentia perpetua inoffensibilis, quapropter existit cæteris creaturis dignior. Et si aliquis adhuc reclamauerit inquiens, quòd intellectus mouetur speculando, quia habet obuiam speculationi quandoq; rem, quandoque substantiam eius. Respondemus quòd si mouetur intellectus, mouetur à seipso, & ad seipsum, non autem aliter, quare non mouetur ad res extra se, & ab eis ad seipsum. Cùm omnes contineat, contentásque educit ad existentiam, quando item moueatur, eius motus est æqualis totus, quasiq; inuariatus. Talis autem est similis quieti. Siquidem motus est ab vno ad aliud, iste autem non est ablatiuus partibilisve, ideo non est alteratio neque passio. Siquidem intellectus non recedit à substantia, nec qualitate pristina. Etenim si intellectus alteraretur, non vere sciret, neq; enim firmiter nosset. Sed & intellectus habens obuias res, nihil mouetur, quia continet eas omnes ab se progressas, & ad se regressuras, vt pluries diximus.

### *Caput quintum quòd anima non mouetur in mundo intellectiuo.*

AMplius pariter anima in mundo intellectiuo non alterabitur. Quia illic est pura abstracta



abstracta ab omnibus corticibus & compositionibus, atque est in actu, cum nihil corporale tunc ei commisceatur, scitq; inferiora vere & perfecte. Siquidem ibidem coniungitur intellectui sine medio. Hic deorsum fuerat vnita sensibus, absque morte igitur vlla, sed potius clarior, intellectui iuncta & ab eo formata. Quomodo enim cogitabile sit, quòd ipsa moriatur & aliæ substantiæ sint incorruptibiles, siquidem ipsa seruat alias, & seruatur ab intellectu. Intellectus autem ab autore primo, qui ex se constat, & intellectus est facies animæ, ad quem inclinatur, & cum quo speculatur, quíq; est prior aliis creaturis sine medio productus, & medio quo producta fuit anima, sicut media illa producta est natura. Hac autem media corpus, hoc medio iterum generabilia, corruptibiliáque. Anima igitur in mundo superiori est omnino inalterabilis impatibilisque, cognoscit substantiam suã & totam, vnica scientia & penitus indifferente, atque hoc propter vnionem suam, siquidem tunc ipsa, & res, & intellectus sunt vnum quoddam.

### *Caput sextum quòd anima habet memoriam in mundo sensibili & qualem.*

DIuertens anima ab intellectu, & ad hunc mundum demissa, speculandóq; aliquam rerum, vltra intellectum, habet memoriam, neque ideo meminit entium superiorum, alioquin non descendisset huc, sicuti inferiorum memor, illinc recedès, istuc descendit, sic prius lapsa ad cœlos si memoriam eorum seruaret in eis subsisteret. Quare vt hic existens habet solam inferiorum memoriam, sic etiam ascen-

dens ac cœlum non meminit alterius quàm ipsius, & est similis quasi idem illi. Etenim anima memor aliquarũ rerum, eisdem est similis eadémque, alioquin non esset vere memor. Memoria nanque quædam est similis intellectui, alia vero sensui, & substantiarum intellectio est ratio firma. Cogitatio autem est infirma, neque vnica, sed varia, pro rebus cogitatis terrestribus, siue cœlestibus, quibus (secundum imitationem) est similis, quasiq; eadem, quæ sunt corpora fere defuncta, siquidem secundaria, vere autem similari vtrisque minime cogitatio potest, vt intellectio, quia est media inter intellectum & sensum, & ad vtrasque pariter inclinata, nec seruat perfectè sine illis aliquid. Patet igitur quòd anima memor, imaginationi rem coniungit nobilem vel ignobilem, reuertentes igitur dicemus quòd anima in mundo superiori nec vetita, desiderat bonum peafectum, intelligitq; (medio intellectu præsentante) illud inoccupatum irretentúmq;, à quo distat per medium intellectum anima vniuersalis & rationalis. Auersa enimuero anima bonum primum & ad inferiora conuersa, desiderat contenta secundum memoriam. Siquidem non desiderat talia, nisi prius cogitet, & iam præfati sumus quòd cogitatio est memoria quædam.

*Caput septimum quomodo intellectus ignorat superiorem autorem, & inferiores creaturas.*

QVod si subderet quispiã, quòd anima speculatur hunc mundum, antequam ad eum descendat, igitur eadem ratione, ab



ab ipso reuersa ad superiorem, respicit inferiorem, & sic proculdubio meminit, iam autem dictum est, quòd in mundo intellectiuo nil meminit huius mundi. Dicimus quòd anima considerat hunc mundum per intellectionem, antequam inhabitet, hæc vero est quædam ignorantia, non scientia, quæ tamen est nobilior omni scientia, & hoc ideo quia intellectus ignorat superius agens, & inferiora. Et memor inferiorum (medio alio) descendit ab illo honorabili ad hunc mundum. Propterea autem intellectus ignorat superiorem autorem primum, quia non cognoscit eum perfecte, alioquin esset superior, vt autor eius, & sic effectum foret efficiens sui efficientis. Quod est falsum & nimis improbabile. Rursus dicitur ignorare inferiora (vt prædiximus) non quòd careat scientia eorum, siquidem continet eas, vnde causa nostræ ignorantiæ est defectus maximus. Intellectus autem ignorantiæ ratio est, summa perfectio ac suprema sublimitas. Propterea quòd illas res speculatur non secundum ipsas, sed altius, cùm sit causa ipsarum. Res autem est altior in causa sua, quàm in seipsa. Conditor etiam primus cognoscit eas non pariter intellectui, sed adhuc altius, quando ipsas quatenus creat, eas cognoscit. Quare scientia identidem intellectus est ignorantia, quia non est vera, qualis diuina. Ideo etiam diximus quòd intellectus ignorat subiecta. Hæc rursus ignorantia dicitur scientia, siquidem est talium considerato perfecta, licet nõ iuxta essentiã eorum, neq; indiget earũ scientia, quia est causa earũ continẽs omnes sicut sapiens dixit. Conditor sublimis seruat

omnia in intellectu, quæ eduxit in animam, solo medio intellectu, & in naturam, media anima, & in hunc mundum vtroque medio, ordinate, donec peruenit ad particularia. Cum autem Deus erearit intellectum causam rerũ, ex cõsequenti etiam ipsæ est autor earum, nec indiget earum scientia, & si intellectus ignorauerit, idcirco est, quia eas non produxit ex nihilo, neque primo, sed Deus dicitur Sciens, quatenus creauit eas, intellectus autem ignorat iuxta cognitionem in seipsis, sic etiam cognitio intellectus essentiæ suæ, dicitur quædã ignorantia comparata ad cognitionem Dei. Nam cognitio sui sicut est, non est quædam ignorantia omnino. Quomodo enim ita esset, cum sit aliis scientiis, & scitis, idem & per eum speculetur anima, vt ante diximus. Nos autem asserimus quòd scientia eius est ignorãtia respectu conditoris, sic etiam anima ignorat causatum suum, modo quo ante exposuimus respectu intellectus, alioquin non indigeret autore primo superiore. Quare reuersi sentiamus quòd anima separata ab hoc habitaculo, existens in altiori, non meminit cuiusquam præcognitorum maximæ sensibilium & corruptibilium, sed versatur circa intellecta ex sensibilibus, alioquin reciperet imagines quales hic prius. Quod est absurdum, etenim cogitaret, cùm autem cogitat imaginatur, sicut prædocuimus, quòd si illic animę imaginarentur, tales essent ibidem, quales hic prius, & hoc est maximum inconueniens, tantum enim recipiunt medio intellectu vnito. Quare anima nõ imaginatur in mũdo intellectiuo. Probatumq; antea est, quòd ab illo delapsa, indiget memoria



tia sensibilium, alterabilium, corruptibiliúmque, & qualiter fit ignorantia eius, comparatu ad autorem superiorem, & causatum inferius, per sermonem inductiuum.

### *Caput octauum quo modo Anima diuisionem admittit.*

IMpræsentiarum dicendum propter quid diuisio accidit animæ humanæ, & quid sequitur diuisionem per se, necesse est autem nosse vtrum anima diuisionem admittat? & an per se, an ve accidentariam? Dicemus itaque animam corpori coniunctam, diuidi secundum accidens, corpore diuiso, omne autem indiuisibile diuisibili coniunctum, diuisibile secundum accidens dicitur: diuisio autem secundum formam vocatur, cum dicatur quòd imaginatiua est vltra vegetalem, & concupiscibilis præter irascibilem. Dicimus item quòd pars vna corporis primo continet imaginatiuam, alia concupiscibilem, altera vero irascibilem. Anima igitur diuiditur secundum accidens corpore subiecto diuiso, non autẽ per se, siquidem substantiæ nullam diuisionem recipit. Item videntes corpora viuentia indigere anima expansa per omnes partes corporis vt animal, vbique corporis sentiat, asserimus animam diuisibilem esse, patet autem quod omne membrum sentit, donec continet animam sensitiuam. Dicimus igitur virtutem illam diuidi diuiso membro, & quamuis expandatur omnibus membris, ipsa tamen non diuiditur in seipsa, sed est in quolibet perfecta. Quod si diceret aliquis, animam diuidi secũdum tactum, sed iuxta alios sensus, dicendum animam non

diuidi etiam diuiso tactu, sed minus euidenter modo quo diximus. Similiter vegetatiua, appetitiua etiam fugitiuáque conextensa in corpus, minus diuiduntur inter se, & sunt quidem sensitiuæ, sed infra alias, ob id magis diuisas. Istæ nanque sunt minus in corpore discretæ. Siquidem non operantur per instrumenta locis disterminata, alioquin prohiberentur operari in toto corpore. Quare vires animæ quædam sunt organis propriis in corpore differentes, quædam autem sunt in toto corpore commixtæ.

*Caput nonum quòd vnus sensus communis complectitur omnia sentiendi organa.*

VNica virtus sensitiua vnit omnia organa sentiendi, defluens in ea per sensus proprios medios, quorum obiecta cognoscit, ac discernit, atque existit indiuisibilis, neque operatur per vnum solum instrumentum propter magnam spiritualitatem. Quare omnes sensus terminantur ad eam, sicut omnes lineæ à circunferentia circuli ad centrum, & cognoscit simul ac in momento omnia in quæ ipsa sensus feruntur. Omnis enim sensus proprius discernit solum species obiecti proportionati, sicut visus albedinem, & nigredinem, & cæteros colores, auditúsque sonum acutum, leuem, grauem & tardum, & odoratus fœtorem ac reliquos odores. Gustus dulcedinem & alios sapores. Tactus asperitatem & lenitatem. Sed ista virtus spiritalis communis sensibus discernit sensibilia eorum, & species singulorum, & refert illa ad imaginatiuam, quæ eadem format ac componit ad libitum. deinde etiam refert ad memoriam seruantem ad vsum oportunum, quæ adhuc cogitatiua trahit ad aliam dispositionem quousque ad intellectum perducat. Et sunt omnes hæ virtutes spiritales, & operantur per se, sine organis corporalibus manifestis.



*Caput decimum quòd anima non est in corpore vt in loco, nec virtus in organo vt in loco.*

OPortet scire vtrum his virtutibus animæ memoratis aliisque, adsint loca in corpore, an non? Dicimus enim quòd situs virtutis animæ cognoscitur esse in ea parte corporis, in qua operatio eius manifestatur. Et virium animæ quædam minime indigent locis, vt inexistant illis, sed potius vt operationes eductas in eis ostendant, vt receptaculis idoneis, anima autem est quæ aptat operationi membrum, & virtutes animæ sunt alteræ, iuxta membrorum alteras dispositiones, non autem sunt aliæ simpliciter inter se, neque anima ex illis componitur, sed est simplex: & quas habet vires honorabiles, continuo influxu partibus corporis tribuit, & ob id vires non sunt animæ instrumenta. Sed & quanto sunt nobiliores, tanto magis sunt in ipsa anima tales quam in membris. Reuersi igitur ad rem primam, dicimus quod si omnis animæ vis careat loco, non differet vis exterior ab interiori, neque fiet pars corporis mortua diuersa, à sensitiua per influxum virtutis inditum, quòd nullatenus conuenit. Item sequetur quod ignoretur, quibus instrumentis operationes animæ inexistant. Quod si quispiã respondeat

virtutes animæ, quasdam habere loca, illa videlicet membra in quibus operationes earum apparent. Rursus dicemus quòd si ita foret, non tota anima inesset nobis. sed pars aliqua extra nos maneret, atque hoc est maximũ improbabile. Quapropter narrantes asserimus quòd nulla pars animæ extat in loco, aliqua ratione, siue anima insit corpori, siue nõ insit. Quoniam locus ambit continetque locatum, & quicquid continetur à loco est corpus, neque anima autem, neque virtus aliqua eius est corpus. Et quando dicimus vires animæ inesse aliquibus membris, nõ intelligimus quod sint in illis vt locis, sed quod in eis operationes suas ostendant. Aliter enim se habet corpus ad locum, quam anima ad locum. Siquidem anima continet corpus, non autem cõtinetur ab eo cum sit causa corporis. Rursus autem dicimus quòd anima non est in corpore tanquam in loco, alioquin corpus quandoque foret sine anima, atque anima ipsa subiret corpus pau latim, sicut aqua vasculum. Item locus non est in corpore, sed circum corpus, quum sit conceptaculum eius, estque amplior corpore vtpote continens illud. Corpus autem non est circum animam, & si cuidam impossibile videatur quin anima sit in corpore vt in loco. Dicimus quòd locus eius est superficies extrema circum corpus. Quare anima existet tantum in extrema corporis superficie, reliquum vero corpus carebit anima, hoc autem minime decet. Amplius si anima sit in corpore vt in vase, corpus erit causa motus animæ ipsi, quod non est verum, sed anima est causa motus corporis, nam vas motum, secum mouet rem vascatam,



scipit, ac de istis non licet quærere per quid insint rei. Quando enimuerò distant huiusmodi partes, tunc etiam quæri potest, propter quid insint, neque res nomine simpliciter alterius appellatur. Differt siquidem ab vtraque vt homo non vocatur oculus, neque manus. Res autem intellectibilis nomine cuiuslibet rationis suæ appellari potest. Ideo (vt sæpius dictum) ratio quid, & ratio propter quid in illa, sunt eædem, quòd enti corporali, (quatenus est corporale) minime conuenit.

### *Caput sextum, quòd quid sit, & propter quid sit in intellectu, sunt idem.*

INtellectus fuit productus purus, creatione perfecta, momentanea, quare eius essentia incepit fieri, & simul facta est subito in actu, sine potentia interfluente. Ideo scito quid sit intellectus, conscitur etiam propter quid sit. Etenim cum Deus creando non cogitet, inchoans rem simul, illico perficit, essentiæ (vt prædictum) non intermixta potentia. Vnde neq; de ente huiusmodi ab eo producto, quæritur propter quid est seorsum à quæstione quid sit. Hoc enim rei solum conuenit imperfectæ. Quod si obiiciatur, cõtingit dicere propter quid est intellectus. Respondemus quòd id dupliciter potest intelligi, vno modo ratione agentis, alio autem, ratione actus. Quare cum rationes intellectus nequaquam differant vt præfatum, ipse susçipit nomen vtriusque: nec oportet quærere propter quid insint, ac noto quid ipse sit, simul & cognitum est propter quid sit, ac viceuersa. Autor enim vero produxit intellectum perfectum, actu sine

potentia mixta, cùm sit ipse perfectus, indefectè, ac purissimus, & produxit per essentiam tanquam opus proprium per verbúmq; , vt operationem, ac tale ens., vt propter quid est in eo, sit idem quòd, & quid est. Agens enimuerò perfectum late est, & quale dixerunt Prisci, quorum mentem nos potentia explicabimus: agens autem simpliciter perfectum est , quod agit per solam essentiam, non per qualitatem. Agens verò imperfectum est , quod agit non per essentiam, sed per qualitatem . Eapropter non agit actione pura & perfecta, siquidē non inchoat, & simul perficit opus, quòd cum tale est, non si notum est, quid sit simul, notum est propter quid sit. Sed oportet noto primo, adhuc seorsum discere secundum, vt prædictum. Agens igitur primum non est agens imperfectū, cum sit ens perfectum supra omne aliud. Ideo ex consequenti opus eius est etiam perfectum. Cuius rationes qui attingit exaltatur. Perfecti autem agētis omne opus est perfectū: quia eius actio est perfecta, quæ est idem quod opus seu res acta. Porrò omne agens infra primum indiget agente, sicq; etiam operatio eius indiget operatione agentis primi. Ideo etiam omne agens infra primum est imperfectum, & quælibet operatio infra operationem primi agentis est imperfecta, atque ita omne perfectibile per operationem primi agentis perficitur. Amplius sicut iste mūdus vniuersus cōpositus ex rebus coniunctis, est tanquam ens vnum firmum, quod nō alteratur. Sed est perfectum, quia ei nulla deest perfectio atq; ideo notus quid sit, simul quoq; cognitus est propter quid sit. Siquidem partes eius sunt eędem toti, sibíque inuicem, nec sunt vt partes multę; sed omnes vt vna. Cùm non sint subordinatæ. Quod si vniuersum est tale, tanto magis pars eius, mūdus superior ita se habet, quòd omnes eius rationes sunt eædem inter se, & cum ipso apud animam. Non est enim prius inchoatus quàm perfectus, sed simul. Quare notoquid est simul, cognoscitur propter quid est, ex consequenti, non licet de eo quærere propter quid sit, vltra quæsitū quid sit , postremo cum productio intellectus sit proculdubio perfecta, nemo dixerit, quòd ipse sit imperfectus dispositionibus. Quare nō etiam continetur ab eis, neque ex consequenti agendo per illas agit. Rursus quoque rationes intellectus sunt illi aptissimæ neque insuper tempore subordinatæ. Siquidem intellectui simul concreatæ. quare (quod sępius repetitum,) vbi notuit quid intellectus sit, pariter etiam notuit propter quid sit , sed quid sit illi magis conuenit , quoniam rationem actus ostendit.



# LIBER SEXTVS.

*Caput primum, quo modo stellæ operantur in inferiora , quodque non agunt malum.*

NEquaquam oportet scribere dispositiones rerum : etiam contingentes particularibus , quando propositum sit versari circa illas. Et nos quidem scribentes hu-

iusmodi dispositiones rerum, qua ratione videlicet. quædam fiant ab eis. Tractabimus per causas corporales, non animales, neque voluntarias. Stellæ igitur sunt tanquam mediæ inter artem & artificem, neque similes agenti primo, neque materiæ vltimæ coniuuanti ad perfectionem, sed nec agentibus mutuo. Verum sunt similes bannis terrarum ciuilibus, quæ ordinant status vrbium singula digerentia, quorum quædam dirigunt ad mores probos, oblatis præmiis, quædam auocãt à malis pœnarum minis. Stellæ etiam sunt assimiles moribus ciuiũ directoriis oportune in actionibus politicis, qui quamuis sint varij, tamen omnes ducunt ad vnam consultationem, intendúntque bonum. Quod si dicant aliqui bãna terrarum esse signa. Respondemus quòd si mens eorum sit, quòd signum est via ad opus, dictum est verum. Siquidem probamus quandoque primum ex posteriore, vt causatum ex causa, & simplex ex composito, quandoq; autem discimus accidentia ex principio, & compositum ex simplice. Vnde etiam hinc fere iam probatum est quod dicendum erat, vtrum videlicet stellæ sint causæ malorum proueniẽtium hic deorsum? Asserimus etenim quòd non, quia non operantur per voluntatem, cum sint supra voluntatem, omne autem agens bonum & malum, agit per voluntatem, & omne agens supra voluntatem solum, agit bonum. Dispositiones autem mundi inferioris proueniunt necessario à superiori, non necessitate, qua infima & bruta, sed qua spiritalia perpetuáq;, sicut verbi gratia. Pars vna animalis sentit, sentiente altera, vtque partes quidem animalis



animalis reducuntur ad dispositionem vnam, sic dispositiones quoque cõtingentes ex mundo superiore, in eo sunt vnum, variantur autem hic, quapropter omne quod prouenit à corporibus cœlestibus est bonum tantum, fit autem malum commixtum iis inferioribus, siquidem proueniens à mundo superiori, procedit ex vita, non particulari, sed vniuersali, ac fortasse etiam aliqua impressio naturæ terrestris facta à superiori, agit aliquid, quia non est tam efficax, quàm signum illud à quo prouenit.

### *Caput secundum, quòd opus fascinationis est duplex, & quomodo fiat fascinatio.*

OPus fascinationis est bifarium, quoddam enim fit ex rerum conuenientia, ac proportione vnius ad alteram, quoddam autem viceuersa: ex differentia virtutúmque multitudine, quæ licet sint diuersæ, perficiunt tamen partem vnam, & fascinatio quidem artificialis est fallax, frustratur enim sæpe: neq; consequitur euentum, vera autem & quæ non fallit, est fascinatio sapientis. Imaginando imitans cœlum, quique pro viribus agit. Quædam amore vnius rei ad aliam ducendo, quædam autem dominio trahendo. cui adminiculantur virtutes ingenitæ rerum terrestrium, quarũ quædam auget amorem, ac sequelam vnius ad alteram, quædam passionem & receptionem vnius ab altera. Res enim sese subsequentes sunt fundamentum fascinationis, quæ cognitæ vehementer seruantur ad vim amoris efficacis exercendam, fascinatio porrò quæ fit verbis

suauibus, & loquutione quadam ingeniosa, callidáque, non est opus loquentis ipsius, sed loquutionis excogitatæ, quæ trahit vnũ ad aliud vi amoris naturalis. Siquidem inuenitur aliquid quod conciliat animas locis differentes, per quandam conuenientiã inter illas mutuam, quædam præterea sunt quibus inest vis amoris, ita quòd sentiés etiam inuitus quãdoque sequitur, vt prudés musicus, aliquãdo spõte sequitur consonantiam artis, aliquando autem gestu quidem corporis sequitur, siquidem secundum illam eum format, non tamen ratione amat, sed sensu, atque hæc est species fascinationis, quam non admiratur vulgus, nec detestatur ob consuetudinem, admiratur autem alias fascinationes physicas: quoniam nõ oblectatur illis, atque ideo errat, ac sicut musicus lætificat allicitque audientem citra passionem rationis cum affectione sensus: sic autem fascinator trahit aliquem inuitum, siquidem non cognoscentem intellectu vel sensu, sed tantum percipientem per illam impressionem, quendam impetum alium quàm naturalem, atque id prouenit rerum mundanarum cooperatione alteratrice hominis, vltra dispositionem pristinam, vnde siqua comprehenditur impressio: facta comprehenditur spiritui animali, etenim ratio non suscipit illam impressionem: siquidem non sequitur. quòd si ratio quoq; adminiculetur audienti, & ipse declinet ad eam, non etiam permittet ratio, spiritũ animalé pati à musico, neq; à fascinatore, neq; ab alia qualitate corporali inferiori. Et quidem vbi aliquis fascinando inuocat Solem, aliásve stellas, orans vt conagat operi optato, non sol, aut



aut aliæ stellæ audiunt orationem. Sed mouẽtur aliquo modo, sicut in corpore humano membrum vnum mouetur percipiendo motum alterius, vtque in Cythara, (mota vna corda) mouetur altera. Sic enim adhuc quidã mouet aliquas partes mundi, & propter eas aliæ mouentur, percipiendo motum illarum. Siquidem partes mundi sunt subordinatæ secundũ seriem mutuã, & qua ratione partes animalis habent consensum motuum accidẽtium propter magnam vnionem. Eædem partes mundi simili de causa.

### *Caput tertium, quòd naturæ habent vim fascinandi à cœlis, quódque vir iustus non fascinatur.*

RES inferius sortitæ vires fascinandi miranda, acceperunt eas à cœlis, operantúrque per illos. Ideo quoque homines fascinando vtuntur inuocatione astuta, vt ex se videantur id facere. Cùm tamen non ita sit, sed per motus influxúsque cœlorum fascinant. Siquidem prætermissa etiam huiusmodi inuocatione, ipsæ naturæ adhuc suo tempore idoneo fascinarent, partes autem mundi vnitæ naturaliter sese inuicem trahunt. quare (vt prædictum) fascinator inuocans, per vires naturæ aptas operatur, neq; mirum quòd is homo imprecando exaudiatur. quoniã non est alienus à cælo, præcipue iustus, quòd si dicatur quãdoque iniquus fascinat inuocando. Respõdemus quòd iniquus hausit virtutem huiusmodi ab eodem fonte, à quo iustus. Siquidem natura tribuit hominibus æque, non discernens vnum ab altero, virtus autem alia superior

nobiliórque existit, quæ discernit. Quod si dicatur mundus vniuersus secundum partem vnam patitur, & agit secúdum alteram, quæ est cœlestis, impatibilísque, operatur in inferiori naturaliter non accidenter. Siquidem omne agens impatibile, agit naturaliter inaccidentérque, & si aliter contingat, est præter intentionem potentiæ. Dicimus quod portio vniuersi superior, quæ est primaria nobilísque, videlicet cœlestis, agit ex se, & adhuc secundum vnam partem patitur ab altera nobiliore, non quidem patitur, vt inferiora. Nec enim recipit impressionem corporibus neq; animabus suis factam, sed agit in inferiora corpora, animásque sine vlla imperfectione. Siquidem permanent ipsa firma inuariatáque. Si verò quæratur rursus: nunquid fascinatio agat in hominem rectum, ac purum etenim si habet efficaciam in res alias: tanto magis videtur quòd & in illum. Dicimus quòd vir huiusmodi iustus non recipit impressionem fascinationis: secundum animam rationalem, & si qua parte sui patitur, secundum animalé submundanámq; patitur, absque tamen quòd fascinator efficiat opus intentum: nec enim id fit, præter quòd anima rationalis admittat. Quoniam fascinationis opera, quædam spiritui animali imprimũtur, nisi anima rationalis illum præparet quædam autem non imprimuntur nisi anima rationalis eũ præparet, ita vt fascinator nitatur agere, in spiritum animalem, rationalis autem anima repellit actionem mortis, vel morbi, vel alterius impressionis corporalis, & quidem anima rationalis agit in sensualem, quoniã pars vna mundi agit in alteram, si nacta sit fidem in autore



tore primo, & sic tunc homo euadit à fascinatione, etenim si anima sensualis distans recipit impressionem sermonem fascinatorij, approximátque tracta, ac coniungitur per auditum fascinanti: quodammodoque respondet, quanto magis eadem anima sensualis, in hoc mundo inferiori, proxima rationali, præsto illi respondet ac obtemperat.

### *Caput quartum, quòd vir pronus cito fascinatur.*

VIr pronus ad aliquam dispositionem exteriorem: facile susceipit impressionem fascinationis, secundum illam nanque ipsam ad se trahit: nec quicquam repellit, virum autem improcliuem ad exteriora, tantúmque ad esse̅n tiam suam recliuem, quam semper contẽplatur ac dirigit, fascinator non permutat. Quilibet etiam operationibus extrariis deditus, facile recipit impressionem accidentariam fascinationis, siquidem ob iter accedit ad eam, excitátque sui oblectamentum, vt mulierem pulchram conspectámque vir intellectualis amat, optátque sine fascinatione artificiaria, siquidem natura ipsa fascinatoria, inclinat virum ad formam mulieris, cõiungítque ambos non loco, sed affectu medio. Quidam namque cecinerunt, quod homo pulcher licet vnicus, tamẽ existit plures, quorum mens est, quòd hunc conspiciens diligit, indiuulsus ob speciositatem: quare hic amatus & ille amans sunt plures. Viro autem secum contemplanti, alienóque ab operationibus, non contingit fascinatio, quia non coniungitur rei fascinatoriæ per sensum, enimuero quòd homo conspiciens, &

conspectus sint idem, est sermo verus & inobliquus.

*Caput quintum. Quod aliquid moueat hominem ad aliud, quodque deditus nimium naturalibus fascinatur à natura.*

QVod rerum quædam mouet alterã ad aliquid, patet: etenim filij mouẽt patres ad labores seruandi: alendiq; illos gratia. Quibus lætantur ipsi (quãquam fatigentur) nec abstinent, nisi assecuti votum. Similiter quoq; appetitus innatus dominandi, excitat ad itam, eiusque actiones, aliásque etiam mœstificas & irrationales, adipiscendi illud causa. Indigentia adhuc naturæ & timor paupertatis, quam homines vitant ne aliquid mali cõtingat, sunt vnum incitamentum ad optandam diuitiarum copiam, concupiscentia autem oculorum est alterum, etenim appetitus opus prouenit imprimis ex indigentia naturæ. quam impossibile est sine omni re externa seruare atq; alere. Et si dicatur quòd vir bene agens nõ fascinatur? sic igitur etiam bene cõsulens? Dicimus quòd si vir contemplatiuus, ac probe agens nõ transferatur ad alia, minime patitur quicquã fascinationis, siquidem se talem seruat, vt bonum verum adipiscatur, & ad solum id laborat, non decliuis ad terrestria, sed intentus ad intellectibilem mundum: eiusque vitam perpetuam, desiderando procurandóq; illam. Postremo etiã asserimus: quòd vir agẽs opus malum ignoránsq; tale esse, si putet esse bonũ, per seuerans, & pertractus ad illud à natura fascinatus est, ob pulchritudinis apparentiam. Siquidem conspiciens terrestria esse pulchra, credidit



credidit etiam existere vere bona, exquisiuitq; vehementer. Quapropter affectans non bonũ, vt bonum secundum appetitum sensualem, est fascinatus, tractus ad rem inuoluntariam. Amor siquidem fascinati est fixus. Qui vero non trahitur ad terrestria, neque illa prosequitur vt pulchra & bona, non incidit in fascinationem. siquidem contemplatur bonum perpetuum, exquiritque atque obseruat, ac seipsum speculatur, ideoque ob hanc sublimitatem, eleuationemque ab inferioribus, fascinationem à se repellit. Probatum est igitur (quod narrabimus) quamlibet partem mundi huius pati à cælis, secundum naturam aptitudinemque suam, velut pars vna corporis animalis patitur ab altera. Quoniam vnaquæque est apta moueri ab alia, & quælibet est propria.

# LIBER SEPTIMVS.

*Caput primum. Cur anima descenderit in mundum inferiorem.*

ANima nobilis liquit mundum superiorem, vt posteriora formet ac regat quo functa munere: ac reuersa hoc emolumenti fecit. Quod hic naturam boni ac mali didicit vere per experimentũ, quam alioquin non perfecte sciret, non vt spiritalia (quæ cognoscunt vitia, quibus hic inuoluuntur homines) voluptatésque: non iuxta eorum naturas proprias, sed rationes in se veras, ob suam dignitatem potentiorem ad id descensu. Namque si cognoscerent vt animæ humanæ, vitia-

rentur etiam vt ipsæ corporum communione, tentarentque diuelli. Animæ siquidem rationales hic materiæ iunctæ, ideoque sordidatæ ac coinquinatæ, discernunt talia, propter huiusmodi colligationem, quarum aliqua (cum dissoluta fuerit) si sit munda, erit fœlix intuendo statum entium nobilium, spiritaliúmque ac principalium. Et redditur perfecta ad discernendum vtriusque mundi conditionem. Porro anima quamuis hic deorsum sit pelago materiæ summersa ex prædominio sensus, ac sub termino naturæ coacta, illustratio tamen ab intellectu non cessat. imo iugiter illi influit. Quoniam est substantialis ei, ac nunquam vllatenus diuellitur ab illa. Sic igitur descensus animæ contulit ad discernendum perfectæ experimento bonum ac malum. omniaque mundi huius ac naturæ suæ: dummodo supersint hic virtutes integræ, operationésque bonæ quæ inerant sibi in mundo intellectuali. Etenim si has non absolueret, proderetque sensibiliter, essent nullæ, videretúrque anima adhuc continere illas, prius in seipsa absconsas. quòd si fieret, perinde foret: ac si nunquam fuissent. Ex consequenti etiam inexplicatis animæ virtutibus: mundus intellectualis, qui est altior, remaneret ignotus. Cum nanque productum aliquod speciosum, illustre, appetibileque sub obtutum ceciderit. Homo circumspicit admirabundus insignia euidentia, inspectatque etiam interiora, & subinde veneratur eius autorem, agnoscens quòd eius opus est supreme absolutum, & pulchrum: quodque ipsum est summum bonum, cuius virtus est interminata. Post autorem, autorisque opus primum.



mum. Reliqua quoque opera honorata, perfectaque abunde apparent. Siquidem cum autor (qui vnicus extat) ea produxerit, illorum insignia, quoniam sunt minime obscura, haud latent.

*Caput secundum, Si Deus non produxisset, nihil aliud existeret, & cur plura entia sunt producta.*

SI ens vnum primum substitisset in essentia sua, continuisseturque, potentiam, operationem, ac illustrationem, non existeret quicquã perpetuum, neque alterabile & corruptibile. Cum autem horum entium neutrũ existeret: opus autoris vnius primi, non foret principium, lumenque, ac bonum verum. Quod nequaquam contingit. Siquidem cum ens vnum, primum, est causa vera, etiam opus illius est principium verum, & si sit lux vera influens, recipiens quoque illam est lumen verum, si item illud est bonitas vera irrigans, irrigatum etiam est bonum verum. Quare non conuenit quòd Deus existat solus, neque producat aliud ens nobile receptaculum suæ lucis, intellectum videlicet. Sic etiam non decet quòd præter Deum: solus intellectus extet, & non subsit opus recipiens eius luminis splendorem. Ideo formauit animam. Adhuc non licet quod sola anima infra intellectum sit in mundo superiori, neque inueniatur alterum excipiens operationes eius, hac de causa anima descendit, ad ostendendum potentias, actionesque nobiles vitæ. Vnde absoluta est: siquidem natura sub opus eius est. Rursusque ipsa figurat aliud inferius, patibile: receptiuum impressionũ illius.

superioris attrahentis. Quoniam omne superius agit minus in inferiusque ad se tractum.

### *Caput tertium. Quod nulla substantia intellectiua naturalisve extet, quæ non operetur. Qualisque ordo rerum.*

NVlla substantiarum intellectiuarum & naturalium existit quin operetur, præter substantiam infimam & debilissimam, cuius actionem aliquam apparere est impossibile. Argumentum autem quod impossibile sit substantias naturales existere in actiuas, est quòd semina sata sub terra (nisi à loco circunstante comprimantur) quoniam sunt spiritalia, & secundum aliquid incorporalia, necessario operantur vsque ad pullulationem similem specie adhuc propagaturam, atque id, quoniam eis insunt rationes intellectuales coniunctæ, alioquin non forent visibiles, sunt autem cum operatæ fuerunt. Viresque admirandas ostendunt. Quapropter si rationes seminales non possunt non esse actiuæ, tanto magis substantiæ intellectuales perpetuæ, nequeunt vires & actiones continere, nisi habeant subiectam materiam, impotentem recipere earum operationes, aut tantum debiliter, vnde neque valet subinde in alterum operari. Intellectus igitur immittit vim suam animæ, anima autem certe vniuerso huic mundo, per influxum virtutum superiorum: nobiliúmque. Nec enim aliqua substantia corporea mobilis consistit, neque viuit ex se, sed qualibet pro conditione accipit virtutem, bonitatémque ab ipsa anima. Etenim autor primus produxit operationem propriam absolutam proximam intellectui, quam dein



dein ipsum intellectum creauit. Postea autem (cum intellectu causa inter media) produxit animam, cuius subinde virtus influit huic mundo. Et prima figura quam impressit, fuit materia prima, siquidem est principium ex quo cõponuntur substantiæ corporeæ, sed & sensibiles, quarum vt sensibilium quatenus est principiũ, mutuatur bonũ formæ ex anima prius. Etenim quælibet substantia sensibilis continet bonum formæ pro capacitate ad recipiendum aliud. Atque anima ipsa quatenus materia suscipit formam ab ea: producit naturam, quæ continet potentiam propagandi, virtute huius animæ: causarumque potentium. Deinde series formarum intellectualium causantiũ, constitit ad naturam, in qua seruit principia progenerationis. Quæ cum agant formentque substantias, non existunt absque tali actione naturæ. Quoniam causa prima fecit eiusmodi essentias intellectuales, effectrices formarum accidentalium, generabilium, corruptibiliúmque.

### *Caput quartum. Quod mundus sensibilis est imago intellectualis.*

MVndus sensibilis est imago intellectualis, substantiarumque intellectualium inexistentium. Exprimunturque per eum potestates magnæ, nobilesque ac perfectæ, supernæ, quæ immittunt influentiam illi honorabilem. Substantiæ quoque intellectuales continent sensibiles, autorque primus continet intellectuales simul cũ intellectu ipso. Qui nõ solum est ex numero substãtiarũ intellectualiũ,

sed roborat ipsas & sensibiles. Substantiæ autem intellectuales, sunt res absconditæ, quoniã sunt perductæ ab essentia prima, Causa causarum, quæ produxit illarum primam sine intermedia, substantiæ autem sensibiles existũtentia alterabilia, siquidem sunt figuræ, & simulacra substantiarum occultarum, prodeũtque ad existentiam per generationem, confirmantur autem in consistentia: perseuerantque per substãtias intellectuales firmas ac perpetuas.

*Caput quintum. quod anima est media inter duos mundos, quodque agit interius.*

Essentiæ species existunt duæ, sensibilis videlicet ac intellectualis, & anima quidem in mundo superiori intellectuali exrat nobilior atque perfectior, in inferiori autem ignobilior, deteriorque, propter corpus, cui inest cumque sit intellectualis, ex mundoque superiori, impossibile etiam est quòd cateat essentia mundi sensibilis, inexistentiumque illi, quoniam natura animæ conuenit ac propinqua est mundo vtrique intellectibili, scilicet ac sensibili, ob id quoque minime decet quòd conquæratur, detestata se liquisse mundum intellectualem, & deuenisse ad istum. Sita nanque inter ambos, quamuis sit ex numero substantiarum diuinarum: attamen cum sit finis illarum, est principium naturarum sensibilium. Porro anima contracta ad mundum naturalem sensibilemque, nihilominus continet suarum virtutum influxum in illum, sed adhuc infundit vires proprias, eumque insignit dotibus innumeris: aufertque sæpius sordes, & vitia



vitia ne (commisceantur) sollicite repulsat. Propterea mundo sensibili anima influens, non tantum exterius illum insigniuit. Sed interius quoque, dum inseruit virtutes rationum introoperantium quæ explorando inuentæ, narrandoque stupefaciunt. Quod anima autẽ insigniat magis interiora corporum, quam exteriora, argumentum adest, quòd natura illis inexistit non circunstat: cuius indicium, quòd corpora naturalia vi interna agunt, non externa ac superficiaria. Sic enim videmus animalia, ac plantas (quanquam extrinsecus) minime pulchras: tamen intrinsecus non prohibitas, educere ex seipsis fructus illustres ac bonos. Ratione, atque operatione admirãda. Si anima item non inexisteret corporibus naturalibus, neque insereret rationes suas miras, plurifariã introoperans, corpus corruptibile citius consumptionem admitteret, neq; tamdiu (vt nunc) perduraret. Anima namq; conspicata synceritatem, dignitatémq; corporis alicuius: ipsi indidit naturam quandam influxu suarum virium, impressitq; rationes mirandorum operum actiuas, atq; intimum corporis mouetur.

*Caput sextum. quòd anima superno in orbe melius se habet, quodque influit deorsum.*

Anima inexistens corpori maturat recessum, ac eius permutationem. Dein reuersa ad mundum intellectualem supernum, cum sit versata in duplici mundo, ac gemino periciæ suæ gradu, didicerit (per experimentum cogitationemque) hunc. Sicut vir præditus tenui noticia affectus, eligit aliquid experiturq; roborans cognitionem, illius autem nouerit ordines supernos honorandos, scientia vera con-

stituit mundum illum existere isto excellentiorem, sicut autem intellectus descēdens sistit in fluxum in anima, quoniam hæc existit portio vna mundi intellectualis (quod sæpius dictum) & præfigurauit in ea rerum simulacra quæ subter illam impressit, anima ita ascendēs in reditu. consistit in causa prima, cuius impressio est intellectus, siquidem nouit etiam per experimentum explorationemque, quod existentia dependens in ea est dignior, nobiliorque, quam in lumine virtuteque & aliis potestatibus ab illamet progressis. Præterea vt ipse intellectus non subsistit in essentia sua, sed indiget robore, lumineque immisso ad consistentiam, promotionemque, quæ cum non moueatur sursum superioribus influxurus (siquidem illa entia sunt autor primus, opúsq. eius primum, cuius intellectus est vt lumen coactū seu compressum, sub causaque impressa, mouetur inquā intellectus deorsum, influitque suo lumine subterioribus vsque ad animam. Sic etiam ipsa anima (quoniam plena est lumine & dignitatibus incontinendis) profluit non sursum. (Siquidem intellectus influens iugiter nō indiget eius refluxu) sed retrorsum deflexa, velutque pudore contecta, deorsum immittit subiectis rebus, suas dotes. Impletque orbem terrenum lumine, bono, atque honore. Entium autem productorum ab ea optimum: perfectissimumque existit mundus planetarius. Siquidem est propinquior causæ primæ. Et quoniam anima susceptit formam ab intellectu. Dein prolata ab essentia sua motione, etiam facit plures motus planetarum, voluntarios, ac naturales & æquales, qui sunt operationes sensibiles.



sibiles. Quales sunt multi ordines formæ intellectualis primariæ productæ à causa principalissima. Rursus quoniam mundus vterq; spiritalis. Moueatur secundum substantiam: naturalis autem desiderio ad illum: anima quoque mouetur vt mundo intellectuali assimiletur, eumque ad primum imitandum ascendere nequeat ob imbecillitatem, retrorsum detorta (vt prædictum) ac vt verecundia compressa nouauit composita ex elementis in orbe naturali, à cuius variis virtutibus expansis, singula receperunt corporaturæ portionem pro natura, idoneam rationibus minerariis, similibúsque aliis admittendis à sole superoriente, secundum capacitatem potentiarum.

*Caput septimum. Qualis differentia corporum & terminus vnius cuiusque entis.*

CORporum igitur illud est differentius à causa prima, quod est ineptius ad recipiendum animæ influxum, illud autem est similius quod est aptius ad eundem. Corporum quoque in motu tarditas maior, minorve existit, propter differentiam eorum maiorem, minorémve à primo vno. Et si causæ non forent (secundum gradus) subordinatæ, non etiam foret corpus visibile, desiturum secundum substantiam in corruptionem. Enimuero quoniam lineæ à centro circuli entium varientur, motus etiam celeritate addititia, tarditatéque diminutoria variatur. siquidem quanto inferior, tanto existit tarditate debilior diminutiorque: ac viceuersa quanto superior, tanto velocior, donec peruentum est ad hunc mundum supernum. Omnia quoque

composita naturalia variantur, magis minusq; resolutione, consumptioneque. Mundus porro naturalis terminatur ad ea (quæ actu conspicinntur) corpora cœlestia ac stellaria, quæ patiuntur à causa prima sine tempore, Intellectualis autem finitur ad formam primam, causamque introfiguratam, adhuc anima pariter definitur sursum ad intellectum: deorsum vero ad naturam materiamque primam. quæ omnia patiuntur sine tempore. quæ vero apparent actu, & potentia sunt (exempli gratia) inanimantia, plantæque ac animalia, cæteraque vicissim passibilia. Perpetuum vero & immobile est vt intellectus, temporarium & mobile existit quale cœlum. Particularia item sunt motui naturæ contermina, vniuersalia autem secundum substantiam quieti, siquidem causa dispositionis vnius inuariatæque etiam permanet ipsa. Tempus est iunctum motui, natura perpetua immobilitati impropriæ dumtaxat, mouetur autem ad autorem primum in orbe spiritali, intellectus & anima: siquidem in ibi nequaquam existunt termini subiecti, vt lineæ figuræve, neque aliqui alij motus ex voluntario nutu causæ primæ, quæ existit productum primum, nec est imaginabile ante istud esse aliquid, nisi autorem primum. Cuius id est voluntas. Quoniam imitatio voluntatis extrinsecæ est alteratio, talis autem mutatio non attingit causam primam.

*Caput octauum. Quod anima existens in orbe superno adhuc operatur in infimo. conjungitque vtrunque.*

Anima



ANima quælibet cum operando impleuit hunc orbem sensibilem suis dignitatibus, coacta reuertitur ad intellectualem: quem cõplectitur tenaciter, prædicta cognitione indubitabili. Siquidem mundus ille nobilior est isto, seruansque eius intellectualis contemplationem, negligit omnino istum repetere, quale euidens est illi, qui à fascinatione naturæ emersus, propere rediit ad intellectum, speculatus rerum principia. Anima autem regressa, ideo despicit inferiora, quoniam hæc sunt consumptibilia, tanquam simulacra eius, quæ non perseuerant, nisi illa subinde causa fingente. Anima adhuc in illo orbe proprio extans, conspicata dignitatem: sumit ab eodem virtutem & attrahit, huicque infundit, coniungens eum tali illustratione superiori, atque ita efficitur mundus vnitus. Hanc vero opinionem ratione breui probamus, quoniam anima non omnino descendit in hunc mundum inferiorem. Nec enim vniuersalis neque humana, siquidem in intellectiuo secundum aliquid supereſt. Minime translata ab eo, quãdo non est loci indigna, coniungiturque huic per curam, descenditque propter operum ostensionem: siquidé impossibile est: quòd mundos diuidat, nisi ipsa secundum substantiam corruptione permutetur. Atque ita contingit quòd inde pendens ibi existat, non penitus istinc egressa, operans istic.

*Caput nonũ. Quod anima submersa non speculatur superiora, vice uersa emersa spernit inferiora.*

MVndus sensibilis dominatur nobis. Siquidem animæ nostræ submerguntur in eo, malis concupiscentiis plenæ. Vnde har-

moniam intellectualis orbis annunciatam negligimus, neque influxa eius obsequimur prouentum animæ illustrationémque ab eodem ignorantes, propter dominium naturæ perindé ac fascinationem sub huiusmodi suo statu imparticulares animas, quæ ob id infirmantur ad reditum in essentiam suam. Roboratæ autem tunc erunt ad eam, mundúmque intellectualem, missúmque animæ pérque animam influxum ab eo perspiciendum. Cùm superauerimus istum alieni à desideriis eiusdem sensitiuis, operationibúsque naturalibus, quibus à pueritia assueuimus: non curantes nisi negocia particularium animarum: priusquam iste perueniét ad vniuersalium, cuius aliquid perspicere non possumus, donec (sub potestate animæ concupiscibilis, imaginatiuaq; formæ) illæ extiterint. Vice autem versa, quando animam vniuersalem speculati fuimus, spernimus particulares, quanquam diu nobis familiariter inexistentes.

*Caput decimum, quòd anima vniuersalis regit sine labore, particularis autem cum labore, ante elevationem.*

Corpus præterea vniuersale est causa coniungens sese inferiori, istúdque sibi, atque anima vniuersalis regit corpus vniuersale viribus propriis, citra laborem, siquidem regit illud non ea cogitatione quæ animæ nostræ humana corpora, verum gubernat administratione intellectiua vniuersali. Siquidem corpus illud existit inuariatum ac similare totum, carens complexionibus partium diuersis, membrísque differentibus. Quæ cùm sunt, indigent administratione variabili, partes vero similes sunt tanquam pars vnica. Anima vero particularis, quæ alicui corporum particularium inexistit, quanquam nobili, tamen administratione laborioſa regit illud. Siquidem non sine cogitatione, qua indiget, quoniam pelago naturæ mergitur, commiscetúrque igni sensibilia incurrenti, vnde subit dolor, ob aliquid præter naturale, superánsque ingressum in huiusmodi statu, nec quidem contingit animam euadere ab hac corporis dispositione: nisi per magnam cogitationis exercitationem ac speculationis, per quam statim succurrit in administratione, quod fuerat obliuioni mãdatum. Deprenditúrque impedimentum, quòd fascinabat, turbabátque illam. Et quale prohibebat contueri essentiam suam, ac explorare iuuantia, roborantiáque atque efferentia ad superandum appetitum prævalentem prauum, imaginationésque vitiosas. Ob causam istam anima (cùm deseruit statum æternorum, vt assequeretur huiusmodi sensibilem mundum) ignorat se amotam à caritate perfecta, induisse amorem permutabilem, imbecillémque. Porro anima quãdo roborata conualuerit ad reiiciendum habitus alterantes, neque amplius detineatur in ipsis: administrat suum corpus absque pœna afflictorióque dolore: sitque similis animæ vniuersali pari cum dispositione, dominans, & gubernans, præter variabilem mutationem.

# LIBER OCTAVVS.

## *Caput primum, quæ sit causa effectrix ignis cæterorúmque entium naturalium.*

ESSENTIA ignis, qualis etiam terræ cæterorúmque similium, est ratio quædam in materia prima. neque ignis fit à confrictu, collisúque corporum, vt ab agente, quemadmodum nonnulli opinati sunt, sed latens in illis apparet, propter huiusmodi mutuã collisionem: quæ cùm sint arrida, calefiunt vehementer, nec; etiam materia prima est ignis potentia, sed enim forma ignis, tantum fit in illa, quando ratio formatrix ignis, aliorúmque entium, illum efficit. Hæc autem ratio formatrix, est anima vniuersalis, eadem vita igni reliquóque mundo existens. Per quam singula reguntur pro conditione, ita vt quodlibet ex inanimantibus & plantis, animalibúsque vitet aliud qualelibet noxium. In hac etiam anima nostra permanet, cognoscitq; per eandem, omnia quæ discit. Ista adhuc est prouidentia diuina in toto orbe diffusa, & lux, qua vnumquodque existit ac persistit. Ideo Plato dixit, quòd anima in quolibet corpore simplici, agit hunc ignem sensibilem, cæteráque elementa. Quod cùm sit causa, igitur effectrix huiusce ignis, est vita quædam ignea: igníque occultus, qui supernæ existit in alio mundo, conuenientior quàm infimus, siquidẽ nobilior, qui cùm sit etiam verus, proculdubio, extat quoque vitidus, & vita quidem sublimiore. Quandoquidem



iste ignis est simulacrũ illius. Porro cùm ignis supernus (vt probatum est) viuat vita inferiori influente, pari ratione, aër, aqua, & terra. Illic etiam viuunt, ac magis quàm hîc, quoniam ab illis vita immittitur iis inferioribus.

## *Caput secundum, quòd singula elementa participent aliquantum vitæ.*

ARgumentum quòd elementa hic existentia viuant, sunt animalia ab eis genita, siquidem ex igne fit quoddam animal, ex aëre item, atque ex aqua. Animalia enimuero genita in aëre sunt maiora, euidentioráque, quàm in igne. Quæ sunt insensibilia propter eius subtilitatem & leuitatem. Paucáque atque mobilia vsque in aërem: item animalia aquatica sunt manifesta. Et animalia quidem ignea non patiuntur ab elementis inferioribus, verum agunt in illa. Similiter etiam aërea, non patiuntur ab aqua, neque à terra. Quod autem aqua viuat, videtur patere ex eo, quòd ex humore quodam nobis inexistente fit caro: siquidem caro est sanguis quadam ratione coagulatus, quod amplius terra sit etiam viuida manifestum est, tum quoniam ipsa tota præ se fert animalis speciem aliquam, siquidem continet aquas subterfluentes, tanquam venas, saxeos montes, tanquam membra ossea, plantásque, velut capillos, tum quòd hæ plantæ terræ infixæ viuunt, amotę autem pereunt. Quod autem plantæ animaliáque (præter animas proprias) vita animæ vniuersalis potiantur: hinc manifestum est, quòd non alunt, nisi vitis particularibus spoliatæ, vt plantæ cæsæ, animaliáque interfecta, nec enim si aliquod animal viuum

deglutiatur, nutrit priusquam moriatur, siquidem non corrumpitur vertendum in carnem, nisi anima particulari antea exuatur. Si talia igitur vertuntur in carnem, seruant vim animę vniuersalis prædictam. Postremo, quanquam elementa sint (vt iam deductum est) viuida: nō tamen existunt etiam sensitiua, sed receptiua sensus, sicut ipse sanguis quoque (ex quo fit caro) non extat sensitiuus.

*Caput tertium, quod quæ species sunt in mundo inferiori sunt etiam in superiori, & quales ibi sint.*

CVm ea sint vera quæ narrauimus, reuertētes ad rem, dicimus quòd hic mundus sensibilis, totus est imago alterius, quare cùm iste sit viuidus: tāto magis oportet illum alium viuere, etenim si hic extat perfectus, ille est perfectior, siquidem immittit isti vitam, potentiā, perfectionem & perpetuitatem. Quod si orbis supernus est summe absolutus, proculdubio etiam entia illius sunt absolutiora cæteris hic existentibus. Illic igitur superstant alij cœli, adepti virtutes stellares, quales cœli huius mundi, præter quòd, illi sunt altioris speciei, lucidioríque ac maioris: neque inter se distant, sicut isti, quandoquidem sunt incorporei. Illic quoq; existit terra non inanimata substantia: sed viuida, in ea sunt animalia cuncta naturalia terrestriáque, quot istic, sed alterius speciei ac perfectionis. Sunt plantæ fatiuę hortenséſq; & aquę profluentes vi animata: sunt item animalia aquatica, sed nobiliora, illic existit aër, in eoq; animalia propria simpliciter viuentia, omninoq; immortalia, & quanquam animalia quidem



quidem illa sint iis connaturalia, tamen sunt honorabiliora eisdem: vtpote intellectibilia, perpetuáq; ac inalterabilia. Quod si quis obiiciens dicat, vnde mundo superiori insunt plantæ cœli, reliquaque prænarrata. Respondemus, mundo superiori perfecto inexistere omnia, quoniam in eo fuerunt ab autore primo absolutoq; ac inexistente producta. Adsunt igitur ibidem, intellectus animæq; omnes, nec subest defectus, qualis indigentia & corruptio. Siquidem entia illic sunt plena vbertate, robore, & collætitia, vtpote sublimata, in vita & ab vno fonte conorta, ac insignita vna qualitate complexa omnes alias, vt sapores dulces, odores suaues, colores perspicuos, sonos harmonicos, res tactiles, cæteráſque perfectiones, neque ibi partes sese inuicem vexant, neque inter se miscentur, neque mutuo se corrumpunt. Verum seruantur singulæ perfectæ, secundū rationem optimam habitus essentialis discretæ: cúmque sint simplices, continent tamen multas rationes absq; intima pluralitate sui, & augmento, quali multiplicātur, augentúrq; corpora. Atq; intellectus illic existēs, est vacuus, anima quoq; est simplex pariter, atque hæ ambæ, & reliquæ ibidem res sunt simplices. Ea cōditione quòd omnes secundū rationem conueniunt proportionatam vitæ principio vitali, nō secundariis rebus sensibilibus ac compositis, secundum quam propriis rationibus multiplicantur.

*Caput quartum, qualis sit motus intellectus.*

AGens primum simpliciter mundi totius sensibilis, est vnum simplex: continens po

tentiam vnicam, agens autem ex conditione primum: quod est vltimũ, habet potentias plures. Atque ens proximum causæ primæ, existit causa huius, cuius quidem opera sunt, plura illustrioráque alterius. Distantis autem ab ea pauciora, & imperfectiora. Siquidem intellectus mouetur semper, motu æquali, ac secundum omnes partes similari: neque aptatur vnico motui, sed omnibus. Motus autem particularis non est vniformis, sed variatus, quantóq; posterior, tanto obscurior, quo vsq; perueniatur ad vnum simplex, vnius tantum potentiæ, & motus quidem hic existentes, qui omnes sunt vltimi vtpote substantiæ corporeæ à primo ad postremum, singuli proueniunt ab intellectu, atque in horum postremo est parua inæqualitas, quia non subest virtus alia mouẽs aliter, neque inter mouentem aliámq; motam variatur proportio. Atque hic motus ab intellectu infimus, non est vita simpliciter continens plura, sed vnicum aliquid. Ideóq; existit particularis, ac sensibilis, non vniuersalis, inq; alio. Intellectui enim non inest nisi vitalis ratio, vnde dicimus motus intellectus esse substantiales. Siquidem absque illis substantiæ nõ existunt, sed tantum per eos. Intellectus namq; agit in particulares substantias motibus intellectibilibus, qui proueniunt ab autore operis primi veri. Quod ob id est virtutis incomparabilis, atq; hos ipsius intellectus motus substantiæ sequntur. Mouetur autem intellectus ad rem, formatione intellectionis eius, quæ cùm non abducatur ab ea, est locus verus eius, non simpliciter, sed quia non alius. Intellectus porro semper mouetur motu intellectibili ac spiritali,



ritali, neque vnquam cessat: alioquin non existeret. Neq; autem contingit quòd intellectus cesset intelligere. Siquidem intellectio est substantia eius, atque idem est intelligens & intellectus. Et motus quidem intellectus est intellectio. Atque omnis motus talis perficit viuificátque substantias quaslibet (vt antea probatum) siquidem substantia ipsius intellectus seruat singulas substantias subexistentes, & vita eius vitas inferiores, cùm sit vniuersalitas illarum.

### *Caput quintum, quòd omnis motus in orbe superno est vitalis, & qualis.*

OMne quod mouetur in orbe superno: siue sit intellectus, siue anima, aut aliud, mouetur motu vitali: & perpetuat illum secundum connexistentia. Etenim sicut viator terrestris progreditur itinere terrestri, ac vt omnia quæ è terra pullulant sunt terrestria: quanuis sint aliter variata, sic omne quod defertur in illa regione vitali, defertur delatione vitali. Atque omnia quæ ibidem cõspiciuntur sunt vitalia. Et quidem delatũ, illic mouetur à principio viæ ad finem (quo modo principium & finis ibidem adsunt) mouetur inquam ad finem, non distans ab ipso principio, ratione cõtraria hic existenti, quod transsatum ab exordio ad finem itineris, differt à principio. Etenim § perlatum illic ad finem distaret ab initio itineris, non esset intellectibile aut vitale actu, sed potentia, quapropter desineret corruptione: præfuisséque genitum. Nam intellectibile vitaléque actu, semper ac vniuersaliter eodem modo sese habet.

*Caput sextum, quod intellectus est vniuersalitas rerum, & quomodo.*

OMne vniuersale est intellectus: ac viceuersa omnis intellectus est vniuersale. Non ita tamen quòd vniuersale existat præter particularia omnia existentia, siquidem (iis omnibus ablatis) auferetur vniuersale intellectus, ac particularia sunt subinde alterabilia, variabiliáq; additione & diminutione, vniuersalia autem sunt omnino inalterabilia, alioquin veritas penitus auferetur (quod est falsum.) Quare cùm vniuersale sit inalterabile, quod est forma intellectus, ex consequenti etiam substantiam intellectus, impossibile est esse alterabilem, intellectus autem est vniuersalitas specierum, quia continet in seipso vniuersalitatem ipsam formámq; rerum. Neque autem res ipsa inest intellectui impressa, sed intellectus operatur aliquid rei simile, quo conuenit ipsi. Et sic omne præteritum ac futurum conuenit alicui, quod inest intellectui, sicut scientia in anima nostra cõuenit rebus significatis, alioquin si formæ in anima essent dissimiles à formis rerum: non sciremus ipsas, neq; assequeremur veritatem earum. Siquidem veritas rei est ipsamet res, aliter enim foret aliena: ex cõsequenti etiam contraria. Animæ nanque speculatæ: formant in seipsis veritatem ex particularibus, quæ secundum singularium speciem, est ipsamet res. Quapropter cùm homo conspicatus aliquid nudauerit formam eius, imponit animæ suæ, simulacrum illius proportionatum. Quòd si rursus videat idem inuariatum, agnoscit, siquidem simulacro præexistenti proportionatóque conuenit. Si vero tertio aspiciat, sed



sed alteratum non agnoscit, quoniam primæ imagini in anima dissidet. Sic autem artifex præfingit sibi in anima formã quandam, deinde facit similem in materia vna vel pluribus. Etenim rerum pluralitas numeralis prouenit per materiam. Similiter si alius ex iis formis artefactis sumeret exemplar in anima vniuersale, ac postea similes in materia formaret, essent adhuc plures formæ singulares, & profecto si auferantur formæ illæ particulares, non ideo etiam auferetur vniuersalis. Quare concludimus, quòd formæ vniuntur abstractione à materiis, & forma vna multiplicatur impressione in materias. Vniuersalia item sunt permanentia, particularia autẽ alterabilia, peremptibiliáque, quare intellectui insunt simulacra semper, aliis quibusdam rebus proportionata. Et si quis dicat quòd rationes rerum, in intellectu sunt illarum instrumenta vicaria, non differentia vllatenus ab eisdem. Respondemus quòd (si ita foret) forma in intellectu esset ignobilior quàm sit, quod est impossibile, ideo non contingit quòd sit eadem cum re sensibili, indifferénsque ab ea.

*Caput septimum, quomodo intellectus est vnus & plura.*

REdeuntes ad id vnde digressi fuimus: sermoni quòd vniuersale vnum multiplicatur in particularibus, subdimus exemplũ, verbi gratia, plantam aut animal, quarum rerum vtraque (quanuis sit vna) tamen dicitur de plurimis. Formæ nanque agentis in materiis pluribus existentes differunt numero, & si sint in vna materia, differunt specie. Amplius res vna

est plures, vt corpus, quod quanuis sit vnum, tamen ratio agens formatin eo membra plura. Puta os, oculos, nares, quorum quodlibet quanquam sit vnum, non tamen est vnũ simpliciter. Sed enim est compositum ex pluribus aliis, vt neruis, venis, cartilaginibus. Neruus quoque (siquidem sit vnus) adhuc est compositus ex elementis, & ita de similibus, vt sanguis, licet sit vnus: est etiam compositus ex rebus aliis, atque ita quousque attingantur materia prima & forma, quarum vtraque cùm existat simplex, est substantia vna. Et si interpretetur vniuscuiusque nomen. Materia prima non est nisi substantia informis: & forma vera, est per quam res est id quod est. His prænarratis, intellectus igitur cùm sit vnus, non est vnus vnitate, qua forma corporalis. Siquidem est altior, nobiliórq; illa vt prædiximus, neque item intellectus vnus est plura, vt corpus, sed quatenus cõtinet rationem potentem vnire plura. Etenim habet formam vnam qua definitur, & ex qua oriuntur omnes formę intrinsecæ, atque extrinsecæ, quoniam vniuersale vnit particularia, nec aufertur (aliquo illorum ablato) aliunde porro euenit potentialitas cogitationis subintellectualis nec intellectus diuiditur ab ea, vt vnum corpus ab altero, siquidem corpus diuiditur per lineam lateralem, extrinsecámque, intellectus autem diuiditur per intrinseca à cogitatione.

*Caput octauum, quomodo omnia sunt in intellectu, & quomodo agat intellectus, ac etiam Deus.*

DIcimus omnia esse in intellectu, non ideo tamen quòd res in eo sint absolutæ, neq; ita



ita quòd cum eo componantur, sed quòd intellectus producit eas, ac seruat, nec enim quic quam cogitatur esse permanens nisi in eo, & si intellectum auferamus: auferuntur quoque ipsæ cum sua vniuersalitate. Intellectus autem cùm sit omnia, vtpote efficiens illa, agit vnum per aliud. Agens sed enim primum (quæ producit) perficit absque medio, simúlque in vnico momento. Ex consequenti existit creans vere, siquidem sine alia re, non autem vt aliquid ex aliquo, neque causa alia adiuuat aut excitat illud, ideo quoque sicut omnia sunt creata ab eo, sic etiam ad illud reuertuntur, appellatúrque ob id agens primum, quæ nominatio nulli alteri conuenit. Siquidem ipsa alia omnia fuerunt creata ab eo. Intellectus enim vero operatur vt agens secundum, ac per primum efficit quicquid efficit. Siquidem indiget speculatione in agens primum præter sui contemplationem substantiæ, operatio quoque eius non est tota simul, neque subitanea.

*Caput nonum, quomodo omnia animalia vniuersalia sunt in animali vniuersali, & quòd aliter quàm in intellectu.*

SIcut omnia subexistentia intellectui: sunt in ipso intellectu per rationem, sic etiam omnia animalia vniuersalia sunt in animali vniuersali per rationem. Si dicamus autẽ quòd sub vtroque animali sint plura. Vere quidem dicimus, sed animalia infimi orbis sunt imperfectiora, ac pauciora animalibus superni. Et non defertur animal à vita abstrahente, quin

perueniat ad animalia parua, imbecilliora, atque illis inexistat, in quibus vita particulari viuentibus desinit virtus vniuersalis vitæ, quoniam non subest aliud. Hoc autem quod dictum est fit, cùm speculatio nostra fuerit intellectiua, absque sensitiua. Siquidem sensus considerat primo singularia, postea vero species & genera. Intellectus vero contemplatur primo vniuersalia, postea vero particularia. Differentia autem hæc, quam diximus inter supremum animal positum vniuersale, & animal particulare, non quidem distinguit nisi secundum formam. Dico autem quòd animal vniuersale, & animalia particularia, non differunt simpliciter inter se, sed sunt qualis amor (quem iam narrauimus) in vniuerso, atque amor in orbe sensibili, quem victoria elementorum, ex quibus res componuntur, dissoluit aliquoties, siquidem etiam is non coniungit entia, nisi per accidens, & citra intentionem ad primarium finem. Amor autem intellectibilis connectit omnia voluntate: ac vnione vitali, appetitúque primarij finis, quapropter nunquam dissoluitur. Siquidem non est excessus qui possit, quoniam in mundo illo supremo, nequaquam est controuersia, neque odium inter existentia, sed concordia summa, vitæq; communio, à qua omnia inferiora vegetantur.

* *
*

LIBER



# LIBER NONVS.

*Quoniam in Codice græco huius libri exordium deficiebat, ob nimiam vetustatem. Tineæ siquidem prorsus labefactauerant, iccirco primum caput non fuit hic appositum.*

*Caput secundum, quod anima in orbe intellectuali non indiget promouente ad operationem, quòd que hic autem indiget.*

ANIMA existit ex iure substantiæ intellectualis, quatenus etiam extat ex numero eius, cuius operatio nō est dignior potentia. Quare inter substantias quidem intellectiuas huius existentis potentiæ non indiget aliquo promouente ad operationem, quoniam est pura, ac perfecta: respiciens spiritalia, vt visus sensibilia. In mundo autem sensibili indiget tali promouente ad actionem, aliter enim sensibilia nequit considerare, atque huius causa est substantiæ cortex: quo hic homo circumindutus fuit, vnde fit quòd anima non attingit essentias rerum, virésque ipsarum, nisi præamotis etiam corticibus rerum, ad quod indiget ope intellectus agentis. Verum vbi & quando essentiæ ipsæ sunt ex seipsis abstractæ, ac vires detectæ, tunc ibi sufficit animæ potentia ipsa, ad eas explorandas, neque alio pariter indiget intellectu agente. Rursus quoque dicimus, quòd anima in regione intellectuali substantiam suam respicit, &

à reliquis ibidem conexistentibus roboratur. Siquidem ipsa atque illæ sunt simplices, ad cognoscendum autem aliquid simplex, oportet substantiam cognoscentem, esse etiam simplicem, at cum in regione sensibili anima extiterit, nihil cõsiderat absque labore maximo, atq; id propter multam corticum copiam, quibus contecta est, nec vllatenus ei sufficit proprius actus. Istic nanque est compositus, is vero compositus (vt prædictum) nequit intelligere simplicia. Præterea hic anima nihil etiam mundi intellectualis explorare potest, nisi ille, adhuc post descensum affluat ipsi animæ ad actionem, neque eadem substantias quæ prius in illo spiritali orbe inspexerat, potest etiamnum in hoc sensibili pariter attingere? quoniam eius intellectus submergitur, prohibetúrq; à prima speculatione qua iam poticbatur.

*Caput tertium, solutio obiectionum duarum.*

SI forte quispiam dicat, quòd quæ substantia in potentia speculatur aliquid, cãto magis eadem in actu speculabitur illud. Siquidem tunc est firmior validiórque, quoniam actus est perfectio potentię. Respondemus verum esse, quòd actus est perfectio potentiæ, quando ipsa considerat, rem suscipiendo simulacrum eius, tunc enim potentiam suscipientem actus absoluit: seu perficit. Quando autem potentia sufficeret ex seipsa intelligere, & sine receptione simulachri, contemplaretur rem actus, superafferens illi simulacrum impressum, profecto nocet, atque eandem quodammodo corrumpit, præsertim quoniam est fere cõtrarius, & certe



& certe non est conterminus seu connaturalis. Rursus si quis diceret, quòd potentia animæ corrumpetur, quãdo ita sit: quòd ipsa recipiendo perfectionem considerat, sic enim recipit actum: actus autem corrumpit potentiam. Dicemus quòd potentia recipiendo actum non corrumpitur: sed actuatur, perficitúrque. Cuius ratio est, quoniam posteaquam anima reliquit speculationes rerum intellectualium adminiculantium, illi hic adiungitur potentia iugiter laboriosa. Etenim si existens in natura intelligit substantias, non intelligit notitia momentanea, nec absque cogitatione. Quas autem priusquam descenderit res perspiciebat, nequaquam cogitando (siquidem clare intuebatur) cognoscebat.

*Caput quartum, quod anima eadem potentia hic & in orbe intellectuali vtitur, sed non eodem modo.*

PRæterea quando quispiam quęrat quomodo anima existens in hoc orbe, intelligat entia mundi intellectualis, séque dirigat ad illa: an videlicet sola eadem potentia, qua prius cognouerat, an etiam actu quodam superaddito potentiæ. Siquidem opinemur eam speculari res intellectibiles, simili potentia hic sicut illic. (Id falsum est) quoniam anima ibidem existit simplex & soluta: hic autem inuoluta corpori, ac sub potentia sensibili contenta. Si vero anima hic cognoscit actu quodam absque potentia, hoc etiam erroneum est, quia omne cognoscens considerat rem per potentiam propriam, naturalémque, ac inseparabilem. Dicemus itaque animam hic speculari en-

tia intellectibilia: atq; sublimia per eandem potentiam per quam ibi antea existens perspiciebat, præter quòd inexistens corpori indiget alio, per quod consideret abstracta, videlicet actu receptionis, quo formata potentia perspicit illa. Verum animæ in mundo altiore existenti, sola sufficiebat potentia. Neq; enim necessarius erat is actus. In substantiis nanq; intellectiuis supernis, quæ actu speculantur, ipsa potentia est perfectio. In corporalibus vero actus, per quem ad finem peruenitur, perficit potentiam. Cùm ita sit igitur reuertentes dicimus, quòd per quam potentiam anima inspexit essentias intellectibiles supernas ibi conexistens: per eandem prospicit hic subsistens. Siquidem potentia speculans mundum illum, cuiusque operatio est promotio quædam, hic seruit animæ: aliter quàm ibi, quoniam existens illic potitur speculatione facili, hic autem laboriosa. Atq; huiusmodi potẽtia promouetur in singulis viris fœlicibus, illáq; entia nobilia sublimiáq; prospicit. Eadem vtrobiq; existens videlicet illic videns principia prima, absque cogitatione & impressione simulacri recepti, hic vero detectione promotionéque sui, ita q; anima speculatura orbem intellectilem, auferat potentiam suam ab hoc. Sicut enim homo supergressus montem despectat inferiora, quę aliter non poterat. Sic anima scandens, potentia eleuata, mundum supernum, contemplatur illius entia, quæ aliter nequit vtitúrque ascensu hic, quo non vtebatur illic: huiusmodi vero ascensus quidem animæ est operatio, qua ipsa existens hic speculatur essentias orbis superni, atque is ita fit, quòd potentia animæ ascendens,



dens, primum appellit ad cœlum infimum. Dein ab illo ad superius sequens, donec peruenit ad supremum. Sicut in substantiis materialibus à composita magis, progreditur ad compositam minus. Donec omnino relinquat compositam, attingátque simplicem. Rursus quoque anima à cœlo, supremo procedit ad seipsam cognoscendam. Siquidem entia cœlestia, ac supercœlestia vtraque sunt absoluta, & simplicia.

### *Caput quintum, quod anima cœlestis habet memoriam quandam.*

INtellectus ab agente secundarius, hic recolit ea quæ nouerat antea in orbe superno, quare neque etiam mirum quòd idem animus existens supra cœlos, fit memor eorum qnæ vidit ac fecit in regione subteriori: quodq; etiam in cœlis extet memor rerũ cœlestium, abstractarúmq;, quoniã existit firmus, neq; ab illis corporibus, ac formis primis alteratur sapientia ipsius. Si quispiam autem quærat, cùm spheræ cœlestes varientur. Siquidem in pristina dispositione haud permanẽt, num animus respiciat essẽtias ipsarum: scientérq; agat aliquid in illis? Dicemus quod animus cognoscit virtutes cœlorum, & operationes, nec falso, videlicet operationes variari, & virtutes permanere. Etenim si cœli habent rationes (sicut etiam Prisci aiebant) conuenientius erit quòd animus noscat illos, quanquam habitudo eorum mutetur. Quando vero quispiam adhuc ambigens quærat, quonam pacto, animus qui demissus ab orbe intellectuali adest corporibus cœlicis, potest esse memor illius. Si ipse non habuit

memoriam anteaquam descendit ab eodem. Dicimus quòd animus, tum in cælis, tum in orbe intellectuali, habet memoriam. Sed nisi alicui ex corporibus pluribus & diuersis inextiterit, nequaquam operationes eius manifestantur. Neque tamen iccirco remanserunt ei habitus iam diu præteriti, adeo vt penitus, obliuisceretur etiam mundi intellectualis, nisi sufficeret admonitio parua ad eius memoriam. Verum si quisquam obiiciat quòd cum breuitas temporis, paucitásq; generationum satis sit ad memoriam plenam. E contrario igitur longitudo quoq; temporis, multitudoq; generationũ proculdubio faciet ad obliuionem, ita q; cùm generationes reuertãtur circulariter. Animus obliuiscetur cuiuslibet longe præteriti, neque erit memor alicuius iamdiu præcogniti, propter interuallũ à statu primo, dissolutionémq; seu deletionem ex motu cõtinuo. Quapropter etiam animus tunc non erit memor orbis intellectualis. Atque ob distantiam ab illo non aliquid prænotum eius seruabit. Itaque foret similis animæ brutali, id autem est absurdum. Respõdebimus quòd cùm animus descendit à mundo superno ad subteriorem, id est ad ostendendas operationes suas in materia, non oportet ipsam peruenire vsque ad infimum, sed enim ad definitum locum se transfert ibique subsistit: neque aptatur cuilibet generationi, sed in quadam desistit, donec iussus retrocedat, digressúsque inde ascendat regionem altiorem quàm generationi cuiquam conueniat, vbi primũ extitit. Ideo licet dicere quòd animos huiusmodi non lateat ens mundi supernì (sicut præfati sumus.)

*Caput*



*Caput sextum, quod animus cælestis non habet memoriam qualem humanus.*

EXplorandum an solaris animus lunarísq;, stellarísve alius, sed & orbis cælestis habeat memoriam. Dein etiam inquirendum an virtus animi vniuersalis, ac postea ipsius stellaris animi principalis, quæ planetæ Iouialis est, vtatur memoria, quod cùm fecerimus inueniemus intellectus ab agente secundarij, animiq; stellaris memorias esse differentes. Exordientes igitur dicimus, quòd animi stellarum non indigent terrestrium cognitione. Sicut animi mundo inferiori inexistentes. Siquidem ab iis eam non acquirunt. Quare non indigent memoria terrestrium cum discursu. Talis enim est adminiculo vtenti, quali animi stellares non indigent ad gubernationem terrestriũ & directionem hominum. Siquidem illi sunt memores terrenorum alia ratione, non enim discursu, sed solum virtute quam ei indidit autor primus. Verum si quisquam obiiciat quòd cùm animi stellares speculentur mundum intellectualem supernum, autorémque eius. Impossibile sit quòd non reminiscantur illius quod prius cognouerint, quapropter habebũt memoriã aliquam. Dicemus quòd animi stellares perspiciunt mundum intellectualem, autorémq; semper, atq; coram. Nec enim vnquã obtusum subterfugit, ad manifesta autem euidentiáque, in promptu non est opus memoria syllogistica: cum hæc memoria non sit: nisi repræsentatio absentantis, immanifestíque. Rursus si aliquis quærat, vtrum animus stellaris, cùm orbis inferior sit absens, occultúsque vta-

tur saltem memoria huius. Dicimus quòd cùm aliquid cõtinet habitum cogitationis alicuius rei. Dein amittit, (ea subterfugiente aspectum) susci pit impressionem quandam. Animi autem stellares non suscipiunt impressionem, neque vnquam spoliantur contemplatione orbis infimi. Porrò siquis iterum quærat, vtrum animi stellares agnoscant se conspexisse terram vniuersam, die, vel mense, annóve præterito, aut cognoscant se vixisse eodem præ tempore. Etenim si ita nequaquam noscant, proculdubio carent memoria. Dicimus quòd animi stellares semper cognoscunt se circumambire terram, ac viuere, perpetuum autem inuariatúmq; non transfertur. Dies autem præteritus, mensísve aut annus & similia tempora, sunt termini recessionis, quare ens firmum nõ est hesternum: alitérve præteritum, sed idem semper. Animus vero humanus cum motu constituit diem, mensem, annúmq; præteritum. Sicutque aliquis figens vestigium, imponit pedem vnú multis soli partibus, sic motus stellæ vnus apud animam suam diuiditur à nobis in multas partes: tempus autẽ dinumeratur in dies, quoniam ipsi luci succedit nox, alioquin non differrent tempus præteritum, præsens, ac futurum. Sicut etiam gutta (quanuis eadem sit) vnico ictu oculi in toto descensu, tamẽ apud conspicientem prius extitit supernæ, dein medio, postea inferne: ita quoque præteritum præsens, ac futurum inter se discernuntur à nobis quo ad nos (iuxta motus inferiores) successionem & subsequelam, prioritate posterioritatéque partium quarundã, in mũdo autẽ cœlesti dies est vnicus (nec enim nox comitatur lucem vt hic)



hic) attamen ibi dimensiones orbium sunt diuersæ, neq; omnes partes sunt similares. Circulus namq; Zodiacus differret ab aliis, quare nõ cõtingit quòd animus stellaris existens in vno signo, disiunctus transgrediatur ad aliud. Siquidem est substantia fixa in eo, non trãslatilis nisi ab orbe subiecto circumducto transferente. Neq; enim stellæ sunt in sphera vnica omnes. vnde etiam motus illarum sunt differentes. Porrò siquis adhuc dicat quòd animæ stellaris desuper prospectãt homines, quo modo enim aliter verterent curam ad mundum inferiorem: & qua ratione hic entia inuicem transmutarentur, alterarentúrve, cùm verò animi stellares prospectent homines, impossibile est quòd nõ sint illorum memores. Si autem sint memores habent memoriã. Dicimus quòd sicut non oportet hominẽ vti memoria ad rem ipsam coram conspectam sine excitamento cogitatiuæ, sed vt cognoscit simpliciter, ac promptè accidentia, propter manifestum eorum sensui occursum. Ita minimè conuenit quòd animi stellares cognoscant obuia simpliciter, ratione particulari (qualis memoria) relicta vniuersali, nisi cognoscant tanquam singulare sub specie. Quod autem quidpiam memoria non cognoscatur. Ex plurib⁹ contingit: aut enim quia à cognoscente nihili fit, vt res nullius vsus. Ideoque spectrum eius impressum sensui, anima non reponit thecæ corporis. i. memonæ corporali. aut quia cùm sit præsenter inspectum, ob idque nullum sit obstaculum, vt simulacrum habeat, quo-ve minus obiectum comprehendatur, non indiget cogitatione, seruandum recondi: sicut præteritum,

vt si sublimes à terra transierimus aëris spacium aliquod non meminimus quotam partem transierimus: aut quia ignoramus, quare nequimus seruare, aut quia non indigemus rescire, ideo quoque volumus seruare, quando autem non seruamus cogitatione, nequaquam meminimus. Præterea sicut cum mouemur, non semper meminimus nos moueri, ita cum scimus aliquid, in aliquo tempore non coniungimus notitiam tempori, vt discentes aliquid contingens quopiam mense, vel anno, non oportet meminerimus, mensis, vel anni, vel alterius successus temporarij. Satis enim existit tantum noscere rem ipsam. Amplius causa operans aliquid. Perpetuò, nullatenus indiget seruare notitiam eius. Quare neque memoria agnoscere. Sic autem animi stellares se habent. Postremò cum animi stellares moueantur, nihilosecius digressi à signo Zodiaci vbi existunt ad aliud, non oportet recognoscant per quæ signa moueantur, quantúmque spacij distando percurrerint, siquidem accidenter dislongantur, non autem secundum intentionem, qua circunferuntur ab honorabiliore vi præfixa, ideóque incessabiliter.

* *
*

LIBER



# LIBER DECIMVS.

*Caput primum. Quod Deus est summè perfectus, influxúsque eius in primo creato est infinitus, in reliquis finitus.*

AVtor primus est gloria supremus, quatenus est perfectione summus; talis quoq; existit: quoniã perficit quodlibet aliud perfectibile, perficit autem, quia omne illud efficit, idque. Siquidem creat omnia principia essentiæ cuiuslibet entis, vtpote actor vniuersi, ac vtriusque mundi, decenter vero primitus infundit vitam, & potentiam ac dignitatem singulis influens pro gradus capacitate. Vnde ens illi propinquius: est capacius. Tale enimuero omnium, primum suscipiens est illi propinquissimum dignitate substantiæ, perpetuitatéque constantiæ: quod medium inter autorem primum, productáq; cætera existens: ante illa suscipit influxũ vitæ, ac dignitatis, quẽ deinde infundit. Reliquis subterioribus. Hoc namque creatum primarium continet lumen robúrq; veritatis maximum, in essentia spiritali, simplici, absolutáque. Et quòd infrà subsequitur, roboris, honorisque gradu. Existit luminis pancioris propinquioríque corporalitati perfectæ, cõpositioníq; veræ. Atq; hoc primum subexistens soli formæ primæ est contiguum verbo eius. vtpote substantia præ omnibus sub reliquis perfectissima, influxúsque perfectionis in eo receptus: est infinitus, tranimissus autem, (quòd lumẽ possibile

appetitus perpetuitatis, ad creatū subterſequēn tem, intellectum ſecundum ) eſt finitus. quoniam primum creatum paulatim influit intellectui ſecundo, ne turbetur ipſe, lumen autem ne diffluat cuius infuſio eſt excitabilium deſiderij æternitatis, in ſubſtantia qualibet ſpiritali pro eius imitatu, interruptio autem eſt cauſa deſitus ſeu corruptionis vniuerſi. Huiuſmodi verò lumen quanuis ſit feruidū, magnúmq; ac ſublime, haud tamē eſt par: imi tamen vnitatis atq; verbi creatoris ſui qui exiſtit infinitus ideóque influxus eius optimus in vniuerſum eſt perpetuus indefectiliſſque & independens aliunde, ſed & cauſa omnibus appetendi ipſummet ens primum.

*Caput ſecundum: quo modo Deus eſt prior aliis entibus, quique eſt ordo entium.*

DEus eſt ens primum, ſed enim prioritate creationis, ſiquidem cum ſubſtantię quędam ſint priores aliis, vt ſimplex, compoſita, ac intellectus agens anima, non ſunt tales prioritate temporaria, ſed ( vti nos accepimus ) prioritate eſſentiæ ac naturæ: qualis eſt generis ad ſpecies, quòd verò aliquid ſit prius altero, nec tamen tempore. Ratio eſt, quomodo enim quædam priora ſunt talia tempore, cum ſint ſupra tempus, & cauſa temporis. Et iam quidem probatum, quòd vnum non dicitur prius tempore altero, niſi ambo ſint ſub tempore contenta: atq; vnum extiterit in tempore priore quàm alterum. Primaria igitur ſimpliciter inter eſſentias exiſtit més, quę iccirco dicitur princeps, quanquā eſt idem quod verbū Dei



Dei, ac ſuppoſitum formæ primæ, continens (vt genus ſummum) omnes ſubſtantias illuſtres: abſolutas, & puras. Illi ſuccedit intellectus comparatu ad mentem illam ſecundarius (qui eſt velut ſpecies eius, conſtituítq; ſubiectū ſuum, cui etiā eſt forma appropriata, atq; huic ineſt lumē ab intellectuali radice, vt criſtallo, radius à ſole reflexus. adhucque ab iſto procedit eſſentia animæ rationalis, cuius lumen etiā paucius eſt ſimile matutino crepuſculo. Iccirco ei contingit obliuio & ignorantia, vnde fit vt indigeat doctrinaria eruditione, memoriáque ſeruatrice, ac ratiocinio, ad ſuæ fulcimentum, directionémque eſſentiæ. Rurſus ex lumine rationalis animæ, oritur natura animæ ſenſitiuæ: quæ etiam exiſtit minoris luminis quàm illa, quapropter caret exploratione ſyllogiſtica, eſt tamen, tantúmque imaginatrix & exiſtimatrix. Amplius, ex huius lumine profluit natura animæ plantariæ, quæ quoniam multum diſtat à luce pura, abſolutáque remanet craſſa, priuatáq; vi progrediendi: ac reſpirandi. Solámq; retinet pullulationem. Præterea, ex huius lumine fit natura, quæ adhuc propter interuallum à luce principali, priuata tenuitate incorporea, ſuſcipit craſſitudinem corporalem, ac quantitatem trimenſilem, videlicet, longitudinis, latitudinis, ac profunditatis, mouetúrque aliquo motu, videlicet circulari, ſimplici, & inceſſabili, qualis cæleſtis, talis ab autore inſtitutus, propter generationem, corruptionémque ſubinde continuandam. Mouetur item motu vniformi, incontrarióq; alteri, & cum cœlum ſit contentorium, generabilium, naturalium, ſeruans ſingula pro condi-

tione formarum in compositis. Siquidé à motu proprio peruerteretur, deficerét illa omnia. Porrò ab hac natura cæli circumlatili, procedit natura multiformis, & multimobilis inferior, cuius motuum inter se contrarietas, est causa generationis, corruptionisque.

*Caput tertium, quòd mundus intellectualis influit cœlesti. cœlestis autem sublunari, & quo modo.*

NAtura mundi spiritalis imponit ordinẽ, corporeæ perpetuo circumlatæ, cuius orbes seruant succedaneam alterationẽ inferiorum per influentiam latentem à verbo Dei, & consequenter generationem: corruptionémq; atque ita motibus iugiter succedentibus illinuntur genita coloribus spiritalibus, in singulis speciebus & indiuiduis ad persistẽdum suo tempore, similariáque vniendum. Natura enimuero cælestis mouet corpora inferioris mundi cõposita, elementariáq; & generabilia ac sensibilia, à concauo ad centrum, per essentias supernas, spiritales ac pendentes ab intellectu primate, perpetuáq;, sed & virtute à Deo per verbum eis insita. Ideo autem hæ substãtiæ sunt simplices, excelsę, constantérq; existentes, quoniam causa illarum est firma, vtpote immediata verbo Dei, vnde etiam sunt inalterabiles: alioquin minime forent æquales, ac rectæ. Cum intellectus namque sit in essentia perfectus, oportet etiam opus eius esse absolutum, quando ipse (ob id quod est proximus verbo Dei,) Ex consequenti assiduam quoque, ac infinitam virtutis summit immissionem, non indiget alio coagente, influxus autem (vt prædictum) in alias subcausas ad amandum Deum est finitus, ne recipiendo turbentur. Intérque istas, quanuis substantiæ corporales generabilésque valde deficiant in illius susceptione, tamen ipsæ intellectus iuuat huiusmodi causas infimas, sicut patet in aquis ex quibus, oportuno tempore gignitur magis vnum animal, quàm aliud.



*Caput quartum. Quod solus Deus est autor verus animæ rationalis.*

NAtura qualis plantarum, brutorum, mineraliúmque, est opus animæ rationalis dissimiliter factum ab ea, quam ipsa fit opus intellectus agentis factum ab eodem. Quoniam intellectus non agit vere huiusmodi animam. Siquidem omne agens verè producit elementum rei substantiam, subiectam formæ: & formam seruatricem elementi. Intellectus autem non agit elementum neque formã animæ. Quare intellectus non est agens vere animam, quanuis sit medium iter agens ipsius primum, ac sit agens vltimum quod est proximum. Primum autem est Deus, qui est agens verum. Siquidem agit essentiam, cùm ipse sit essentia vera. Atque impossibile est, quòd aliquid producatur ab aliquo sine illo.

*Caput quintum, quòd tres sunt illuminationis animæ gradus, & quales.*

CVm omne lumen propaget alterum, primum quidé est perfectius postremo: medium est particeps vtriusque extremi. Porrò conuenit etiam lumini quod propagatum est

est insitúmq; intellectui secundo, habere tres gradus, videlicet supremum proximum verbo: quod vere appellatur lumen absolutũ. & mundus lumineus, gradum quoque alterum infimum, itémq; alium mediũ. Iccirco etiam cum ex animabus quædam hauriat lumen gradus supremi, spiritus eius accedit ad illius perfectionẽ, adsimilaturq; spiritibus dæmonicis. attingítque consideratu veritates, speculans in diuinitate creatoris. Operatio etenim ab hoc intellectu, rationis verę, actionísq; probę, prouenit ex coniunctione eius cum intellectu puro, absolutóque: qui existit proximus verbo perfectissimo autoris supremi omnium perfectione, ac puritate, opus proximum. Siquidem perfectioni ipsi, est etiam perfectum. Huiusmodi autem verbum continet ipsum intellectum primatem nobilem, nequaquam sibi cognominem, siue vniuocum. Animabus vero in gradu infimo constitutis, distantibúsque ab intellectu primate, contingit ignorantia, error, obliuio, incertitudo, exorbitatio, atque corruptio. Mediæ autem animæ participarũt vtrunque extremum, illiúdque magis, ad quod magis declinarunt. Sic quoque se habent anima: sensitiua, vegetatrix, ac mineraria. harum (secundum trifariam) vnaquæque species: graduum differentiam.

*Caput sextum, quod intellectus est simulacrum Dei, anima autem est simulacrum intellectus tanquam verbum expressum eius.*

CVm simplicitas compositióque substãtiarum existat maior minór ve pro ratione distantiæ,



distantiæ, propinquitatísve ad verbum diuinum, ex consequenti quodlibet creatum, prius est, verius in simplicitate spiritali, absoluta: vt pote propinquius illi, quod autem est distantius, existit minoris simplicitatis, propinquiorísque ad corporalitatem meritam. Sic luminis influxus quoque inexistit cunctis, pro capacitate singulorum: iuxta gradus præscriptos, vnde quod est capacius, est propinquius: vt recipiens primum, fit proximum propter dignitatem essentiæ, mediúmq; inter Deum, & cætera entia à se producta: quòd recipit influxũ vitæ ab ipso, receptúmq; alteri subexistenti. Deus infundit (quo est perfectius) eum, quoniã existit prius illo perfectius, tum quia extat imitamen primum Dei: per quod gradus eius ostenditur. Ita etiam intellectus decenter influit animę, quoniam ipsa est eius simulacrum factum, sicut verbum expressum. Operatio quoq; vniuersa animæ profluit in alia super adiuta ab intellectu vniuersali, qui se habet ad ipsam animam, sicut ignis ad caliditatem ab eo ortam. alterámque in alio susceptam, quam intellectus producit: attamen absque cuiusdã potentiæ suæ ex traductione.

*Caput septimum, quod anima rationalis producit sensualem, quodque indiget eo, & quo modo, ac quòd illi vnitur.*

ANima intellectualis existẽs in hoc minori mundo, intelligit per cogitationẽ, quoniã intellectus eius deriuatus à primo, deficit: extátque materialis. i. potentialis. Atque intellectus quidem perficit animam rationalem, cum

eam producat. Sicut pater filium. Talis autem anima perficit animam sensualem, quoniam producit eam, qua (vice versa) quoque indiget, quando anima rationalis excitatur à sensitiua: ad speculandum principia, sine qua minime dirigeretur ad aliquod illorum, neq; itē formaretur specie quapiam rerum, neq; ex consequio foret apta susscipere vniuersalia ab intellectu agente primo, quod autem anima rationalis vniatur sensitiuæ, hinc patet, quoniā alioquin non assentiretur affectibus, delitiisq; naturalibus: neque appeteret victoriam, dominiúmque, non indigeret disciplina eruditoria, & nequaquam affectaret gloriam, non oblectaretur, harmonia: corporalíque pulchritudine, haud etiam foret prona in naturā humanitatis, neq; cōciperet speciem eleuationis, gaudiúmque euasionis. Minime prosequeretur commoda corporis, vt salutem, indolentiámq;, at solam haberet rationalitatem, exquidem operationes illi contingunt ex cōmunione cum anima sensitiua, quæ tamen est purior, ac eleuatior supra qualitates naturales, quales sunt visibiles, gustabiles, tactiléq;, & reliqua sensibiles. Quibus profecto si non vniretur, nequaquam famescens appeteret saturitatem, nec laborans quietem, neq; ægrotans sanitatem, nec concupiscens coitum. & paria cætera. Rursus anima rationalis absq; sensitiua foret proculdubio, adsimilis substantiis spiritalibus, quæ certe non cognoscunt, prædictarum vllam qualitatum. Expertum enimuero est, hominē sentire illas qualitates, ac explorare, sicut vice versa anima rationalis non cognoscit vere statum substantiarum illarum, delitiásque intelle-



ctuales spirituum nisi ratione exemplari atque cogitatu imaginario ad seipsam dirigendam.

### *Caput octauum, De intellectu agente, qualis & quo modo se habeat ad possibilem.*

INtellectus agens influit animæ rationali. Siquidem existit lumen eius: quod vniuerso mundo expansum, dirigit alia entia, seruátque omnia, quæ per sinceritatem accedunt ad eius essentiam, per immundiciam autem, recedunt ab eadem, quandoquidem intellectus primus post mentem principem, vna cum intellectu materiali, qui est substantia nostra, influit mundo. Siquidem illius agentis essentia est supra naturam istius possibilis, atque intellectus agens amat possibilem seu naturalem, vt præceptor discipulum, aut pater vnigenitum: aut veluti mas fœminam. Quoniam nullum aliud ens est aptum susscipere actionem eius perfectam, nisi intellectus materialis, qua propter intellectus primus iuuando, vergit penitus ad eum, quem seruat tanquam opus proprium supra alias substantias, quæ sigillatim admittunt influxum eius agentis, secundum puritatem, impuritatémque essentiæ propriæ, nec perfectum. Anima autem rationalis quæ est intellectus secundus ab agente. id est possibilis, non est ex harum numero. Iccirco quoque intellectus prior vnitus illam seruat, regit, illustrátque.

### *Caput nonum. De intell. poss. quo modo vniatur animæ sensitiuæ, ac intel. agenti.*

INtellectus secundus ab agente qui est possibilis, minime valet ex se depurare formas naturales: easque reducere in essentiam suam rationemque vniuersalem, absque excitatione animæ sensualis quæ est nobilior qualitatibus corporeis, quam siquidem intellectus secundus prædictus amanter complectitur, euasit imaginatiuus: ac pronus in eam seruat. quapropter etiam anima sensitiua hominis vice versa appetit subiungi intellectui materiali, illóque indui. Siquidem nihil posteritatis existentiæque constantis adsequitur, nisi per influentiam illuminationemque ab eo receptam, sed habet per illum, adminiculum fulciendi permanentiam suę essentiæ. Intellectus igitur possibilis & anima sensitiua hominis sese mutuo (propter vtriusque indigentiam) diligunt, simulque vnione substantiali coniunguntur, qua perficitur existentia hominis, & gradus constituitur. Ita quoque se habent, intellectus agens, & anima rationalis sese inuicem optantes pro ratione, qua vniuntur ac fiunt substantia fere vna.

*Caput decimum. Quod forma corporis duplex, quodque intellectus agens regit possibilem, possibilis autem animam sensualem.*

PRobatum est ante hac quod forma corporis est bimoda quædam videlicet existens per se, quædam corpori inhærens, vt forma artificiaria, item vegetatiua, & quælibet alia accidentaria, verbi gratia albedo, nigredo. quæ non subsistit, sed materiæ inexistit, atque huius generis quædam species permanet actu in formis



formis omnibus intellectiuis, quales radij luminis, qui inherentes corpori illuminato, persistunt in anima agentis. quod cum ita sit anima igitur sensualis (si bruti sit) permanet in ipso corpore viuido, & si hominis, prius quidem permanet in corpore viuido, postea vero etiam in agente, quapropter cum morte corpus defecerit. anima quoque vegetatrix sensualisque cessabit, perseuerabit autem intellectus possibilis, qui illi adfuit, seruatus ab agente, qui dein intellectus agens seruatus à Deo (cuius verbo est proximus) consistet. quapropter intellectus agens amat: regitque possibilem, possibilis autem animam sensitiuam, vt pater filium, & doctor discipulum, & ad id vterque indiget recepto influxu à luce & vita æterna, ac superna. Porro intellectus agens perficit animam rationalem quoniam produxit illam, anima autem rationalis perficit sensualem, quatenus perducit eam ad absolutionem, vice versa excitatur ab ea ad scientiam sensibilium, promoueturque ad sapientiam intelligibilium, pro modo recipiendi ab intellectu agente, ac primario. Idcirco cum anima reuersa ad essentiam suam, perspexerit intellectum agentem, eius operationes sunt illi conuenientes, neque tamen omnes, siquidem humanæ actiones non nisi propriæ: probæque intellectui agenti adscribuntur, reliquæ vero ignobiles ac improbæ in animam sensitiuam referuntur vtpote ipsi accidentes, non intellectrici.

*Caput vndecimum. Quod intellectus agens est proximus Deo intellectuique possibili & quod Deus continet in se verbum, item quo modo Deus intelligitur.*

INtellectus agens nobilitat animam rationalem, siquidem cum producat eam nunquam etiam separatur ab eadem, vtpote immediatus illi: sicut verbo diuino inter quod & ipsum si foret medium, deficeret ob distantiam à verbo illo, neque existeret satis perfectum, ad continendas in essentia cunctas scientias, siquidem si contingeret intercidere medium vnum eadem ratione, ex consequenti contingeret quoque intercidere media plura. quod si foret, lumen dignitasque intellectus agentis diminueretur, augereturque crassitudo, quale est impossibile, cum sit nobilissimus omnium substantiarum creatarum. Essentia porro diuina nunquam separatur nullatenus à verbo concepto, sed enim est ens ipsum, quoniam continet omnem scientiam. Anima rationalis autem est aliquo modo intellectus agens, conuenitque illi cum sit ab eo producta. neque item separatur ab eodem, quoniam est illi proxima, comitaturque ipsum intellectum agentem, illiúsque formam respicit vt subgradus intellectualis. hic autem intellectus materialis est valde honorabilis: quoniam est simplex ac spiritalis, quo attamen intellectus agens secundarius à mente primaria (vt prædictum) est simplicior continetque eum, atque exercet in eodem mirandas operationes ope mentis siue intellectus principis. Qui cito etiam intelligitur ab intellectu possibili perspiciente mundum sensibilem, ac præsertim eius gradum optimum, huiusque motum perpetuum, simplicémque tum occultum: tum manifestum ab ipso intellectu primario prouenientem. Siquidem cum homo explorauerit entia mundi inferioris, speculatus



speculatus aerem: plantas, animalia & reliqua, ascenderitque ad mundum supernum verum: introspiciens spiritus inexistentes, intellectiuos, perpetuos: vita optima, puráque tales refertos, ac graduque suo omnes contentos atq; feruore etiam ardoreque propter illuminationem à luce primaria, maxime autem in eo intellectum nobiliorem superioremque aliis, atque administrantem sapientiæ suæ, virtutis inditæ ab autore mundi vtriusque inenarrabilis, intellectus in quam possibilis contemplatione attingit principem horum omnium, mentem.

### *Caput duodecimum. Quod vniuersus mundus est perfectus, & ex consequenti qualis sit eius autor primus.*

MVndus vniuersus continet omnia, neque aliquid superius addet quicquam, siquidem est summè perfectus, tale ens autem non admittit additionem in primis, etenim additamentum (si quod fieret mundo vniuerso) esset ens naturale aut non, non autem ens naturale, natura siquidem existit vniuersitas mundi. Quo modo autem potest iam prius contentum adiici continenti? Item cum omne cadens sub possibilitatem naturæ, cadat etiam sub actiuitatem agentis alicuius, neque autè in mundo vniuerso quoddam aliud agit sine primo autore creante intellectum agentem. Sequitur vt quodlibet possibile fit à Deo effectibile. Quapropter huiusmodi additamentum aut est necessarium mundo, aut non, & siquidem fit necessarium, illo autem careat mundus, is erit defectus. At agens sapiens non facit opus de-

fectum. quod si additamentum non sit necessarium : si apponatur, igitur erit superfluum. Autori primo autem non est adscribenda superflua actio, neque deficiens potentia. Rursus huiusmodi additamentum, aut est pars mundi: aut non, si nanque existit pars mundi, non est extra mundum, iam enim firmata est demonstratio quod nihil est extra mundum, quodque omnia sunt in eo contenta. quod si illud sit extra mundum, aut est creatum : aut increatum, & si quidem existat creatum, iam quoque existit pars mundi. Ex consequio igitur non extrarium, si vero sit increatum, continget quod qua ratione illud est increatum. quod vniuersus mundus posset absque creatione existere. Quod si ad primam diuisionem dicat illud additamentum esse non ens naturale, quo modo id contingit? cum non ens naturale non sit possibile quando quidem omne aliud possibile est ens tale. Et videmus totum esse non à nullo agente. Propterea quod aliquid est prius illo. Etenim si contingeret aliquid produci à nullo agente, etiam tanto magis contingeret vniuersum mundum existere à nullo. Iam vero sublatum est, quod aliquid possit à nullo produci. Siquidem existentia cu iuslibet producti est ab alio. Quapropter colligimus impossibile fore. quod mundus vniuersus additamentum suscipiat. Neque est imaginabile aliquam substantiam existere quam intellectus princeps non contineat. Iam autem antea probauimus, quod autor primus est sapiens ac potens, is autem non prohibetur producere aliquid. Siquidem cum sit sapiens, repellit insciti am. Quam sit potens lassitudinem



nem non patitur, cum etiam sit liberalis, inuidia, auariciáve non retinetur. vnde nihil omnino impedimenti obstat, quo minus producat, quicquid produci contingit boni quod tamen libeat. Neque adhuc enim longitudo temporis turbat, neque dispositio quæpiam alia ad id deest.

*Caput decimumtertium. Quale sit verbum conceptum seu mens diuina.*

AVtor primarius vniuersi mundi creauit ipsum, nequaquam vltra præscriptum sapientiæ mentis : bonitatemque ac potestatem suam. vt qui continet in essentia substantias partiarias eius, perficitque ac eisdem influit. Siquidem existit infinitus simplicitate sua, neque in se caret potẽtia, quamuis influxus eius in animam sit finitus, nec enim quicquam suscipiens ab eo influentiam, est imitamen par eius substantiæ comparatu ad verbum creans, quod est vnum cum ea, productumque absolutum ac præceptum illius bonitasque & voluntas, quod item produxit omnia crassa sensibilia, & omnia subtilia intelligibilia. Quodlibet enim quod sit imaginabile formari ab intellectu principe, est etiam productum ab eo. Neque vero præceptum huiusmodi intellectus principis conceptum est terminatum, nec alterationi, variationique idoneum. Sed enim omnes essentias subexistentes substantia sua seruat. atque harum alias ab intellectu medio, à se tamen expressas secũdum imitationem ad ipsum. Non etiã vtitur imaginatione nec cogitatione tale verbum. hoc enim non cõpetit autori ipsi primario, quapropter etiã verbo eius minime conuenit. æqualia siquidẽ vni alteri

sunt æqualia inter se. vt lineę egressæ à centro ad circunferentiam. alioquin æqualia forent inæqualia. Quapropter cum rerum etiam quædam sint compositæ, vt sensibiles nactæ qualitates, verbi gratia colores, sonos, odores, sapores tactilesque, tum corpora superiora vt cælestia, tum inferiora vt terrestria verbi gratia plantæ: & bruta, ac homines, quorum quodlibet totum est maius sua parte. Mouetur que & quorum aliquis motus (vt cæli) non habet contrarium, alius autem (vt elementorum) habet contrarium, siquidem vnus impedit alterum. Et anima rationalis quidem est substantia mobilis motu spiritali. Illitaque coloribus spiritualibus, quos ei immittit intellectus supernus, ipsa autem dein transmittit reliquis entibus subterioribus à se expressis, comprensisque per cogitationem, essentia autem veri producti, est abstracta ab omnibus aliis quod intellectus ipse princeps testatur, si nanque conueniret in aliquo speciei creatæ expressæque, illi etiam conueniret autor ipse mensque princeps, qui est consubstantia eius, nec enim est aliud qui ab eo, id autem non est. Quod si velis manifestius, specta an quicquam sit prius Deo, in quo mens tua sistere possit, an ve quæpiam altera essentia, adiungatur ascendatque similis in substantia ad eum, & quoniam id non contingit, ablataque sunt ab eo circumpendentia, non poteris comparare, coniungere ve essentiam illius cum alia, quæ vere referat eam. Siquidem omnes essentiæ formatæ creatæque ab intellectu diuino sunt posteriores illo, ab illisque omnibus is est abstractus, produxitque mentem sui primariam, imposuitque illi



illi quaslibet entitates sub ratione qua ipsæ considerantur. à qua oriuntur omnes formæ differentes, sicut entia ab essentia: & formantur creaturæ: terminanturque naturæ. vt species progenerentur. Quare cum omnis essentia comparata alteri sit aut superior priorque, aut inferior posteriorque, itemque aut abstractior aut concretior illa, non sit autem aliqua essentia prior, superiorve aut abstractior autore primo, sequitur quod idem non habeat rem aliquam exteriorem, quæ possit eum pariter repræsentare, siquidem inferiores siue hæ infimæ, siue illæ superiores, non attingunt prędictam mentem eius, sub ea ratione, qua ipse seuit perficitque illam.

### *Caput quartumdecimum. Qualis sit orbis supernus.*

MVndus diuinus est absolutissimus omnium, quoniam habet numen copiosum profluensque in inferiorem, continetque in seipso omnes substantias perpetuas nunquam desituras: nullatenusque perituras, vtpote intelligentias, animasque omnes. Atque existit in motus in summa pulchritudine. & dominans aliis rebus, non indiget motu exterius quicquam afferente, siquidem cuncta amplectitur, neque potest alium de pati, nec enim exstat, agens à quo perfectioneni additamentumque suscipiat. Existit item purus, quoniam non habet partem, quæ non intelligat, & ea quam habet intelligit ex se, non per explorationem, quandoquidem principatus eius (vt cæterę dignitates) est æternus, vt essentialis, non temporarius, vt accidentarius, tempora-

rium, siquidem non existit æternum. Tu vero speculaturus mundum illum honorabilem, eiusque substantias nobiles, contemplationem dirige sequutus ipsam, nec in primis gradibus subsiste, sed perge adhuc relicto sensu, capiens intellectum, siquidem sensus solus nosceit singularia vt hunc equum, intellectus autem scit etiam vniuersalia, vt equum simpliciter, & sic aliam quamlibet speciem, neque tantum species sed etiam genera, atque vniuersalia talia aut primo aut ratiocinio per sensum excitante hic intellectum: qui in orbe dein superno cõtemplatur clare, quoniam eius essentiæ sunt æternæ, stabiles, semper præsentes, inerrantes: inalterabiles immutabiles omnino. Eædem intelligentes & intellectæ, nec dissentientes, amatæ item & amantes, non enim intellectus intelligit quin adsit amor: quod si tres adsint, intellectus, intelligens, essentiaque intellecta, & amor consequens, oportet addere motum, & quietem, motum autem quoniam intellectus intelligit cum motu, qui est non transgressio sed perfectio aptatioque, nec enim'asta tu pristino euertit. vt amor enim vero comitatur intelligentem, quoniam si intellectus illo spolietur fiet solitarius, silentiosusque nihil comprendens. Siquidem oportet intellectam rem aptari intellectui per amorem.

*Caput quintumdecimum. Quod vterque mundus existit per Deum parendoque illi seruatur, quique sit ordo inter intellectum, principem, agentem, ac possibilem. quod etiam verbum est duplex, videlicet conceptum & expressum.*

Nihil



Nihil vtriusque orbis existit absque autore primario, neque vniuersi entia subiiciuntur nisi ipsi, atque illi propter dominationem, seruationemque. Intellectus vero possibilis est infimus aliorum intellectuum apud Deum, perque illum nos intelligimus entia. ille autem non intelligit sine autore suo, sed & non intelligit eum per spectrum repræsentans, verum per sui speculationem, intelligendo enim se ipsum, intelligit consequenter autorem suũ, quatenus viuit, non tamen quatenus est. Idcirco etiam intellectus ob istum essentię gradum est perpetuus, feruens, siue ardens, humilis, tranquillus, ac fortis, propterque assiduum influxum ab autore primo maiestatemque diuinitatis. eius sese illi submittit iugiter. à cuius dominatione si mundi declinarent, cõrumperentur, siquidem sunt ab ipso, & quicquid eis inest, consistit per ipsum præcipue si subiectionem illi præstiterint, intellectus agens videlicet, ac cœli substantias intellectiuas continentes, is intellectus siquidem post diuinum primus inest animæ rationali, animaque illi coniungitur iuxta periodum, quibus coniunctus fit vnum amore ac gaudio incomparabili. Quod si anima separetur ab intellectu isto, sequitur eam corruptio. Coniungitur porro anima intellectui agenti, quoniam existit ab ipso, sicut ipse intellectus agens à verbo diuino, cui iunctus continue, perseuerat quoque continue. siquidem tale verbum non format immediate nisi intellectum, neque intellectus formatur nisi à verbo. Intellectus vero agens est proximus verbo diuino, quoniam non potest cogitari quicquam prius intellectu agente

propinquius ipsi verbo, qui etiam propter imitationem quandam autoris appellatur verbum abstrahens, quoniam anima per eum potest abstrahendo depurare qualitates sensibiles. Si vero inter autorem primum, intellectumque agentem foret substantia quæpiam media illa esset superior: nobiliorque ac illustrior proculdubio intellectu ipso, cuius contrarium fuit probatum, ideo quoque intellectus agens dicitur verbum creatum autoris primarij, quoniam speculando ipse autor semetipsum exformat tale verbum, contemplando autem creata minime nouat aliquid vlterius, essentiæ porro omnium creaturarum insunt substantiæ autoris primi, quoniam non intelligitur aliquid præter essentiam ipsius. Et si foret verbum creatum prius intellectu primario, esset quoque perfectius eodem, at quo modo id fiet? quando iam probauimus quod intellectus primarius existens verbum primũ, creauit verbum extractum, soluisque id egit. Dicitur & enim verbum quoddam prius ordine, perfectius item puriusque comparatu alterius inferioris. Et quo modo etiam continget vt quodpiam verbum creatum sit perfectius intellectu agente, cum enim tali intellectui inesset defectus, qua ratione posset sincere speculari autorem suum? in quem si forte ignoret nihil aliud poterit discere, quoniam omne intellectum per ipsum intellectum principem intelligitur. Præterea si verbum creatum foret perfectius intellectu agente, is non foret causa necessaria inter autorem primum & creata, quod est falsum. Quare intellectus agens est perfectior ac prior omnibus, sub creatis, impossibile



possibileque est imaginari quicquã aliud creatum perfectius. Inter intellectum siquidem secundum ab agente, qui est anima rationalis, autoremque primum, est medium imaginabile, intellectus videlicet ipse agens. quoniam intellectus ab eo secundus, est primum mobile admittendo, recipiendoque. Idcirco etiam constitutus est medius inter intellectum agentem primum, & naturam ignobilem corporalemque ac trimensilem. sed & tres potentias complexus, scilicet vegetatiuam sensitiuam, atque intellectiuam. & cum is intellectus secundus speculatur ens ipsum vnum (quod contingit ex gratia primi) est vnus, cum autem reuertus ad se, quatenus est medius inter duos orbes, videt seipsum, sequitur vnum, munduque inferior naturalis: corporeusq; ipsum subsequit.

*Caput decimum sextum. Epilogus prædictorum.*

IAm probatum est igitur quod inter autorem verum: & naturam sunt media plura, quorum intellectus agens est primum: & anima rationalis secundum: anima autem sensualis tertium. Atque intellectus primus post diuinum iungitur verbo eius vnione inexcogitabili, proximus eidem, itaque ambo sunt vnũ, neque tamen vnio ipsorum est qualis intellectus primi agentis, ac secundi possibilis, quoniam intellectus is secundus ab agente, quamuis secundum substantiam sit ab intellectu illo primo, tamen est gradu longe inferior. Siquidem huius intellectus secundi gradus, est primus entis mobilis, pendens ab intellectu primo. cuius gradus est quietis propter suam absolutionem, quæ non indiget perfectione

exteriore,ad quam(ob id)sit mobilis.Immobile autem continet omnino mobile.omnésque illius partes, & continens est prius contento, superiusque dignitate.ac sibi sufficiens simplicitate substantiæ, pro multiplicitate alterius, namque semper aliquid mouens existit exterius,animaque propter indigentiam est mobilis ad multiplicitatem, & cum mobile quoddam sit motum:quoddam quiescens: verbum quod est intellectus agens,neque existit mobile,neque quiescens.sed ab vtroque abstrahitur. iam quoque probatum quod inter creata, primarium est intellectus primus siue agens, secundarium autem intellectus secundus qui dicitur anima rationalis,collocata à Deo vt prefatum in confinio vtriusque mundi. quod si quispiam quærat: quinam autor extitit intellectus primi agentisque? Respondemus Deum autorem verum fuisse)qui creauit cum ante omnia alicuique inseuit omnia. qui intellectus quoque agens cum sit proximus ipsi Deo, dicetur verbum ipsius expressum cuius gradus (vt dictum) non est rei mobilis neque quiescentis,siquidem motus & quies non insunt nisi substantiis inferioribus illo.

*Caput decimum septimum. Quod verbum expressum est causa proprie creatorum,Deus autem non est proprie causa eorundem.*

VErbum expressum appellatur causa causarum, atque hæc fuit opinio sapientum Babyloniæ,quoniam ab eo producũtur entia, ipse etiam intellectus ab eo secundus,id autem proprer vnionem verbi huius cum autore primo,à quo ipsum & omnia alia existentia vere procreantur. Causa vero dicitur quæ est effectrix cum expressione simili existentiæ causati,quare si nihil fuisset aliud creatum,verbum tale non appellaretur causa.Nullúmque ob id etiam aliud inferius dicitur tam decenter causa, siquidem nihil cum expressione simili producitur sine ipso verbo prædicto, & quando etiam nihil recipit expressionem suæ existentiæ à se ipso (cum & enim existit haud procedit ad expressionem suæ existentiæ)nequaquã conuenit quod aliquid nuncupetur,vel sit causa sui, vt falsum est quod aliquid prius qua prius sit posterius se ipso. & superãs quatenus tale,sit superatum.Contingit porro intellectũ agentem qui est tale verbum dici causam,quoniam est plenus seminibus inditis subteriorũ, quibus si careret non decenter nominaretur causa,imo existentia illius desineret,non enim contingit quod quiequam pendeat ab altero extremo & id non existat, alioquin contingeret causam fore absque causato, ac vice versa causarum pariter sine causa. Quod si sit, entia forent inordinata,quo dato, auferretur præeminentia prædominijũq; virtutis absolutioris. Quare agens & patiens administrans: administratumq; existerent æqualiter se habẽtia.Quę tamen esse inæqualia experimur,tũ ratione actionis,passionisq; in quibusdam, tum ratione medij vnius, vel multifarij in aliis vel nullius etiã in plerisq;: qualia sunt entia abstractæ potẽtiæ perfectæ.Quare(vt dictũ)causa nominat cõparatu ad causatũ. Quod si quispiã dicat cũ causa & causatũ cõueniũt correlatione differãt autẽ subst̃tia,quo modo igit eã cõiungit causato? Respõdemus q; inter causã & causatũ est quædã cõiunctio per radiationẽ quãpiam proportionemq; cõmunẽ,sine qua impossibile

est vnum esse causam alterius. vt aliquem esse patrem alterius filij. Quorum quamuis vnus sit prior altero, tamen eorum est quædam coniunctio, & licet filiatio insit filio, paternitas autem patri, non ideo tamen aufertur omnis inter illos comunio, sicut autem de iis partibus correlationis sic de reliquis, sic enim inter elementa quæ sunt causa mixtarum, verbi gratia mineralium, plãtarum, animalium, ipsaque mixta est hæc coniunctio. Adhuc quoque inter indiuiduum vnius speciei & indiuiduum alterius extat talis communio, vt contingit vni illorum alteratio, transmutatioque ab alio, collocatio item in regione propria & ascensio, tum dignitate, tum situ vnius supra aliud, vt elementis verbi gratia aquæ supra terram: aeris supra aquam: ignis supra aerem. Quorum singulum in suo loco constitututum quiescit, ac vt in animalibus, item velut capitis supra pedes, implantis quoque vt ramorum supra radices, præterea animal est sublimius planta: planta minerali, atque ita inter vnum & alterum proportio, si nanque inter prædicta minime foret communio nominata, impossibile esset vnum eorum existere causam alterius. Ita quoque cœli circumlati sunt causa quod elementa inter se alterentur, transmutentur, patianturque. Quorum est coniunctio quædam mixtimoda, conueniuntque, tum quod sunt mobilia localiter, tum quod sunt, quanta, terminataque. Etenim si non esset proportio inter illa, elementa non paterentur à cœlis, quod falsum tamen est, cum ex illis non generetur aliquid, nisi per impressionem ab ipsis cœlis, eorumque motibus, sunt enim cœli causa formarum



marum naturalium, hæ autem compositorum generabilium, quorum est talis communio, præterea materia & forma quarum vnius est motus cogitabilis, alterius vero quies, sunt ambæ causa compositionis cœli interque illas & cœlum est communio plurima. quia cœlum circunfertur, forma autem circunfert, quamuis ibi materia & forma sunt insensibiles, sicut etiam hic, adhuc autem anima vniuersalis habet proportionem ad huiusmodi materiam & formam, quarum vtriusque est causa & firmior, quam particularis, quoniam illa vtitur descriptione luminis spiritalis: hæc autem corporalis, vt quæ materiæ immergitur vniuersalis anima item est causa motus orbium, quietis autẽ polorum, sic quoq; anima particularis est causa motionis organorum: quietis autem potentiarum. Rursus materia autem & forma sub naturam cadunt, quatenus materia non potest existere sine forma suppositа, neque pariter forma sine materia subiecta, amplius intellectus agens, qui est vniuersalis (iam prædictus) est causa animæ vniuersalis & sic habet manifestam communionem cum anima, siquidẽ qualia insunt indita semina intellectui agenti, talia quoque inexistunt animæ rationali, nec enim anima agit. quin eius essentia suscipiat à formis intellectus agẽtis, iterum etiam alia est communio huius intellectus & animæ prædictæ, quod intellectus aliquid est particulare: & aliquid vniuersale, & similster animæ. Et sic etiam intellectus est vnum idemque quod verbum expressum à potentia autoris primi, cuius voluntas & præceptum sapientia est idẽ, quod genitum in eodem gradu essentiæ. Atque in-

tellectus agens est creatus ab autore primo, per huiusmodi præceptionem, volútatemque eius indifferentem omnino. neque ex materia producto, neque exemplo exteriore, sicut reliqua creata. quare colligimus quod semper inter causam causatumque suum est communio aliquomoda: alioquin, sine hac habitudine non contingeret fore vnum causam alterius. Deus enimuero quoniam nō habet huiusmodi proportionem ad creaturam. Impossibile est quod sit proprie causa eius. sed tamen est autor, effectorque rei emanantis ab eo. Neque necessaria est inter agens & actum talis communio: nec enim intercedit passibilitatis conditio in agente: sed si qua contingit, apparet in ipsa re emanante ab eo, Item causa imprimit causato qualitatem sui similem aliquam, semperque causæ & causato commune quiddam inuenitur, sicut caliditas qualitas naturalis essentialisq; ignis, est communis ipsi aeri & aquæ lapidique calefactis ab eodem, at impossibile est quod mundus existat ab autore primo vt caliditas ab igne. siquidem hæc est velut anima ignis. ille autem nequaquam sic se habet ad autorē suum, sic etiam cum anima describatur exprimatúrque ab intellectu proximo verbo diuino, quod est omnium creatorum autor, descriptio seu qualitas animæ causatæ procedit à simili in intellectu agente causa existente. Amplius si Deus foret causa ipsarum creaturarum. Eius scientia esset similis, scientiæ earundem. Quod est falsum. Iam enim notū est quod Deus creauit entia absque alio ente, exemplóq; exteriore. Neq; extat in aliqua re cœlesti vel elementaria eius similitudo quæpiam. Rursus igitur Deus



Deus (vt dictum) sublimis non est vere causa rei cuiusdā creatæ sed autor causæ ipsius quæ est opus illius. nam (vt præfatum) caret commu nione huic oportuna, ad ipsas creaturas.

*Caput decimumoctauum. Quo modo intellectus agens est vnus; item Deus & quod est vnitas, ac numerus multiplex.*

AVtor primarius constituit verbum, quod est creatum primum, esse causam entium ab illo procedentium, atque hoc non est vnū verum, siquidem non agit essentiam & existentiam creaturarum, qualis actio est supra potestatem eius, neque tamen subit qualitatem: paritatémve numerariam. sed permanet vnum, & vere abstrahitur ab illis: neque enim est vnum vnitate principiaria numeri, quanquā numerus etiam sit essentiæ aliquantulum abstractilis, quoniam hæc vnitas inest quoque particularibus corporeis omnibus ac necessario, quibus eam quidem verbum ipsum dedit bimodam, nonnullis vnicam, sicut terræ aeri, soli, ac lunæ, similibusque reliquis. Quorū quodlibet est vnicū singulare indiuisibile in plura contermina specie, vnde dicitur, quod omnis terra est vnica terra, & sic de cæteris, quibusdā autem tribuit plurificatā & hanc quoq; bigradam, quampiam vt ignis, stellæ, indiuiduorum que naturalium, exempli gratia mineralium, animaliumque, alteram vt particularium tantū connumeratorū, quorum dicitur vnitas prima secūda, tertia, quartáq; & hæc sunt abstractilia à naturalibus, licet numerata. Dein venitur ad spiritalia multiplicata per creationē nouatricē, & viuida, peruenièdo vsq; ad intellectū creatū à verbo diuino, qui existit vnus vnitate cō-

tentrice seminum insitorum: multiplicatur autem per illa plura abstractiua & productiua creaturarum. Creator autem verus inuenitur supergredi numeros, abstractus à diuisibilitate creaturarum, nec multiplicatus per formas insitas actiuas: vel exemplares. Quapropter est vnus vnitate differente à naturali, numeraria: ac spiritali qualis eius vnitas non apprenditur nisi per abstractionem & negationem ab vnitate expressa. Nam qui cogitat ipsum Deum esse vnum, quia non existit duo, neque tres, ignorat talem autorem primarium. Siquidem ita is conimaginatur numerum expressum, prænumerando eius vnitatem nominatam: à qua (vt dictum) abstrahitur, hæc igitur est differentia inter vnitatem numerariam, atque vnitatẽ veram creatori supremo proportionatam. Quod si quispiam quærat cur intellectus est ita vnus & dominus aliarum creaturarum, respondebimus quod autor eius ens vnũ, verum, simplex: continens omnia tum composita tum incomposita, pro ratione, vt nouator entitatis: singulorum & multitudinis cunctorum idem efficit hunc intellectum, agentem, & quicquid inest ei. Numerum quoque, non enim numerus est principium rerum, vt putauerunt aliqui. Siquidem vnum est prius duobus, quæ sunt numerus. Vnum autem non existit numerus, metiturque numerum, porro eũ ita sit (velut prædictum) anima rationalis quoque est numerus secundum imitationem, similitudinemque vnitatis intellectus agentis, quoniam essentiæ primariæ ac supernæ non sunt corporeæ, neque auctiles, sed existunt spirituales absque terminatione mensili, alioquin forent crassæ soli-

dæque



dæque ac superficiatæ, quales existere sensui (licet falso) cogitantur. Cuius argumentum extat, quòd rationes seminariæ, vt plantarum, quæ insunt humori, non existunt apparentes & visibiles, sed occultæ ac inuisibiles, quare etiam tanto magis verbum quod est intellectus agens, numerusque eius essentialis, neque autem in præsentia accipimus numerum recensilem, qui extat euidens, sed naturalem, qui est essentia contenta ab alia, qualisque vnitas duaria mundi superni, ineſt intellectui rationique agenti absolutæ, neque imitatur quidem vnitatem diuinam, sed resultat numerus quidam, qui existit forma singulorum creatorum ab intellectu, continente vere entia ac seruante, quique prius formatus est ab illo vno sub specie inferioris essentiæ. Atque hæc dualitas est essentia vnica.

*Caput decimumnonum. Quo modo Deus, cum sit summe vnus, creet multa alia entia. quali autem specialibus intellectibilia.*

QVærendum de intellectu agente, qua ratione ipse intelligatur ab aliquo, & quo modo fuerit creatus ab autore primo, qualisq; item sit status intuentis eum perpetuus, præterea quærendum vtrum (quod animus proceliuis nullo prohibente maxime optat scire: atque id in quo turbati sunt altercatique inter se sapientes) videlicet quo natura modo ens vnum absolutum implurificatumque omnino creauerit alia plura entia. sine digressu ab vnitate essentiæ, citraque detrimentum vnitatis, immo cum roboramento eiusdem. Et

enim quaquam omnia alia profluant ab vno, non tamen ob id ineſt illi vni pluralitas, quale cum dixerimus, oſtendamus etiam probando. ad quod pro viribus faciendum imprimis. Imploramus opem & aſſenſum ab ipſo autore primo, neque ore tãtum, ſed cum geſtu ſupplice, animo etiam abunde, inceſſanter, atq; integre, conuerſique oramus, vt ille illuſtret mentem noſtram, dimoueatque ſtultitiam animabus ſuper creſcentem, propter corpus, ſic enim ſperamus nos probaturos fore huiuſmodi diſpoſitionem, quamuis vnius veri boni honorabilis, ſiquidem ipſummet immittit lucem, pro veritate ac ſincere ſe exquirenti, primum igitur (quod auidius exploratur) ens vnum verũ creauit entia plurima hoc modo, quod primo occurrit eius ſpeculationi. Quoddam ens vnicũ, conſtituitque illud ante omnia alia, quod conſtitutum deinde reuertitur ad eius eſſentiam: ſubſiſtenſque in illa ſtatim reſpicit intellectu illud ens vnum, verum, ſupergredi omnia intellectibilia ac ſenſibilia. agnoſcitque talia entia vt exemplaria fabricata eſſe turbida declinantiaque ab eodem. quod cum ita ſit, quodlibet perductile mouetur appetitu ad ipſum ens. Alioquin nullatenus foret productile, dico autem mouetur, quoniam productio fit propter huius generis motum aliquomodum, ſiquidem non poteſt ſine illo fieri, dico item appetitu, quandoquidem optat aſſimilari ei in permanentia. Vnde occurrit eidem per ſpeculationem, atque hæc eſt cauſa motus ab eo profluentis omnimodi. Quando ita perſpexeris plene creatorem primarium, diſces verbum creatum eſſe proximum illi, oririque ab hoc verbo



verbo virtutes poſtremo multifarias euidẽter, quódque omnes mouentur appetitu ad illud, pendẽntq; ab eo vt creatę à ſirmo agente, ſicut antea probauimus. Ita vt cuncte reuertãtur: & aſcendant vſq; ad creaturam illam principem proximam verbo Dei concepto, quæ eſt cauſa cauſarũ, refundens aliis ſubſtãtiis eſſentias ſingulis proprias conuenientéſq;, & quarũ conuenientior eſt perpetua, atq; vni, quódq; recipit huiuſmodi influxũ à Deo, per eam mediã cauſam pro captu ac imitatione, ſiquidem omnis ſubſtantia corporea, atq; alia ſubterior exiſtit ex prouidentia autoris primi per illuminationémq; vnitatis eiuſdẽ. Quapropter anima etiã mouetur appetitu ad eum proprio, quali ſolẽt ipſa ſimulacra ad archetypũ, atq; non nihil extrario, quoniã omne animatũ eſt tranſmutabile ſecundum ſubſtantiam, paſſibiléq; ac alterabile, quatenus ſecundũ ſubſtantiam vertitur in aliud. Creator enim vero primus mouet creaturas, immittendo eis deſiderium boni abſoluti, perpetuóq; influentis, quale etiam vnicuiq; tribuit iuxta capacitatem, vnde colligantur ſimul extrema entia communione cauſæ & cauſati (ſicut prædictum) quorum ſupremum eſt cauſa prima, proxima verbo diuino, quæ exiſtit cauſa cauſarum. Aliud extremum & infimum eſt ſubſtantia extendens ſpargénſq; cauſarum vires immiſſas, ad quam huiuſmodi virium deſcenſus ſubtenſioq; amputatur, ſublato receptaculo alio inferiore. Quare cùm iam probatum ſit q, omne mobile habet motorem exteriorem, ad quem & à quo eſt mobile, alioquin enim foret immobile omnino, atque omne tale anhelat tenditq; ad illũ, vt imitetur,

& nos homines etiam appetimus contemplari eundem, ob id singula occurrunt prospectui illius, & hæc est ratio motus ab eodem profluentis omnimodi. Porro si velis (quod prius quærebatur) scire, quomodo autor primus crearit substantias insensibiles: perpetuásque ac insignes, oportet vt circum adscribatur ab imaginatione tua qualis libet, fluxus temporarius, quandoquidem hæ creatæ fuerunt absq; tempore, actione autori immediata, atq; insuccessiua. Qua ratione etenim huiusmodi productio foret temporaria? quum ipse autor illius, sit etiam autor temporis, omnésque generationes temporarias digesserit constituens, ac discreuerit, nec enim autor temporis existit, agitve sub tempore. Verum altero modo altiore, dignioreq; creaturæ fiunt ab eo, quali videlicet vmbra corporis alicuius manat ab ipso.

# LIBER VNDECIMVS.

*Caput primum, quod ad intelligendum orbem supercœlestem, oportet prius intelligere cœlestem, magisque tamen illum, quàm istum.*

PERRANDVM amodo, quam mirabili ratione sydera animæq; mundi superioris gubernent ista inferiora, quandoque ille orbis continet omnia eadem entia, à primo ad postremum quæ, & hic, verum sub alia specie videlicet nobiliore, neque tamen ob id dicimus quòd formę ignobiles in hoc mundo



do progenitæ ex putredine sint etiam in illo altiore, sed quòd solæ formæ naturaliter generabiles adsint ibi, sub alia (vt præfatum) altiore specie. Ad propositum igitur conuersi dicamus quòd planeta Iouius princeps stellarum, inter omnes: quæ ibi existentes appetunt ipsum mundum intellectualem: præcipue contemplatus formas eiusdem puras, susceptit illarum bonitatem luménque pro capacitate, vt amantior, supra alias stellas. Vnde & dignior factus est. Quapropter qui huiusmodi planetam speculatur, fit adsimilis pulchritudine: dignitate ac lumine, vt qui scandens sublimem locum quandoque, despectánsque humum rubeam aspectu rubescit, sic enim qui lumen superius intuetur illuminatur, verum quoniam planetæ lumen quod inest à luce bonum, est tum interius tum exterius, immo cùm sit eius forma lumen verum est interius, forma enim non subiicitur sensui. Idcirco ad perfecte vniuersalitérque conspiciendum lumen illud, oportet vti speculatu minime partiario videlicet tantum exterius non autē interius circumuente, immo totum vtrobique perlustrante, vtque ocularis visus non penetrat vniuersum corpus, sed enim solum adspiciens exteriora, non inspectat interiora, sic etiam nulla alia vis corporea potest lumen illud interius attingere, quapropter si velis huiusmodi formam planetariam integre contemplari, necessum est redeas ad ipsummet animum, ac euadas qualis ille incorporeus, sic enim fies inalterabilis, visuq; ideo intellectuali comprehendes. Vnde illius fulgore etiam impleberis. Atq; identidem facies specialibus exploraturus Iouem stella-

rum principem, vniuersali siquidem ratione illum prosequere, considerans superficieique ac profunditatis pulchritudinem. Quod si amplius optes etiã supercœlestes formas illustres, scientia assequi perfecta, neq; aliter earum dignitatem præclaram queas introspicere, quo modo & quem prediximus archiplanetam intuere profundius, tũc enim lumen eius (quod est hypotipus à superno orbe impressus) in te refundetur. Cuius illustratione indutus, fere illi par vnusque tanquam subleuamento adiutus, supremam illam claritatem, omnésq; eius participes formas pro voto intelliges, si vero ab eo auersus, disiunctúsque ad te conuersus geminatúsq; fueris, huiusmodi speculationem amittes, quam tamen, si minime corporeis sordibus interim coinquineris, dein reconuersus ad Iouem stellam recipies, conterminus lumine sicut antea & pene consubstantialis illi redditus: paritérq; rescius omnium nisi quòd fueris disiunctione inter turbatus. Alioquin à planeta isto alienus, (quoniam te Iupiter tunc abhorrebit) nunquam attinges orbem supremum, quare oportet viros sic omnes reliquos contemplaturos eius supernas essentias, cum planetarum domino ita (vt prædictum est) sese habere. Porro danda tamen maior est opera cuilibet vt contempletur mundum supercœlestem quàm cœlestem, quoniam illius scientia est nobilior, quàm huius, quę tamen est insignis præluminatoriáq: ad illam, & sine qua procul dubio media, nemo potest supremam consequi. Boni pulcherrimi, quo nullus aspectus satis pasci potest, & cui speculatorem oportet esse plane vnum cognominémq;, quíq;

penetratu



penetratu intellectus lucem huiusmodi optimam ingressus: fit tanquam candelabrum lucens illi ad simile.

### *Caput secundum, quæ sit differentia inter sensum & intellectum.*

QVemadmodum visus non apprehendit visibilia, non sit illis idem, vnitúsq; apprehendit notitia pro facultate perfecta, sic intellectus humanus nequit intellectibilia cognoscere, nisi illis vniatur. Et visus quidem superficiem rerũ attingit. Intellectus autem profunditatẽ subit: idcirco quoq; magis firmiúsq; vnitur intellectibilibus, quàm sensus sensibilibus, siquidem omnis sensio diuturna noxia est valde sensui ipsi, adeo vt aliquãdo eum priuet vi sentiendi. Intellectio autem aliter se habet intellectui, vt quòd diuturna intellectum firmat, deputátque, quatenus est intellectus. Præterea sensio mali est vehemẽtior quàm intellectio, illa nanq; infert dolorem ęgritudinémq;, non autẽ ista, sensus item nõ bene præcipit dispositionem naturalem conuenientémq;, verbi gratia sanitatem (nec enim talis subit potentiã sensitiuam) ægritudinem vero bene percipit, vtpote pręternaturalem inconuenientémq;, talis naturáq; vt dolorifica facile sentitur. Quod si sensus ignorat prænominatas qualitates, quã to magis substantias intellectuales, quę sunt distantes & alienæ ab eo multum. Idcirco quoq; sensus nõ confitetur intelligentias. Intellectus autem, si has negaret, sese ipsum negaret. Alioquin foret substantia corporea, q; si eõtingeret subtraheret se rationi intellectiuæ, eósideránsque essentias intellectrices tãquam corporeas,

nunquam orbem supernum eiúsque mentes penetraret. Quas (vice versa) transcendit cùm essentiã suam respiciens introspexerit perfecte.

### *Caput tertium, quod mundus triplex supercœlestis: ac terrestris, quódque posterior seruatur à priore.*

MEns ipsa humana cùm orbem intellectiuum perspexerit, nobis renunciat illum esse opus primum creatum, summóq; decore insignitum existere, ac illaboriosum: inafflictuosúmque, immo lætabundus suo lumine, profluentibúsq; ab aliis essentiis exultãtes substantias in seipso continere. Quarum Iouis planeta est primarius exemplar omnium illius entium, neque vero nullibi collocatus, sed enim in alio orbe secundario, bono tamen illustri perpetuóque ac eius primi simulacro, referto. Vnde etiam decet quòd sit bonum absolutũ, siquidem metatypus est similis archetypo. Rursus autem hic mundus infimus ad similis cœlesti vt vitæ: essentiæ bonitatique causariæ, successiua iugiter generatione, est quadamtenus perpetuus, sicut ille constanter. Siquidem omnis vita nostra (cùm sit similitudo superioris continuatur ab orbe illo, continuato adhuc per supremum) principium. Ideo errauit qui opinatus est mundum intellectualem fore corruptibilem, quoniam autor eius primarius firmus inablatilisque existit, cùm autem creator intelligentiarum fuerit talis, illę nequaquã deficient: neq; vllatenus peribunt, sed inæternum persistent, nisi idem autor sponte redigat ipsas intelligentias in pristinum statum, ac retro transmutet in nihilum, id autem est impossibile,



sibile, quandoquidem creauit eas absq; consultatione ac cogitatu. Verum alia intellectionis specie. Quare lux primaria quæ existit essentia vera, indesituráq; omnino protectione seruabit eas, ob quam rationem stabiles ac perpetuę manebunt huiusmodi intelligentiæ.

### *Caput quartum, cur Deus appellatur lux, & quòd seruat orbem intellectiuum, hic autem cœlestem, isque deinterrenum.*

LVcis primariæ appellatione vtimur ad primum autorem nominandum, ex necessitate, quoniam nequimus ipsius essentiam qualis in seipsa existit detegere, atque attingere. Et quantulum eius mens humana intelligit, abstractione, negationéq; succedanea, assequitur scandendo subinde, eo vsq; vbi lassata sistit vt imperfectissima, siquidem est infima omnium creaturarum intellectricium. Rursus igitur regressu ad propositum facto, dicendum quòd essentiæ princeps, quæ est lux infinita, cùm nullatenus corrumpatur, nunquam etiam desinit illuminare orbem supercœlestem, isque cœlestem, ideo quoq; hic secũdarius dominus infimi, vtpote ramus illius primarij semper existet. Et quanquam princeps mundi superioris parum referat ab inferiore, nihilominus conatur seruare eum, seruator porro mundi intellectualis est lux primæua, mundi autem cœlestis, ille supercœlestis, huius autem infimi sensibilis, ille medius cœlestis. Atque omnes tamen seruantur consistúntque virtute autoris primi, qui eos suæ adminstrationis robore fulcit ac sustinet, vt qui primum orbem (à quo

pendent reliqui) perornat. Quiq; existit infinitus potentia, bonitate, ac pulchritudine, vnde illum subsequitur intellectus agens illuminatus ab eo, parisque mundi intellectualis optima ac nobilissima, intellectui agenti honoratiori succedit animus simulacrum eiusdem, quæque etiam speculatus orbem illū intellectuarium, fit pulchrior adhuc. Tandiuq; ita perseuerabit, quandiu illum intuebitur, ac vice versa à speculatu diuertens, lumine extracto deformabitur. Atq; ita nos etiā donec nostrum animum respexerimus, in eoq; constiterimus. Existemus speciosi probiq;, ab eo autem digressi ac transfugæ, turpes atq; improbi. Præterea ipsa cœlestis mundi anima est decora, pulchritudinémque suam (maxime planetæ venereo) immittit, qui dein illa huic mundo sensibili trasmittit, non enim ab alia causa quàm à cœlesti speciositas terreni orbis prouenit, vt prædiximus.

# LIBER DVODECIMVS.

*Caput primum, quòd corpus hominis est mortale, non autem animus, quódque corpus animalis est organum anima.*

AN præsentia considerandum est nobis an vtraq; pars hominis sit consumptilis, an tātum vna corrumpatur: altera autem persistat semper, & quæ natura hæc sit, idq; vt pertectè fiat, ratione naturali est vestigandum. Homo igitur non est aliquid simplex,



plex, verum constat ex anima ac corpore quod existit organum animæ coniunctum, diuersúmque specie, quódque licet optime animæ vniatur, non tamen inseparabiliter ab ea, neq; in seipso constanter est firmum, siquidem corpus ipsum est compositum, & non simplex, omne autem compositum resoluitur tandem in ea ex quibus componitur. Atq; ex consequenti non permanet, quale etiam patet experimento, siquidem conspicimus corpora modis variis corrumpi, tum ab aliis, tum inuicem: præsertim quando anima nobilis ea destituerit, vice rursus versa corpus si permanet, adminiculo animæ sublimis perseuerat, ac sine illa nec persistit, nec existit vnum. Quandoquidem resoluitur in materiam & formam, ex quibus constitit, abeunte huiusmodi anima, quæ continebat illud, corpus item est quantum diuisibile in partes minutas, atque hęc est quædam corruptionis species, quare cùm sit corpus, pars altera hominis, non vtraque eius portio est incorruptibilis, verum vna corrumpetur videlicet quæ existit instrumentum animi, quo ipse indiget, nō tamen semper, sed pro tempore, alioquin corrupto instrumēto, simul ipse animus corrumperetur, quod profecto nō contingit, quando animus adhuc in statu suo persistit firmus inconsumptúsque, siquidem natura eius non admittit vllatenus corruptionem, atque est forma per quam homo est ens & existit, vnde homo vere est animus, ipso autem quoque corpore animus indiget, vt artifex organo. Qui corrupto eo non ob id corrumpitur. Corpus autem est animæ instrumentum, quoniam sicut artifex exigit organa apta

operi, verbi gratia carpentarius securim, sutor acum: messor falcem, nauta remum, sic anima expetit corpus ad commodum cui inexistat, potentiæ quoque animę exigunt membra instrumentaria idonea, quibus anima ipsa influit, cuius argumentum, quòd anima cum viribus sequitur complexionem corporis, siquidem euidenter variatur eius operationes alterato corpore aliqua de causa, verbi gratia ob ægritudinem, vice item versa corpori contingunt plurimæ operationes, propter animam illo (vt organo) vtentem, velut tristitia, timor, concupiscentia, lætitia & mœstities: quapropter mutuũ accidentium commercium, vicissariáq; animæ atque corporis conalteratio, indicat corpus oportere vt sit aptum (animæ dominanti) seruitium, quod & adhuc ex illo probatur, quoniã si quodpiam animal (vt fit) moriatur, nunquam alterũ gignitur, cui eadem anima possit aptari. Ita quòd semper cuilibet animali sua ineſt propriáq; anima, nec vicissim cuilibet animæ suum propriumq; subest corpus animalis. Siquidem corpori parato parata pariter respondet anima, idcirco necessum est corporaturam animosi esse alteram, quam pusillanimis, sicut ferramentum carpentarij aliud, quàm sutoris, atq; ita anima leonis vt animosa, prudenter sibi aptauit corpus organicum ad oportunitatem, vt ossi solidum ad robur, dentatúmq; ad morsuram, canis leuiter pedatum ad velocitatem, equi dure vngulatum, ad pugnã reliquisq; actionibus promptum. Bouis quoq; anima ita sibi constituit corpus cornigerum, magnúmq; ad labores, & qualibet alia pro dignitate, indigniatéve operationum vt leporis anima cùm careat



careat audacia, ac robore corpus leue format sibi ad euasionem, ouis autem sagax ad præcautionem à fortioribus brutis.

### *Caput secundum, qualis humani corporis compositio & propter quid.*

CVm anima humana sit nobilior sapientiórque reliquis, ac idcirco propinquior substantiæ diuinæ, disposuit sibi corpus nobilissimum aliorũ, quæ sunt animalium ac meliora, aptioráq; mẽbra ad artes exercendas, cumq; ad multa opera quæ facit multifariis indigeat organis, neq; potuerit sibi ea omnia in corpore cõiuncto fingere, in eo composuit vnũ idoneum ad fabricandũ illa plura separata instrumẽta, manus videlicet, quãdoquidem si habeat vnicum organum tantum vnico vsui aptum, non poterit cætera oportuna conficere. Instituit quoque corpus rectum, cui cum manibus addidit etiam pedes, vt queat multas alias animalium species, opinione pene, innumeras, gestu variato imitari, eorúmq; motus plures effingere. Quorũ si vnicum retineat naturalem, id nequeat. Namq; homini omnia brutorum opera, quadamtenus: conueniunt vt leonina dominatio, ad quam vtitur lorica, clypeo, arce, atque adhuc instructius balista, & ariete ad muros diruendos, propulsámque noxiorum, telis, ad pugnam item equo, sed & celeritatem qualis leporina, ac naturalem præ cautionem (vt ouilla) atque hæ actiones per instrumenta factæ sunt brutalibus potentiores. Homo item ope intellectus directoria facit opera quadam exquisita, supra naturalem cogitatum suum, (quoniam naturalium operum ineſt quoque

brutis potestas) vt artificia homo formet, verbi gratia musica organa cordis instructa, vtendique illis artem ipsam. Præter instrumẽta sonora, quæ excogitat ad lætificas brutorum voces imitandas. Inuenit quoq; captétula, quibus volatilia aëris: & pisces maris, ac feras terræ domat. Præterea vtitur ad multiplex cõmodum aquæ: aëre: & sole ac luna, cæteriſq; stellis. Amplius mentis prouidentia condit leges rectas: moréſq; probos instituit, scientiarũ volumina excudit, litterarũ figuras nouat, sphæráſq; multiformes vt proceleſtis horologicáſque, sed & artes varias, prognostica item antelõgęua præsentibus ac futuris vtilia. Ideo (vt prædictum) homo statuæ rectæ à Brutali differentiis cõpositus est, aptæ imitari brutales atq; alias confines, quas in variis actionibus sumit varias. Et cùm ambulat, dispositus est, aliter quàm cũ equitat, disputans quoq; differenter se habet quàm scribens, Carpẽtarij situs etiã in actione propria dissitus est à sutoris, cõuiuantis accubitus, & arantis status discrepant. Vir canens dissormis est à stertente, lyrizans à tympanizãte.

*Caput tertium. Quod anima humana non habet peritiam aliquam congenitam, neque formã corporalem cõnaturalem.*

ANima brutalis (vt prænarratum) dedit suis animalibus tum instrumenta opportuna actionibus, tum instinctus naturales expedientes tutellæ à noxiis pro conditione singulis. Anima vero humana, neutrum horũ contulit homini. Tantúmque instituit corpus versatile pro multis organis, docilitatémq; citra peritiã, pro instinctu naturali tribuit, quod si aliter contingeret, vt videlicet scientiã à natura secũ ferat, non appeteret hunc orben infimũ, nec. n. indigeret discere per abstractionẽ à formis sensibilibus, nisi respondeatur, quòd anima peritiã quidẽ naturalẽ habet, sed cum sit velata, non potest eã detegere nisi eruditione, neq; valet ab obliuione resipiscere nisi excitata ab iis rebus inferioribus, quale profecto non est. Nec enim continet huiusmodi aliquam formam corporalem, veluti prætectoriã, alioquin nullã aliam admitteret, ex consequenti etiam nõ intelligeret, vt aër & aquæ (si quem habeant colorem vnicum peculiarem) non susciperent alterum, neque per illa media videretur aliquid, nisi sub vnius coloris apparentia. quæ tamen elemẽta omnibus coloribus sunt peruia. Atque ita etiam sensoria, vt oculus si quem possideat colorem genuinum propriúmq;, nõ apprehenderet alium. sic auditoriũ, odoratorium, cæteráque sentiendi instrumenta. Quare sic anima cum sit prompta paratáq; ad omnes formas sensibiles abstrahendo recipere, nullã earum habet insitam. vnde etiam dicitur locus formarum, quod de rationali maxime intelligendum, & cum hoc ita sit operationes suas propri ísque exercet ex se, absque organo corporeo, propterea éque incorruptibilis existit.



*Caput quartum. Quod anima humana non indiget organo corporeo, quòd que est simplex, & ob id incorruptibilis.*

ANima humana fungitur nonnullis actionibus ignobilibus, quibus proculdubio conuenit corpus, vt oratoria, cæteræque artes quas non sine membris ad eas instrumẽtariis

exercet. Plerique autem fungitur virtute cogitatiuæ, qualis discursus deliberatiuus, atque contemplatiuus, ad latentia ex apparentibus procedens, aliis verò fungitur ex intellectus potentia nobilioribus, pro faculate, & citra discursum, ad quarum vtrasque postremas anima minime perfecto indiget corporali organo. Omnis autem forma quæ non indiget instrumento corporeo ad agendum est incorruptibilis, siquidem est simplex. Tale autem non resoluitur in alia. Sed consistit firmum atque inconsuptibile. Animus autē est simplex quoniam non est compositus, cum sit receptaculum formarum simplicium & depuratarum. quas attingit æqualiter neque magis citiúsve considerando recipit vnam quàm alteram. velut speculum imagines: aër colores, sonos, odores: aliáſque sensiles formas. Indifferenter, sine turbatione, quas defert ad sensum, seruátque pro ratione singulorum, atque hæc operatio inest animo naturaliter & semper. Porrò omne quod est receptaculum formarum simplicium existit incorruptibile, quódq; est simplex absolutum, exstat simile: animus autem vtroque modo se habet, quapropter persistit incorruptibilis.

*Caput quintum. Quod animus sit immortalis ex infinita discendi potentia, quódque non habet scientiam congenitam.*

RVrsus animus siue anima rationalis naturaliter perpetuóque discendo operatur, siquidem conspicimus hominem semper ignorantem aliquid subinde discere, natura eius nunquam ad discendum deficiente, quinimo quantum



quantum supereſt discendum, tantum prosequitur discere. Omne verò quod ita se habet consistet perpetuo sibi simile ac etiam melius, quod est magis, siquidem quod ita procedēdo auget potentiam, neque attingit finem, est virtutis non interruptæ indesinentísque, quale continet vim interminatam: ex consequenti existit irresolubile, & incorruptibile, sicut (vice versa.) Terminatum vt corpus resoluitur, corrumpitúrque. Homo autem ex suppositione facta, assidue discit noua, quoniam vt iam probatum, genitus est informis imperitúsque. Siquidem à natura nō inest illi nisi docilitas, non autem doctrina. Eiúsque animus creatus est non eruditus, sed erudibilis gradatim scientiis ac moribus. Alioquin non disceret aliquid vllatenus. sicut planta, cùm non fuerit genita idonea disciplinæ, neque etiam vllam admittit. Quod si homo quoque haberet aliquā doctrinam à natura ingenitam, hæc illi sufficeret, peculiarísque foret, atque ob id impossibile existeret, eum aliter discere velut cætera animalia (vt prædiximus) se habent, quare homo à natura non habet scientiam aliquam, sed tantum aptitudinem capacitatémque ad eam. Sicut oculus non habet quempiam colorem connaturaliter inditum, sed potentiam recipiendi omnes colores. Ita namque se habet animus ad intelligibilia, sicut oculus ad visibilia, vtque visio est perfectio oculi, sic intellectio animi: ac vt oculus se habet indifferenter ad visibilia, sic animus ad intelligibilia, vtque oculus non videret actu, nisi fuisset præaptus ad videndum, ita quoque animus nō intelligeret actu nisi præfuisset paratus ad intelligēdū.

*Caput sextum. quòd animus est simplex absolutè, atque ob id immortalis, quódque simplex bifarium.*

ANimus,(vt antea dictum)est æqualiter receptiuus omnium formarum abstrahẽdo à sensibilibus, quapropter non habet in substãtia sua quampiam huiusmodi formam. Sed tantum receptiuitatem earum. atque hæc est illius forma prima ac propria. Siquidem ipse animus,quatenus est animus,est talis per hanc receptiuitatem ac (vt sæpius dictam)si qua vna forma alia ineſſet animo nõ ita indiscretè susciperet reliquas omnes. Et enim illa resisteret aliis vt debilioribus, quia alienis recipiendis. Porrò cum animus careat forma peculiari cõsitáque,igitur in seipso est simplex. Quandoquidem omne compositum habet formam quandam propriam,qualem(vt præfatum)non continet animus. Ideireo etiam incompositus & consequenter simplex & absolute non comparatu. quoniam simplex est bimodum, vnum quale subiectum primum primordium omnium corporum, susceptiuum formarum, mensionúmq; trium,& quatuor qualitatum, & quòd non est compositum ex aliquibus, atque ideo hoc est simplex absolutè. Alterum est simplex comparatu rerum ex eo compositarum, sicut elementa quatuor,verbi gratia ignis:aer:aqua: & terra sunt simplicia ad mixta, composita autem ad materiam subiectam trimensioni, & qualitates quatuor incomplexas. Item corpus animalis est cõpositũ ad qualitates primarias quatuor,simplex ad plantas. Plantæ sunt compositæ ad elementa:simplices ad humores. Humores sunt compositi ad plantas: simplices ad membra



membra similaria:vt ossa:neruos:venas & cætera membra similaria sunt composita ad humores,simplicia ad organica, vt carnem: cerebrum,iecur,caput,manus. Et similia, quorum aliquæ sunt instrumenta spirationis, quædam nutritionis:quædam vocationis: quædam sensionis ac motionis directionisque naturæ, quædam generationis, alia verò cogitationis & actionis. atque hæc membra sunt composita ad corpus, quod dein est compositum absolutè. Siquidem impossibile est quòd ex eo cõponatur aliquid vlterius. Ad quod dicatur simplex, trimensio autem seu soliditas: qualitates singulæ ex quatuor, & materia prima, ac forma sunt simplices absolutè. Materia autem prima subintelligitur esse illud subiectum vltimum,quòd (ablatis per abstractionem à corpore qualitatibus primis & secundis) ac trimensione,quibus subest,subsidet superstes, atque hæc est simplex absolutè, immixtáque omnino. Et quamuis animus componat constituátque membra corporis ex elementis, trimensione ac qualitatibus, licétque regat vniuersum corpus,tamen est aduena illi,quoniam orbis eius proprius est superior isto, in quem quo modo descendat, iam probatum antea,& paulò pòst repetendum. Quapropter (vt deductum) tandem animus non est forma composita, sed simplex absolutè, eúmque corpus omne compositum tandem resoluatur in ea, ex quibus componitur, simplex autem absolutè, nequaquam resoluitur in aliquid vlterius, quódque est tale irresolubile cogitatur esse incorruptibile, ex consequenti animus existit immortalis.

*Caput septimum. Solutio duarum obiectionum.*

SI quispiam obiiciat dicens, quòd licet animus sit essentia simplex, tamen non perficitur nisi per instrumentum corporale: quoniam perficitur per doctrinam scientiarum, ad quarum principia omnes sensus sunt instructorij, qui vtuntur organis corporalibus. Quapropter fit vt animus ad sui perfectionem instrumentis huiusmodi corporalibus indigeat. quod si ita sit, corruptis illis, ipse etiam comitanter corrumpetur. Præterea omnes substantiæ (præter autorem primum) constant ex materia & forma: item animus considerat conterminum generi suo, neque considerat disiunctum à materia. Quare conuenit rebus materialibus. Et id fit communi vsu instrumentorum corporalium ad operandum. Respondemus ad hæc (vt antea) quòd animi sunt tres operationes, quarum vna prouenit cõmunione corporis, duæ autem minimè indigent indigent instrumentario corporis adminiculo. Atque hæ sunt deducere conclusiones ex principiis conaptatis, & sese ab vno noto promouere, ad noscendum aliud, quod accedit ad dignitatem animi, eiusque operatio propria existit. At rationes (quòd omnes substantiæ citra primam constent ex materia & forma, quódque animus nõ intelligat nisi materialia, sunt falsæ. Siquidem plurimæ substantiæ) sunt abstractæ à materia, quarum numerum nos etiã prius in metaphysicis probauimus, vbi etiam collegimus, quòd huiusmodi substantiæ existũt perpetuæ & incorruptiles, cum sint immateriales. Appellantúrque intellectus superni.

*Caput*



*Caput octauum, quòd animus proculdubio intelligit deum: ac seipsum cæteráque formas insensibiles sine organo corporali. & quod etiam formas sensibiles abstrahit per intellectum sine organo eodem.*

AMplius quoque si solus autor primus est separatus à materia, animúsque scit tantum eum esse talem, animus igitur intelligit Deum, & scientia huiusmodi saltem non est per organum corporale. Quare cùm ita sit, nõ igitur animus intelligit omnia per instrumentum corporeum. Adhuc speculatio (qua animus seipsum contemplatur) non est per organum corporale, siquidem eius substantia non est corporea, neque sensibilis, quodlibet vero, quod per organum corporale consideratur, est sensibile, ergo ob id etiam animus non considerat omnia per adminiculum corporis organicum, atque hæc operatio in organica est illi propria. Item animus denudat semper formas à materia, ac ita denudatas in essentia attingit illas, substantia igitur animi attingens huiusmodi formas, est depurata à materia, neque est sensibilis. Animus igitur speculatur primo ipsas rerum essentias puras sine organo materiali, deinde componit principia, ex quibus connexis, peruenit ad formas antea ignotas, vtpote insensibiles, atque has contemplatur proculdubio absque vsu instrumenti corporalis, idque est opus ei proprium nobilissimúmque pro conditione, quódque non habet repugnantiam ex obiecto. Quapropter animus considerat, tum materiales, tum immateriales formas sine organo corporali, licet postremas valde magis absque instrumento, vtpote ab

stractiores: simplicioréque intelligat. Et profecto quãquam animus sit immaterialis, tamẽ attingit intellectu formam materialẽ, alioquin foret contrarius sensui, à quo tamen ducitur primo ad considerandũ singularia, deinde excitatur promouetúrque, ad vniuersalia. Supra sensus ipsum, vt cõprehendens hunc hominẽ, procedit ad hominem simpliciter. Iudicátque quòd omnis homo est animal, subintelligens indifferenter vniuersalitérq; præsentem, præteritum ac futurum, atque id non sensu, siquidem is cõprehendit solum indiuidua & præsentia, sed vi superiore, videlicet intellectu, qui solus cõprehendit absolute vniuersalia, ad quę procedit, à sensibus tamen excitatus ad id vtitur quibus pręconsiderans qualitates materiales, & quanquam singulare ac vniuersale sint quædamtenus duo, tamen animus vnus vtrunque considerat, singulare videlicet sensu, vniuersale autem intellectu, capiendo huiusmodi formam non, quatenus est in materia neq; ex materia, vt sensus, sed mundatam ab omni conditione materiali conhærentéque vltra essentiam, verbi gratia formatione mentis, concipit lineam absque qualitate corporali, colorémq; absque figura, abstrahendo vnum non cointellecto altero.

*Caput nonum. Epilogus prædictorum, quòdque res quædam materiales: quædam immateriales: atque hæ adhuc bifariæ.*

HActenus igitur probatum, quòd animus ad intelligendum non indiget vllatenus organo corporali. Siquidem essentia (suapte in eo opere) sibi sufficit. Item dictum quomodo intellectus particularis iudicio euadit similis vniuersali, qui vt pridem, expositum, habet insitas formas omnia continentes, quapropter non indiget adminiculo quopiam exteriore. Neque speculatur quicquam nisi essentiam propriam semper, autorémque suum influentẽ atq; ita etiam intellectus particularis cùm attigit formas entium depuratas à materiis, non amplius indiget adminiculo exteriore, & tunc sibi satis est ad operandũ ex se, ad quod sciendum quòd rerum quędam sunt materiales absolutæ, quales sunt quæ ab intellectu definiũtur per materiã conacceptam, verbi gratia simitas quę inseparata naso essentia, & definitur quod est depressio seu cauitas extremitatis nasi. Sic etiam par & impar quæ definiuntur per numerũ, & similia, quæ intellectus non speculatur absque proprio subiecto definitioni addito. Rerum autẽ quædam sunt immateriales, atq; hæ rursus duplices, quædam enim sunt separatæ à materia in essentia & existentia, sicut autor primarius spirituũq;, qui omnino sunt alieni à materia, neq; vllatenus participes eius. Quædã verò sunt quidem separatæ à materia in essentia, tamen sunt inseparatæ in existentia, quales non admittunt subiectum in definitionem, sed enim intellectus eas verè considerat absque illo, ideóque talia entia nominata sunt vniuersalia, vt (verbi gratia) soliditas: superficies, linea, punctum, numerúsq; simpliciter. Quanquã enim horum singularia sint coniuncta materiæ, vniuersaliter tamen intellecta carent illa. quæ cùm ita se habeant. nihil impossibile quòd intellectus contemplãdo ea, materia (per abstractionem nudata) siue at-

tingat organo corporis etiam materiali. Iámque probatum est, quòd duæ sunt operationes propriæ, ad quas exercendas illo nequaquam vtitur. quod autem est tale, dictum quoq; est, quoniam exístit incorruptibile. Pridem etiam respondimus satis opinantibus, animum esse corporeum. Nunc autem dicimus rursus, quòd si animus foret corporeus, indigeret organo corporali. Quare cũ nonindigeat tali, non esse corporeus hinc etiam verè cõcluditur, ac rursus si non est corporeus, non indiget organo corporali, quoniam omne indigẽs organo corporali ad operãdum est corruptibile, & quod non est corruptibile, non indiget ad operandum organo corporali.

*Caput decimum. quòd animus non est corporeus, ratione intellectionis.*

RVrsus vna ratio impræsentiarum existit quòd anima rationalis non sit corporea. Quoniam plane, si foret talis quando intelligeret, aut quidem intelligeret per pauciores sui partes, aut plures: aut omnes. Et si profecto animus intelligat per pauciores partes vel plures, reliquæ insciæ cessabunt, quòd si dicatur animum intelligere per omnes partes, non autem altero ex superioribus modo, adhuc necessum est quòd vnaquæque pars intelligat quod altera, quare sequitur quòd anima vnica intelligat aliquid vnicum pluries in infinitum vsque, quod est falsum. Item quo modo animus indigeat omnibus partibus ad intelligendum: quoniam si corpus cognoscat, non nisi per contactum cognoscat, igitur pars extrema animæ contingens rem, intelligit sola, & sic reliquæ



liquæ omnes non intelligunt aliquo modo cum non contingant. Quod si iterum dicatur, animam esse perfectionem quæ cognoscit per plures sui partes. Respondemus quòd id est falsum, quoniam quando cognoscimus aliquid vnum, non cognoscimus illud per multas partes. Etenim variæ potentiæ considerantes cognoscunt res diuersas essentiis, vt tactus & visus, quorum vnius obiectum, est aliud ab obiecto alterius. Ac tactus quidé cognoscit plura (sub suum ambitum) cadentia, visus. Item comprehendit diuersa sub vna ratione sentiendi propria. Amplius si animus intelligat cõtactu partiũ quarundam, si contingat partẽ corporis minorem, non intelliget eam, cùm ipsa sit maior, si contingat maiorem, non etiam intelliget hanc cùm sit minor, sic námque deficiet à cõprehensu, hoc autem est falsum, quoniam anima intelligit pariter maiorem: minorémq; ex partibus. Quare concludendum quòd animus non est corpus, iámq; huiusmodi opinionis assertoribus (quòd animus sit corpus) satis contradiximus per demonstrationes plurimas in opere nostro de anima.

*Caput vndecimum. Quòd anima rationalis non est corpus simpliciter neque subtilissimum.*

SI quis adhuc pertinaciter asseueret animũ siue animam rationalem esse casuram sub corruptionem, quoniã est corpus tenuissimũ omnium, considerandum id, oportunéque vestigandum imprimis, an ipse animus sit corpus simpliciter, & quanquam iam satis (antea) hoc factum sit, tamen per alias rationes nunc

etiam probãdum. Animus igitur si est corpus, proculdubio est quoq; cõpositus & cõtinuus, cum omne corpus verè sit huiusmodi. Quãdo autem animus sit compositus continuusque, non est ambiguum quin sit dissolubilis ac diuisibilis. Et quanquam fuerit summe tenuis, conspiceres tamen eius resolutionem, quam oporteat fateri. & quoniam sicut vita ex anima, quatenus est anima, necessarium est quòd vita non separetur ab anima, ita etiam si anima foret corpus, secũdum quòd corpus, oporteret profecto quòd omni corpori ineslet vita inseparabiliter, quod est falsum, cum aliquod corpus (& quidem inseparabiliter & naturaliter) sit viuens: aliquod autem non, præterea omne corpus aut est compositum infinities ex corporibus aliis, subinde in infinitum succedentibus subalternisque, ac tale esset infinitum indefinitúmque, ideirco etiam incognitum, animã autem experimur esse cognita, definitámq;, quare nõ est corpus huiusmodi, aut itẽ corpus est finities compositum. Vnde peruenitur ad vnũ primum simpléxque tale, quo non est corpus prius neq; simplicius, & hoc est verum, siquidẽ ponimus elementa vt ignem, aërem, aquam, terram: nec enim aliqua ratione cogimur, in corporum resolutione compositorum, procedere in infinitum, absurdum autem est quòd anima sit aliquod corporũ huius generis simplicium. Siquidem tale foret viuidum perenniter ac naturaliter, & inseparabiliter. Atque consequenter apud sic opinantes, nõ esset simplex, neque posset ingredi ad compositionem mixti. Et si quibusdam videtur, quòd elementa habent animam, illa est aliena aduentitiáq; eis



eis. Cúmque sint viua, vita illis est accidentaria, non autem naturalis, alioquin forent inalterabilia, sicut corpora cælestia viuentia, quæ habent animam à nullo alio corpore, sed ipsa infundunt aliis. Quod si aduersarij idem dicant præter corpora simplicia à nobis posita, esse alia etiam, dicimus id non esse verum, vt iam probauimus per demonstrationes sufficturas in libro de cœlo.

### *Caput duodecimum. Quo modo corpora simplicia & mixta omnia sunt animata.*

SI forte quisquam aduersus animationem elementorum hic permissam nuper, obiiciat, asserés quod corpora prima simplicia nõ habent animas, neque vitam seorsum, sed cùm sint viua & animata sunt talia, postquam temperate commixta fuerunt. Refellimus dicétes, quòd si ita foret temperata mixtio causa vitæ mixti, corpora in seipsis inanimata forent partes corporis animati, quod corporibus cõpositis non conuenit. Quare omnia corpora simplicia sunt animata & viua, & ex consequenti non existit mixtum, quod non sit hac ratione etiã animatum. Huius autẽ causa est, quòd verbum creans animas, idem format ex materia corpora sicut antea formauit materiam ex nihilo. Atque huiusmodi verbum non agit in hoc mundo nisi cum intellectu agente & anima, quæ quatenus insigniens materiam nouauit elementa, verbum ipsum agit naturaliter per istam animam, vnde fit vt non sit corpus simplex neque compositum, quin habeat animam & vitam hoc modo. Rursus

si dicat quis, quòd elementa non sunt ita animata, sed propter vnionem compositionémq; corporum indiuisibilium quorundã, dicimus id esse falsum & impossibile, quoniã omnia huiusmodi corpora indiuisibilia (qualia illa opinio ponit) sunt dispositionis vnius ac rationis, videlicet quòd nullum eorum est sensitiuum neq; patibile, quare cùm ita sit quomodo possibile est quòd ipsa simul vniantur cõponantque aliquid aliud. Siquidem compositio totius ac vnio partium fit per mutuam alterationem corporum diuisibilium, præterea subdimus quòd nullatenus fit corpus ex vnione corporum indiuisibilium, quoniam ex indiuisibilibus non constituitur diuisibile.

*Caput decimumtertium. Quòd anima non est corpus, quia omne tale est compositum ex materia & forma, sed quòd est forma eius. Aliisque de rationibus.*

Asserimus quoq; quòd omne corpus, licet etiam sit simplex tamen componitur ex materia & forma. nec potest dici habere vitã per materiã, quoniã materia non est qualitas, ea propter reliquum est vt habeat vitã per formam, idque etiã optimè conuenit. Siquidè corpus fit tale aliquid disponiturq; secundũ formam, atq; idem illi contingit per animã, quòd cùm sit ita, quid est hæc essentia animæ, si námq; dicatur forma, sapienter dicitur esse secundum rationem pars compositi non ipsum totum. Quare tandè anima nõ est corpus, sicut nõnullis ex sermone videbatur. Quod si obijcerent aduersarij, quoniã experimur quòd nõ nisi simile cognoscit aliud simile, anima autè cõsiderat corpora, quare sequitur quòd sit corpus



pus saltem subtile: immixtúmq; licet compositum. Respondemus quòd hæc ratio nihili est, quoniã omnis cognitio fit à quodã agente. Et quælibet sensio atq; eruditio est quæpiam passio. Porrò simile non patitur à simili. Nec.n. albedo vna patitur ab alia, sed à dissimili, qualis est nigredo aut color alius. Item sensus sentiendo non fit similis sensibili, alioquin oculus videndo albedinem fieret albus, vnde sentiens atq; ita etiam sciens non patiuntur à simili, sed recipiunt perfectionem à rebus ipsis. Quare non necesse est, ob id quòd anima cognoscit corpora, quòd etiam sit corpus. Amplius ad rationem quæ prius est, quòd cùm anima fiat cõmixtione corporum indiuisibiliũ, videtur esse corpus pariter. Respondemus id non sequi, quandoquidẽ anima nõ fit ex ipsis corporibus commixtis, vt sui partibus, neq; à commixtione vt agente, sed tantum fit in commixtione, id est hora commixtionis, proueniẽs ab extrinseco autore. Præterea, erratur asserendo animã esse corpus, quatenus sequitur ipsam (quæ tam nobilis est) fore lõge ignobiliorem, siquidem qualitas essentialis est forma, corpus autem est materia quadamtenus, huiusmodi autem forma est certè nobilior tali materia. quæ est auctilis: diminutilisque, resolubilis, & mutabilis, sed & alterabilis, forma autem substantialis permanet in statu suo eadem inuariata immutatáq; à principio existentiæ apparẽtis in materia ad finem. Adhuc autem si insistatur rationi iam factæ, quòd anima est corpus, quia cognoscit corpora. Respondemus hic etiam retorquendo, quòd si hoc foret cùm nõ cognosceret nisi ratione corporalitatis, tunc

anima solum cognosceret corpora, quare nescíret multa alia, non autem ita est, siquidem intelligit plura incorporea, iámque probatum ante quòd cognoscit corpora per aliam rationem quàm corporalitatis, item si anima foret corpus compositum ex corporibus, á quo natura agente alio fuit ita composita, impossibile proculdubio namque est aliquid esse causam suimet effectricé, alioquin foret prius & posterius se ipso, causáque item faciens corpus est alsena à corpore, qualis prima est nobilissima omnium, nullaq; in hoc orbe est nobilior anima, quapropter anima est illa quæ agit corpora, quòd cum sit, igitur ipsa non existit corpus.

*Caput decimumquartum. Quòd anima non est figura neque complexio corporis.*

AMplius cùm dictum est à nonnullis, quòd anima est figura corporis, sequitur quòd plures animæ formentur in vno animali. Siquidem illi insunt plura membra. Quorum vnumquódq; habet figuram propriam differentẽ à figura alterius. Et si ab aliis asseratur, quòd anima sit complexio, pariter eõtingit quòd in vno animali existãt animæ multæ, hoc autem est falsum, quoniam singulum membrum pariter sortitum est complexionem peculiarem diuersam à cõplexione alterius. Si vero ad id euitãdum aliter dicatur, quòd anima quidem est complexio, nõ autem membrorum sigillatim, sed totius corporis, ad hoc succedit, quòd quãdo corpus ipsum deficit, etiam anima deficiat, rediens ad errorem ac ignorantiam, & (vice uersa) nos aut contrarium euentum experimur,



mur, videlicet quòd corpus labitur in defectum, animus constat superstes incolumis, immo euirato, infirmatóque corpore animus roboratur, ideóque conspicimus animos decrepitorum & seniorum esse perspicaciores actiuiorésque, quorum tamen euidenter corpora sunt imbecilliora.

*Caput decimumquintum. Quòd anima non est simulacrum expressum à materia, quódque iterum non est corpus.*

FOrte autem ponent altqui, quòd anima est simulachrum à materia expressum, quòd si contingat, dicimus id esse falsum, quoniam materia profecto nequit formare essentiam animę, neque anima potest vllatenus profluere ab essentia materiæ: ac proculdubio qui ponit materiam emittere substantiam animæ, quã prius in seipsa continuerit, is constituit quoque omnia corpora esse naturaliter animata, quod est præter quãlibet naturã corporalitatis & materiæ, quam impossibile est non esse potentiã receptiuã alterius perfectionis, qualis nõ est nisi forma. hæc enim existit lumen seu actus potentiæ rei cõpositæ translatæ ab vno cõpositionis statu ad alterum. Iterum autem anima non est corpus, quoniã impossibile est corpus simplex vel mixtum esse firmum, siquidem omne tale est natura dissolubile ac reuersile in materiã, ex qua vna, composita constant omnia corpora quatenus sunt corpora: ac vt si omnia corpora forent inanimata perirent corrumperenturq; in nihilum redacta, ita etiam si anima foret corpus aliquod, quale opinati sunt, quidam, omnes animæ pariter deficerent. Præterea

anima non semper obsequitur naturæ corporis ac materiæ, immo illis aduersatur renititúrque, id autem apparet, quoniã anima defecto vno corpore generat aliud reconuertendo formam vnam in materiam, alioquin cessaret generatio successiua aliam fingendóque, quare anima neq; est corpus: neque materiæ corporis simulachrum. Adhuc cùm vniuersus mundus positus sit esse corpus vnum animatum, si anima quoque ponatur esse corporea, nomine tantum ipse orbis erit animatus: re autẽ amouebitur ab eo, anima namque si foret ita, cum omne corpus sit resolubile ac ob id corruptibile, anima talis naturæ corporeæ, erit etiã resolubilis corruptibilisq;: quare vniuersus mundus deficiet corruptione, incœpítque generatione, quod est falsum vt pluries probatum.

*Caput decimumsextum. Quòd anima non est corpus subtile neque crassum, vniuersaliterque nullius generis.*

QVonam modo enimuero contingit animam esse corpus? quando huius generis quodlibet, siue crassũ, siue exiſtat subtile, vt (verbi gratia) ignis quo nullum corpus est subtilius neque fluxibilius, dein aër est dissolubile, & quamquam ignis & aër, sit corpus fluidum celeritet, ac rarum, nihilominus est compositum, quare nequaquam conuenit animam esse alterum tale corpus, ac tanto magis dedecet animam existere corpus defectum & ignobile, quale est crassum. Siquidem anima cùm sit dignitate prior omni corpore, vt causa, tanto magis supra naturam corporis densi erit. Rursus vniuersaliter quodcunque corpus



corpus tum densum: tum etiam tenue sit, est vnum, neque tamen ex se, sed per animã ipsam, quanam ratione & enim corpus sit vnum ex se, cum natura sua sit dissolubile, vnde si anima non vniret & cõtineret in vnitate illud, dissepararetur: dispergeretúrque, idcirco quali nã pacto continget? animam esse corpusculum igneum vel aëreum, quando (vt dictum) id est dispersile, quod autẽ non est ex se vnum neq; potest se vnitum continere, tanto minus vniet continebítque aliud, qualiter igitur possibile sit? quòd ignis sit anima nec habeat rationem proprietatémve animæ. Præterea mundus corporeus factus est non contingenter: neque à casu: sed à verbo spiritali intellectiuo subtilissimæ incorporalitatis, & summi magisterij, atque anima intellectualis est quæ ab illo verbo vim acceptam huic mundo postea infundit, ac sicut corpora apud nos viua durant firma, donec anima illis inest, quando autem anima ab eisdem recesserit moriuntur, corrumpunturque: sic vniuersum corporeum, quatenus perseuerat in eo semper, anima semper quoque constans manet. Quod si autem anima ab eodem separaretur, desineret neque persisteret in statu suo vllatenus. Atque huius quòd oporteat (ante corpus generaliter quodlibet simplex, vel mixtum) esse animam quandã, & testes sunt ipsi corporalitatis animæ, dein positores, veritate coacti, reque ipsa impulsi, sed postea veritatem peruertentes asseruerunt animam esse spiritum igneum, hanc enimuero posuerunt animæ epitheticam rationẽ, quia perspexerunt quòd non contingit potentiã nobilem (qualis est anima) esse igne inferiorem, ac

conopinati sunt quòd impossibile sit animam esse absque conceptaculo quodam in quo consistat. Quare ex iis suppositis collegerunt animam esse spiritum igneum seu flatum aëreum maxime, quoniam vnum tale corpus est omnium subtilissimum alterum secundò, porrò iis opinatoribus consequens erat ad confessionem primam dicere, corpus quidem seruari per conceptaculum, seu contentorium in quo sit, sed animam esse tale illius contentorium, non (vice versa) corpus animæ, pérque animam consistere corpus, siquidem ea est causa corporis, causa autem sibi suapte essentia sufficit, neque indiget ad existendum causato, sed enim id verè indiget causa ad existẽdum, persistendúmque.

*Caput decimumseptimum. Quod anima non est spiritus ætherius, rursúsque quòd non est corpus generaliter.*

AMplius veteres alij consulti de anima quidnam sit, cum respondissent quòd est corpus, neq; postea tueri possent quòd sit contermina cuipiã noto corpori, conati defendere quòd prædixerant, procedentésque vlterius posuerunt animam quidem esse corpus, sed aliud à manifestis, quale sit actiuum valde, nominarúntq; spiritum, errauerunt autem, siquidẽ spiritus est alienus ab anima, cum dicamus, omnes spiritus alios qui sunt plures, non esse animas. Quod si illi respondeant, quòd anima est spiritus potentia alterius animæ, querimus quænam sit hæc potentia, an videlicet sit corpus quodpiam, anue sit qualitas in corpore. & si primum detur, sequitur quòd anima non sit spiritus, qui est potentia talis, iuxta rationes prius excogitatas, quod si ponatur secundum (cum qualitas sit prædicatum) atque id non est materia, cum omne prædicatum sit in subiecto corpore, anima igitur existet naturæ alterius quàm corporalis, ad cuius confirmationem rursus asserimus impossibile fore, vt anima sit corpus qualecunque siue crassum siue tenue dicatur, aliunde modo probantes, atque ita quoniam omne corpus est aut calidũ, aut frigidum, humidum aut siccum: rarum aut densum: nigrum aut album, mediumve. Et si corpus sit calidum, tantum calefacit, si vero frigidum tantum frigefacit. At si fuerit leue, leuiat, si graue grauat, si vero existat nigrum, nigrat, siquidem album, albat. Nec enim frigidi est calefacere, nec calidi infrigidare, atque ita omne corpus se habet, quod quatenus est corpus, non agit nisi vnum opus, ex altera vero parte experimur animam exercere varias operationes: quapropter hinc discimus quod essentia animæ est alia à substantia corporea. Atque ob hæc nemo istud potest inficiari.



*Caput decimumoctauum. Quod virtutes insunt intellectui agenti & Deo, & quo modo.*

QVoniam anima in hoc orbe infimo insignitur quibusdam virtutibus, mundus quoque intellectualis non caret talibus, verbi gratia rectitudine ac iustitia. Etenim quotiescũq; libet inquirũtur huiusmodi virtutes, quare nihil ambiguũ quod non insit alicui alteri

substantiæ, alioquin cur anima optaret rem impossibilem? & quæreret nunquam inuentilem desideraretque habitam, cum autem alij inexistant, intellectui agenti certe sublimiori nobiliorique inexistunt, qui eas immittit animæ seipsum contemplanti, suspendit autem in fluxum auersum ab ea ad sensum conuersa. vn de anima superstes relinquitur in statu vili ac humili, ille intellectus porro semper seruat hæc insignia, quoniam nunquam discedit à speculatu autoris primi, nec enim aliquid interrumpit, cum sit proximus verbo eius. Neq; vero tantum semper insunt eidem huius generis virtutes, quinimo summa cum rectitudine insunt, nec enim defectum patiuntur, eum ab ipso autore principe immediate proueniant. Quando intellectus agens item illas susceptas, ipse dein exprimit iuxta modum quo infusæ sunt. In primaria autem essentia sunt adhuc excelsioris speciei hæ virtutes, quoniam illa est earum effectrix. Neque vero illi insunt vt instrumento, sed vt autori, neque insunt vt alteri, immo, neque dicuntur inesse, nisi quia ab eo profluunt vt effectus, & id fit incessanter.

*Caput decimumnonum. Qualis Deus sit, quique sit ordo entium secundum nobilitatem & conseruationem.*

AVtor primus, neque quiescit, neque transfertur, siquidem est supra motum & quietem, vt pote effector motus & quietis, sed enim est essentia, ex qua emanant reliquæ essentiæ & dignitates in infinitum absque delatione & incessanter, ac ob id proprie est supersentia. Inest quoque singulis entibus, iuxta capacitatem vniuscuiusque speciei, formatenim eorum essentias secundum conditionem opportunam, siquidem intellectus agens accepit essentiam nobiliorem quam anima rationalis, atque hæc quam cœli, isti autem quã corpora mutabilia, quoniam quanto productum fuerit distantius, perque plura intermedia, tanto erit essentiæ acceptæ ignobilioris. Autor enimuero primarius existit immotus in essentia, nec est propriè perpetuus, neque temporarius, neque locatus. Immo perpetuitas, tempus, & locus existunt persistuntque ab eo. Et sicut centrum circuli existit in seipso, lineæ autem ductæ ab eo ad circunferentiam, circunferentiaque ipsa cum punctis existunt in eo. Ita quo que essentiæ intellectibiles & sensibiles cunctę firmantur & consistunt in agẽte primo, à quo pendent, ad quod reuertuntur, ac quod appetunt. Atque nos redimus ad illud, vt lineæ à circunferentia ad centrum. Et si quærat quisquam, quali nam modo essentiæ permanent in autore primo? siquidem forma permanet in materia, & materia in forma, atque accidẽs in substantia. Respondemus quod permanens in altero est bimodum, quoddam enim sic permanet vt forma in materia, & accidens in subiecto, subiectumque in forma naturali, quoddã vero permanet in altero, vt in agente, verbi gratia lux in lucente, & radius in radiante, atque ita reliquæ essentiæ simplices permanent in efficiente. Ideirco intellectus agens permanet in autore primo, & in hoc eodem anima rationalis per ipsum medium intellectum. Anima vero sensitiua hominis permanet primo in corpore: secundo in intellectu agẽte etiam.

per intellectum tamen possibilem. Anima ité rationalis habet ius in animam vegetatricem, sicut in alias naturas.

*Caput vigesimum. Quæstio proposita, & vnde prouenit humana ignorantia, ac rursus quod animus, intellectus, & Deus non sunt corpora & quo modo fit sensio.*

SI quærat aliquis qui sit futurus status noster postremus? quando (vt nuper dictum) est, nos homines simus secundum animum ab autore omnium essentia prima, neque insint dignitates ipsius animi, nobis auersis ab eodem autore primo: ac intellectu agente, possibilique. Siquidem plures hominum sunt, qui carentes semper iis virtutibus ignorant eas, negantque auditas, putantes esse vanitates commenticias ficticiasque. Respondemus quod nobis ignorantia nostri, rerumque aliarum prouenit ex eo quod non ducimur nisi sensu ad discendum. Vnde explorantes sciendi gratia dicimus hoc experimur. Illud vero nõ, neque seponimus cogitationem, sed ex ea colligimus disciplinam, & putantes nos expertos omnia asserimus nihil esse quod non cadat sub sensum. Quapropter hinc coacti non ponimus intellectum tum possibilem tum agentem, neque autorem primum, neque alias similes essentias, & si de huiusmodi rebus conquisitus sit homini aliquis habitus persuasorius, putatur quod sit scientia, licet falso, cõiungit enim ipsas sensui, asseueratque animum, intellectum agentem, autoremque primum, esse corporeos. Virtutes quidem igitur seruantur ab animo, hic



hic ab intellectu agente, is vero ab essentia primaria effectrice. Atque animus profecto non est corpus, sed causa corporis, intellectus agẽs quoque essentiaque princeps non sunt corpora. Et iam prisci concorditer rationibus opportunis probarunt, quod animus dignitatesque eius non sunt corpora, quoniam non cadunt sub sensum. Quonam modo enim sint corpora? & nos declinantes ad sensum, per eum non percipimus animum neque illius virtutes? siquidem nos quandoque auersi à sensu conuertique ad animum profecto cognoscimus aliquid quod nunquam sensimus (verbi gratia) amicitiam inimicitiamve aliquorundã aliudve ac pariter etiam quoties licet sensui omnino incumbimus, non tamen per eum comprendimus animum eiusque dignitates, sed tunc solum quando sensus reculerit iudicium ad animum, atque ipse animus pertulerit ad intellectum agentem. Nec enim aliter possimus sensu aliquatenus percipere animum, quanuis actem sensus in eum primo verterimus. Sic nãque potentia animæ non sentit nisi iudicium à sensu primo translatum per medium animum ad intellectum agentem, ab hoc primo & tranquillo, vice versa sit relatum ad animum, ab animoque ad sensum, quale recipit pro capacitate (refert namque intellectus agẽs iudicium animo, nisi sit rei altioris, atque clarius quam ipsi animo conueniat, ac ita etiam animus sentiat, si hoc non excedat vim sensus.) Siquidem sensus denique non cognoscit vere aliquid per animum, nisi illud præiudicet intellectus agens supra animum ipsum.

*Caput vigesimumprimum. Quo modo Deus, intellectus: animusque intelligantur à nobis.*

QVisquis velit speculari animum & intellectum agentem: essentiamque primam, effectricem animi, ac intellectus, omniumque reliquorum entium, sedet sensus ad essentiamque suam reuersus interius in seipso enixe cõstat, atque ita percipiet id quod sensus attingere nequeunt, vt qui perceptiuus vocem lætificam, intentus illi auertit auditum ab omni alio sono, sic enim robustior vere sentit eam, & reliqui sensus pariter singuli intenti, vnico sensibili sincere comprendunt illud, sic igitur cupientem sentire animum: intellectumque & essentiam primam oportet (sepositio auditu exteriore) vti intellectiuo interiorique, & tunc audiet harmoniam sublimem, sinceram, illustremque & mirandam, & hilaritatem citra sanctitatem, immo subinde magis agnoscetque quod harmonia sensibilis corporalisque quod est similitudo illius supernæ, quapropter contemplatus homo illas essentias nobiles supernas, huiusmodi harmoniæ (pro facultate) didicit) autorem excelsum creasse omnia alia (per imitationes absolutas in seipso existentes) formata, quales etiã dein inseruit intellectui post se primo, medioque inter se ipsum & creaturas cum vniuersalitate intellectuali insigni ac perfecta & pura quidem, sed tamen figurata compressaque, quales adhuc, alias imitationes in animo speculatur, vt formas intellectuales, æmulas illarum vniuersalium intellectui agenti concreatarum. Atque ita vbi homo cognouit animi essentiam abstractione successiua procedens, peruenit ad autoris primi formam, ab



ab omni qualitate sensibili ac terminato insitoque vniuersali immunem, vnam ex illis quibus animus insignitus est, quæ est radix omnis formæ spiritalis ac corporalis abstractæ, idcirco, quod diximus, animus semper optat vt intellectus agens sibi infundat vniuersalia consita, quæ accepta dein animus immittit naturæ, ac sit forma materialis mundi cælestis, atque hæc rursus est causa formarum particularium: materialiumque mundi generabilis corruptibilisque, quales sunt minus illustres ac pulchræ, alterantur enim mutanturque propter dominium materiæ, in eas, cælestes vero effectrices sunt clariores, insignioresque ac sublimiores, neque enim resoluuntur, suntque penitus intransmutabiles, ob suum in materiam dominium, fictionémque eiusdem, sub illis, supra istas sunt essentiæ illę quæ suscipiunt formas supremæ puritatis: claritatisque & pulchritudinis, & quæ omnium contentrices: admirandæ ac sublimes nequeunt narratione ex primi, neque ab animo nostro (ob imaginationem) concipi. Siquidem sunt causæ harum formarum euidentium: cogitabiliumque apud nos existentium. Res autem in causa procul dubio est nobilior: & insignior quam in seipsa causata. Sic etiam formæ in animo sunt clariores excelsioresque quam in cœlis, propter depurationem ipsarum à materiis naturalibus quoniam fuerunt causæ earum, & rursus formæ ipsæ in intellectu agente vniuersaliores insitæque sunt honorabiliores, quam in animo & duplici de causa quam in mundo inferiori à nobis neque intellectu, neque cogitatu perceptibiles. Eapropter (vt prædictum) ant-

mus noster iugiter desiderat immissionem huiusmodi formarum, ab intellectu agente ob eius celsitudinem essentiæ, quatenus is creatus est vt primum simulacrum expressium, insignitumque autoritate influxus in animum, ac ita quoque animus supra naturam, propter primum assiduumque receptum influentiæ ab intellectu agente, ac in mundum cœlestem transmissiæ, quam deferunt ad nos in hunc orbem generationis & corruptionis planetæ, per suorum motuum varietatem, diuersamque inter se distantiam, contactumque radiis nostrũ, illorum enim lineæ variantur in terra habitabili vna cum formis propriis insignibus: simulacrisque mirabilibus imprimendis, quibus tanquam fundamine communis fulgentiæ conueniunt inter se, & stellæ erraticæ differunt ab aliis, ac in eo statu in qua pariter non aliæ terrestres formæ reperiuntur.

*Caput vigesimumsecundum. Quod formæ terrestres sunt sub ratione nobiliore in orbe supremo quam cæleſti, ac ſolutio quæſtionis propoſitæ.*

Sicut formæ terrestres sunt in orbe cœlesti sic in superno: sed adhuc sub specie nobiliore, pulchriore, illustrioreque non alterabiles: neque enim crassæ, aeque turbidæ, verum in summa puritate, ac dignitate, & lumine: vnde nemo potest has intelligere neque cogitare iuxta eum statum in quo ibi (quanquam vere & proprie) exist unt, nisi secundum quod reuelatæ fuerint, ad essentiam veram, nanque earum nos non promouemur hic ob dominium materiæ in nos, quod sit propter vnionem animæ rationalis cum sensuali, & huius cum vegetatrice, istiusque etiam cum corpore alterabili,



bili, ac pleno qualitatibus minimis, impuris & turbulentis, at cum animus noster dissolutus ab iis impedimentis mundatus sit, apte ascendet ad verum statum formarum illustriũ, coniungeturque animæ & intellectui vniuersali, cum prius susceiperet particularia in orbe generationis, magis minusque, neque tamen absciss. vniuersalitate, quoniam hæc est essentialis animæ rationalis hominis, vndepuer discernit honestum ab inhonesto, vi rationatrice de illis colloquens, noxiumque ab innoxio: discernit enim benefactorem à malefactore per sensum. Quare iam patuit quod diximus, quoniã autor supremus creauit hunc orbem, vt exemplar idoneum suæ excellentis sapientiæ, administrationisque & artis, eique imposuit formas nobiliores, mirabilioresque quam sensibiles, quæ sunt illarum simulacra, nobisque indicia quædam. Et insigniuit nos exaltatos intellectu possibili ad huiusmodi formas supremas pene trandum, atque vbi agnouit talem intellectum esse formam animæ sensualis vt visum oculi, huiusmodi corpus mixtũ delectum nobis tribuit, animumque nostrum directum in eo collocauit, ad constituendum vnam substantiam discernentem sensibilia & intellectibilia, bonumque ac malum perfecto: secundum liberum arbitriũ, & experimẽtũ: explorationemq; vtriusq;. Alioquin enim homo si non ei adesset huiusmodi corpus, neq; anima rationalis vniret sensitiuæ, non vere discerneret essentiã boni ac mali, sed tamẽ vt auditus tali: plata non explorata, idcirco noster animus (quatenus affixus est huic corpori, appositisq; sensibus, quibus coactus seruit) cognoscit entia vtrisq; orbis,

perfectusque ob id dominatur rebus cunctis huius mundi à quo digressus speculabitur veritatem illius superni, existetque immortalis, fœlix, dominusque orbis, qualis status est beatitudo magna, & absoluta animis humanis.

# LIBER TERTIVS-DECIMVS.

*Caput primum. Quale ens sit intellectus agens: & quo modo creet plura entia, cum sit ens vnum inuariatum.*

ENs vnum absolutum est causa omnium aliorum creatorum, neq; existit in aliquo eorum, nec est aliquid simile illis, est autem causa omnium aliorum entium creatorum quatenus sunt entia, siquidem omnia talia procedunt ab illo, vnde potius essentiæ huiusmodi rerum existunt firmiter in eo, ad illudque reuertuntur. Ipsum quoque existit essentia absoluta, vtpote causa vera causarum, creaturaque princeps. Quod si quærat quispiã quonam modo contingit creaturas alias plures & varias fieri ab hoc vno simplici inuariato impluificatoque? Respõdemus id esse, quoniam tale ens vnum absolutum continet vere omnes alias creaturas, quoniam ipsum creatũ est ab autore haud post aliud præexistens creatum, idcirco etiam est illi proximum: quare intuetur ipsum autorem primariũ, atq; ex consequenti habet actionẽ etiam illi proximam, atque ita emanarunt ab hoc ente vno absoluto omnes aliæ creaturæ quatenus ipsæ nõ existũt essentiæ



essentiæ pariter absolutæ. Dico autem rursus breuiter quod non fiunt talia plura ab eo nisi secundum quod cognoscit omnia illa speculationi obuia, quapropter emanarunt ab ipso vt prius in eodem fata, autor igitur ens primariũ. Idem quod verbum creauit mentem seu intellectum agentem proximum, ab hac mente postea fluxerunt omnes aliæ creaturæ mundi tum superioris tum inferioris.

*Caput secũdum. Cur intellectus agens est perfectus & impar Deo, item cur Deus est supreme perfectus, ac quo modo sit verũ ordinata productio.*

ENs vnum absolutum existit perfectum & purum: mundus autem sensibilis imperfectus: impurusque, vtpote productus ab eo, fuit autem intellectus agens, quod est ipsum ens vnum absolutum, perfectus ac purus, quoniam creatum est ens vnicum ab ipso ente vnico vero, quale est supremum perfectione, siquidem hoc non indiget aliquo alio, nec enim consequitur quicquam ab eo. Immo propter summam perfectionem eius ac sufficientiam, potentiamque & maiestatem vnitatis, creatum fuit nouiter ab eodem aliud. Quamuis autem huiusmodi ens supreme perfectum, quia primarium, creat hoc aliud perfectum, videlicet intellectum agentem, tamen impossibile est ꝙ ens secundarium creatum sit par illi primario. Siquidem creatum semper deficit, neque vllatenus existit in pari gradu quali eius autor. est nihilominus perfectum in gradu suo perfectionisque aliud succedaneum, quoniam ens vnum verum quod est supreme perfectũ creando illud respexit sese ipsummet, habens obuiã speculationi propriæ essentiam suam veram

luce sapientiæ plenissimam. Intellectus agens autem creando intuetur verbum autoris proximum, intellectum agentem speculatur faciendo anima vniuersalis formatrix matérque omnium formarum, animam vniuersalem despicit natura effectrix formarum particularium in materia. Ens nanq; vnum verum creauit primo, intellectū agentem, vtpote essentiam proximam verbo proprio, atque is intellectus est ens primum receptiuum immediatum agenti primario, qui dein non producit aliquid, quia prius intueatur autorem suum vnum, à quo etiam determinatur vnus vnitate, licet partili, siquidem abstractili, nō tamen numeraria, sed neq; vnitate firma, quoniam intellectus agens speculatur plura ac etiam sensibilia, qualia animus, cui vnitas absoluta adhuc deest, quoniam considerat plura abstrahendo ens, vnum autem vere est causa tantum vnius. At vnum vnitate numeri vt trinarij imparis, & binarij partis, est compositum, idcirco posuimus ens vnū absolutum existere supra animum, atque esse opus Dei proximum, atque ita huius intellectus speculatio est ipsamet voluntas & essentia eiusdem, ac propter proximitatē cum Deo suam potest formare aliquid perfectius, aliúdque imperfectius ob istámque inæqualitatem status, pluralitatem consequentem, quàm producit non nisi essentia entis vnius absoluti (vt dictum) autori primo proximi.

*Caput tertium, cur intellectus agens producit intellectibilia ac sensibilia, & quomodo sit perpetuitas eiúsque appetitus prouenit.*

Ens



ENs vnum absolutum efficit omnia intellectibilia mundi superni, & sensibilia subterioris, propter assiduum influentiæ receptū, qualis perfectio immissa illi est infinita, nec enim habet repugnantiam, sed transmissa subinde ab intellectu agente in causatum succedens, nequaquam imitatur lucem illam sacram & bonitatem diuinam interminatam, propterea que huiusmodi causatum recipiens non est proximum verbo autoris influentiæ, quare intellectus agens transmittit vim finitam, per quam tamen adhuc potest consequi causato proprio votum perpetuitatis. Siquidem optimum proximum huic intellectui est incorruptibile omnino, essentiæque ob id potenter perdurabilis, vnde prouenit constantia & firmitas mundi vtriusque. Sic enim anima vniuersalis perpetuitatem optatam seruat, per huiusmodi potentiam immissam ab intellectu agente (& propterea quòd ille est Deo proximus) valida. Animæ autem tali non deest appetitus prouehens ad Deum, quoniam ad hunc producitur ab intellectu agente per influxum illuminationis instructionisque finitum, tamen ne stupefiat ac turbetur. Extendatúrve recipiendo illum, qui intellectus fuit promotus ad proprium quoque desiderium, ab autore primo, in quo fixi perfruendo obliuiscuntur ambo mundi vtriusque. Influxum enim uero ab intellectu isto ad desiderium spiritale excitandum, & consequendum impossibile est in fundi creaturæ per motum cogitabilem essentialiter, siquidem in huiusmodi motu ad nebulas tenebrásque crassas procliuante materia prædominata est essentiæ animæ, vis influxus

autem promouet ad votum, quando transfert ex vno statu ad alium, adeo quòd per eum motus cogitabilis in materia, fit insensibile, vt spermatis in radice mentulæ.

### *Caput quartum, cur cœlum mouetur à suis formis & cur perpetuo, & ob quem finem generationes fiant.*

SPecies rerum inter se constitutæ subiectis & ordinatæ secundum gradus differût per formas. Siquidem formę continent substantiã, secundum quietem cogitabilem, per quam cessant motus seruantúrque figuræ positum, sine illa enim fiet motus cogitabilis commiscẽs formas inter se, vnde sequetur corruptio rerum & ignoratio, quia igitur huiusmodi motus cogitabilis cessauit in cœlis, formę cogitabiles illis aptatæ sunt euidenter, & productæ firmiter manserunt, motus quoque circularis cœlorum perpetuatus est, quandoquidem etiam substantiæ ipsæ cœlestes semper seruantes motum inuariabilem, inceſſabilémque rexerunt, vt impressiones peractæ seruentur adhuc per virtutes earum ita transfusas: vtque formæ permaneant, quia ipsæ sunt vniuersalia compositorum, talium autem si variantur motus, vniuntur impressiones, quare etiam pereunt composita generata per illas, & sic desinet generatio, quando autem subinde perseuerant alterationes, & frequenter fiunt succedaneæ generationes & corruptiones, & operatione vniuersali ac desiderio pari, genitam insigniuntur coloribus spiritalibus. Corruptibilia etenim continent partes: quibus dominantur alterationes naturales variæ, quæ sunt causę generationum ac



ac corruptionum, per quas etiam natura imitatur, ordinem mundi spiritalis, atque anima redit circulariter ad illum, vt attingens autorẽ suum susciplat influxum verbi eius creantis.

### *Caput quintum, quod omne corpus est particeps boni diuini, & quomodo deus est vnus.*

NVlli corporis generi immo speciei, sed nec indiuiduo deest omnino bonum diuinum. Neque enim inest permanentia absque illo. Siquidẽ intellectus princeps seruat vniuscuiusque essentiam conuenientem, neque obliuiscitur eiusdem vnico momento, atque hoc sine auxilio alieno, quoniam est autor omniũ causarum, neq; vero vnitas numeralis est causa eius, neque ipse numeratur vllatenus. Essentia nanque illius non admittit aliquam diuisionem, qualis conuenit omnibus particularibus, quę sunt duplicis modi, quoddam est vnicum sub vna specie vt (verbi gratia) sol, luna, terra, aër, ignis: quorum singulum est vnicum essentia, specie, & loco, vt queat dici omnis terra est vnica, & sic de reliquis, quoddam aliud particulare est sub vna specie plurificatum vt pluuiæ, coruscationes & similia, vtq; aliæ stellæ ab erraticis, & denique omnia particularia compositorum generatorũ, sicut mineralium, plantarum, animalium: & numerus cuius species compositæ sunt, exempli gratia duo, tria, quatuor, sex: entia siquidem duplicantur diuiduntúrque, donec pertransis naturalia, & priusquam attingas finem spiritalium. Inuenis nanque duplicari semper habita, quousque peruenias ad intellectum creatione formarũ vnum

absolutum, quem deprehendes, esse talem vnitate diuisibili in plura contenta & insita. Nam duplicatur contractione ab autore suo successiua, & negatione ab excelsa eius vnitate, quando etenim ascenderis ad ipsum autorem inuenies illum esse vnum absolutissimum, transgressum omnino numerum. Nec enim diuiditur per imaginationem, sicut ens creatum, neque multiplicatur habitu formarum exemplarium, atque existit vnum separatum ab omni numero naturali & spiritali, cuius vnitas non apprehenditur nisi abstractione à signo simulacróque proprio, quod est opus eius expressum vt ab agente perfecto. Qui autem opinatur quòd autor primus est vnus, quoniam nō est duo, neque tria, nec aliter numeratum aliquid, incidit errorem maximum. Siquis enim consideret huius opinionis significationem, autor ita vnus numeraret se ipsum, neque numeraretur ab altero, quòd si foret, numeraret etiam cæteros numeros succedentes. Falsum est autem quòd autor supremus numeret seipsum, aut quicquam aliud. Siquidem si numeraret seipsummet, foret vnus vnitate numerali, & si numeraret aliud, fieret par numeri dupli aut tripli, quare esset pars eius media aut tertia. Autor igitur supremus est vnus vnitate abstractissima, intelligitúrque esse vnus non ex eo tantum, quia non numeretur aliqua specie numeri, sed quoniam non adiungitur ei aliquid vltraneum ipsi essentiæ, existitque abstractus ab omni pluralitate, multiplicatione néque numerali qualitercunque contingente creaturæ.

*Caput*



*Caput sextum, qualis existat series creaturarum.*

AVtor primarius vnus creauit ens vnū: stabilitáq; illud seruare substantias earētes formis apud nos: quare nequimus apprehendere earum essentias, dein per ipsum adcreauit formas primas habentes essentias absq; materiis, quamuis cogitatiua nō præcognoscat eas exemplo, citra materiā. Postea vero adhuc procreauit substantias naturaliter ormatas vsq; ad postremam generabilem. Intellectus igitur (post autorem) primus est principiū cuiuslibet entis alterius creati existéntisq; vbique seruat illa omnia. Atq; vniuersalis anima est principium omnis formæ spiritalis & corporalis, existens ipsa quoq; forma nudata à materia, sufficiénsque in se ob influxum receptū omnia speculari. Opus eius (quod est natura) apparet formatū in materia naturali. Postremo existūt artificia similia formatis naturalibus, quatenus constāt ex eis. Siquidem artifex facturus aliquid, indiget materia formata, ex qua faciat illud, quonā modo enim posset suspendere figuram artis in materia sine forma? aut forma sine materia? Hoc enim est impossibile, vt verbi gratia figulus figuraturus ollam aut fictile aliud vasculum, præconsiderans commiscet terram, & aptando operi, dein fingit ollam ipsam pro facultate. Postea etiam coquit ad durādam eam, neq; ambigitur quòd lutum sit materia ollæ, sic autem aër & ignis, ars igitur sic se habet. Anima vero vniuersalis nacta est potestatem faciendi formam in materia simplici ac informi naturaliter. Non enim contingit eā facere formas, aliter qua in huiusmodi materia simplici

præcreata. Intellectus agens pariter cùm sit opus proximum autori primario, speculando eum, habet potestatem perfectam, nouandi animam vniuersalem. Siquidem per essentiam nobilem imitatricem diuinæ producit animam rationalem à Deo tamen exortam, quoniam impossibile est quòd intellectus speculãdo nouet aliquid, quin similetur formæ optimæ autoris conspecti, cui est proximus, & per huiusmodi speculationem essentia vnius creati denudatur à specie insita alterius. Siquidem autor primus constituit intellectum agentem fore principium omnium aliorum entium creatorum, illorúmq; esse seruatorem, abstraxitq; à communione formarum variarum, formauit quoque animam vniuersalem, statuitque illam fore causam omnium formarum spiritalium: ac corporalium & abstraxit ab vnione materiæ, vt assimilaretur creaturæ principali, indidit tamen illi desiderium assiduum formandi materiam antiquam informem, vt perpetuo reciperet eius influxum, deinde vero creauit cœlum ac terram, & quæcunque ex generibus speciebus & indiuiduis, vt sunt materiæ formatæ & formæ materiatæ, quę sunt mediæ inter formam & materiam (vtque iam probatum) sunt principia compositorum, non compositæ ipsæ.

### *Caput septimum, quomodo intellectus agens fit à Deo, ab intellectu agente anima, ab anima natura.*

AVtor princeps est ens vnum verum vnitate qua diximus, dein autem propter maximam immediatámq; propinquitatem intellectus



lectus agentis cum verbo autoris sui, ipse etiã intellectus est essentia absoluta vna vnitate absoluta, ab essentia vna vnitate absolutissima. Siquidem hęc essentia, contemplãdo vnitatem suam absolutissimã & veram formauit intellectũi agentem, & formando huiusmodi creaturã primam, cõtemplatus est vnitatem ipsam propriam, quapropter intellectus factus est absolutus, & creatura princeps, cui adhuc ipsum ens vnũ vere infundit vires plurimas & maximas, ob quas habet potentiã seruandi alias substantias creatas, quoniam etiam creatus est ab eodem ente vno vero, vt essentia immota absolute, ac dein ipse procreauit animam immotam, quę cùm fuerit causata ab intellectu creato, non fecit opus immotum æqualiter, sed totum mobile, quod simulacrum dicitur, ideoq; alterabile & infirmum, nec enim motus cadit iu rem æternam, alioquin opus foret melius operatione, quod est absurdum valde. Anima enimuero factura aliquid opus, speculatur suũ principium à quo roboratur illustratúrque, & recipiendo illud mouetur sursum: faciendo autem simulacrũ mouetur deorsum, qualia sunt sensibilia & naturalia, verbi gratia elementa: & plantæ atque animalia. Ac inter huiusmodi substantias ita prænumeratas, nulla posterior existit sine priore, pendet enim ab ea, sic nanque generabilia pendent ab anima humana. Siquidem hæc expanditur in omnes substantias inferiores, vt plantas quarum natura existit opus eius, vt ad quas descendit, figuras impressura secundum desiderij impetum, progrediens vsque ad particularia & ignobilia, anima igitur (quatenus est simulacrum intellectus

agentis)non auertitur ab intuitu in eum,aliter tamen auersa descendit ab illo bono principali creato donec attingit infimum, & ob id relinquitur eriã ab eo. Et quãquam adhuc faciẽ talia,agat aliquatenus,bona:sunt tamen hæc ignobilia comparata ad entia superna mundi intellectualis. Anima autem operatur hæc obsequendo appetitus sensitiui voluptatibus, apud quem particularia sunt bona, vtpote illi contermina,simile enim lætatur ex suo simili. Penes vero intellectibilia maiota excelsaq; talia infima & minuta sunt ignobilia.

*Caput octauum,quod anima constituit gradus rerum,quòdque omnia reuertuntur ad Deum.*

ANima quãquã fecit naturalia sensibiliaq; simul contermina,constituit illorũ singulis gradus proprios,secundum rationem rectã, quare tamen non potest transferre rem vnam à gradu statu ad alterius, ac licet omnia naturalia facta sint bona & in ordinem digesta,tamen eorum series est infra ordinem intellectibilium supernorum & nobilium,qualia impossibile est cadere sub defectum, cùm sint recta semper, siquidem profluunt ab autore principe,inferioris autem ordinis entia patiũtur defectum,quoniam producta sunt ab opere intellectus agentis videlicet anima, cuius pars vegetatrix (vt plantaria) est ignobilior,siquidem ignorantior, quare descendit donec insit corpori cuidã minimo & vili,pars vero quæ inest bruto, est nobilior vegetatiua, quoniam est sensualis,pars autem quæ inest homini est adhuc honorabilior sensitiua, immo honoratissima,



sima,cùm sit cogitatiua & intellectiua, vtque eius sensualis est affinis intellectuali, sic etiam vis progressiua, vtraque enim directione intellectus vtetur. Porro animæ plantariæ virtus maxima subsidet in radicibus. Cuius argumentum, quòd incisso ramusculo verticali vel ramo brachiali, nequaquam arbor aresci, excisis autem radicibus moritur,quod si quispiam hic quærat an ipsa anima plantæ (excisis radicibus) separata corrumpatur? dicitur quòd redit ad regionem propriam (quæ est in orbe intellectuali) à qua nunquam amplius recedet, sic etiam quãdo corrũpitur in bruto quopiam anima sensualis, peruenit ad mundum intellectualem, siquidem intellectus est receptorium animæ, à quo nunquam deinde abibit,alioquin anima non foret alicubi, quod si detur, igitur erit sursum ac deorsum, & vbilibet citra diuisionem, neq; vero diffunditur vt ens vniuersum, alioquin occuparet omnia loca,Neq; item anima ascendens peruenit ad supremum orbis intellectualis, sed enim subsistit in confinio vtriusque mundi,vt substantiæ fere media inter sensuales & intellectuales, ac rursus si libeat cito facilius descendet ab illo orbe superiore in hunc inferiorẽ,quàm ascendat ab hoc ad illum. Intellectus agẽs autem & anima,cæteraq; substantiæ intellectibiles perpetuæ,idcirco non corrumpuntur,quoniã fuerunt creatę ab autore primario,absq; pluribus mediis. Naturalia autem & sensibilia alterãtur corrumpuntúrque, quia sunt facta à pluribus interçausis causatis,videlicet intellectu & anima. Quorum tamen naturalium quædam sunt longeuiora quàm alia, atque hoc secundum

distantiâ maiorem minorémve ab autore primario: & secundum numerum plurem pauciorémque intercausarum. Cuius enim media sunt pauciora est longæuius, cuius plura, est breuius. Atque vnum etiam scitu, est oportunum, quòd naturalia omnia sunt inter se quædam pendentia, vnius ab altero ordinata: quorum quando corrumpitur posterius, reuertitur ad proximum prius, donec perueniat ad cœlos: deinde ad animam vniuersalem, postea ad intellectum agentem, quo omnes aliæ creaturæ existunt, quique existit in autore principe, qui est verbum creans ad quod omnia tandem reuertuntur, sicut pluries repetiuimus, ab illo enim creata sunt in illoq; persistunt.

# LIBER QVARTVSDECIMVS.

*Caput primum, quod intellectus agens & anima vniuersalis creantur in momento, quòdque non sunt potentiales.*

OMNIA alia entia creata (vt prædiximus) consistunt in intellectu primo, quem autor princeps fecit constituitq; principium illorum, & pro autorem substantiarum multiformium. Insciitq; idem autor primus rationes formarũ animæ vniuersali, quas & intellectum in suo gradu perfectos non successiu temporario, sed vnico momento produxit in actum, nunquam autem intellectus agẽs & anima



& anima vniuersalis fuerunt prius in potentia quàm in actu, quoniam Deus perfecit illas essentias absolutas, vtpote futuras causas reliquarum creaturarum, falsum adhuc & impossibile est q; intellectus agens præfuerit in potentia ob hanc rationem q; non minus continet non ens quàm ens, cum sit substantia effectrix vtriusque quod est essentiæ potentialis, quoniã si ens dicatur forma materialis, & compositũ ex materia & forma non ens autem materia informis, quódq; horũ trium non superfit medium. Intellectus non est aliquid ex iis, si nanq; foret ens ita dictum, sequeretur quòd aliud tale ens foret prius intellectu sine quo non existeret quare non esset vnum absolutũ. Quod si detur vt intellectus sit non ens sic appellatũ, non tamen separaretur ab aliquo illorum duorũ, quod si contingat intellectus is nõ esset intellectiuus, sed intelligibilis. Neq; autẽ res intelligibilis est intellectus, sed quatenus est abstracta, comprehenditur ab ipso: quare cum probatum fuerit q; intellectus est principium omniũ entium, sicut prædiximus, impossibile est q; huiusmodi non ens aut ens, etiam quale est forma contineat ipsum, aut sit res potentialis: sed enim abstrahitur à cũctis talibus, intellectui igitur agenti in serie creaturarum succedit anima vniuersalis, cum hæc appetitu suo ascendat ad eum ad suscipiendum propriã perfectionem, videlicet influxum luminis ab intellectu, attamen scias q; neque anima adeo proximat intellectui, per receptionem influxus ab eo, vt queat imitari & intueri eundem, neq; item anima extẽditur in speculatu intellectus agentis, sed vnitur ac sublimatur valde, non

etiam animæ (ob id) deest lumen ab intellectu oportunum, siquidem anima sic attigens eum adipiscetur perfectionem, quietémq; ac consistentiam. Cuius exemplum dedit Plato dicens intellectum esse tanquam punctum indiuisibi le circuli continentis angulos & costas, adeo quòd omnes lineæ oriuntur ab eo, & existunt in eo. Circulus quoque esse aliquid circumtenens inter suas formas.

*Caput secundum, quod homo intellectibilis sit simul cum omnibus perfectionibus ab autore primo.*

AVtor primus creauit hominẽ intellectualem cuiu omnibus proprietatibus oportunis simul vno momento, nõ earum vnã prius, & alteram posterius, neque successiu temporario, quali hominem sensibilem, quare etiam homini intellectuali omnes perfectiones conuenientes primo affuerunt, neq; posterius additur illi aliqua vt aduentitia, sed enim est in orbe supremo purus & absolutus, quæq; adhuc illi conditio primitus attribuitur, nunquam postea aufertur. Alioquin si homo intellectualis addititias perfectiones sigillatim pluribus momentis susciperet: foret generabilis & corruptibilis. Præterea quę prius diminuta admittunt adiectionem, fiunt ab agente diminuto, & morario, quale est natura, entia vero orbis superni proueniunt ab autore absoluto, puro etiam supreme, & momentario ex consequenti agente. Idcirco formæ illæ sunt perfectæ & puræ, atq; ob id quoque pariter probæ, siquidem non enumeratur quæpiã inter illas nisi firmitatem existendi habeat. autẽ quodlibet cadens sub



sub generationem corruptionémq; est ab efficiente temporario, à quali naturalia cùm sint (principium licet eorum fuerit perfectũ) sunt generabilia & corruptibilia, quod cùm sit, de illis quærendũ est quid sit seorsum prius, deinde propter quid sit, quoniam ex duæ rationes quæsitæ non extiterunt simul, substantię vero perpetuæ fuerunt productæ sine cõsultatione, siquidem ab autore perpetuo minime cogitante, quoniam is est supreme perfectus, qualis neque auctionem, neq; minutionẽ patitur. Quod si quispiam obiiciat quoniam agens primariũ potuit facere aliquid, ac deinde addere aliud melius perficiendo. Respõdemus, quòd si illud ens creatum fuisset prius depositum vno modo, deinde adderetur aliud bonum, sequeretur, quòd primo non extiterit bonum perfectũ, id autem non conuenit agenti primo q; efficiat quodpiã opus bonũ non perfectũ, quandoquidem ipsum est bonũ primarium ac supremũ, cuius operi (cùm sit proximum ei) non debet quiequam boni conuenientis semel deesse.

*Caput tertium, quod anima in orbe superno habet vim sentiendi quandam.*

AMplius substantiæ orbis superni virtus quoq; sensitiua inest. Siquidem in eo existunt quæcunque hic sunt in materia, sed ibidem deputata supra materiam (vt verbi gratia) substantia aut scientia: similiáque existunt illic sub specie primaria, non enim certe aliquid perfectionis eis deest, neque existũt formæ priores cõterminę quàm sint imperfectiores. non etiam illic, aliqua est forma reliqua

membri alicuius animalis cuius simulacrum non imprimatur materiæ, ad quod nullum agens alterat materiam, nisi talis species superna super formet eandem. Quare quando quispiam quærat per quod efficiens factum est hoc membrum? puta manus, aut oculus. Respondemus quòd per formã illam intellectualis mundi in quo sunt omnia: si rursus dicat aliquis & tanta imitatio, insit animali, quanta satis facit vt se tueatur à noxiis, dicimus quòd licet hoc verum sit, attamen substantię terrestres seruantur à forma primaria orbis excelsi, quatenus omnia inferiora existunt in causa sua anima vniuersali, quæ est optima & fere par ipsi essentiæ proxime Deo, quæ cùm talia sint, videlicet quòd omnia existant insita formæ intellectuali, animæ, scilicet vniuersali, vis igitur sensitiua non abest ab anima huiusmodi, quamuis existat in orbe superno intellectiua absolute perfecta talis ab intellectu agente puro ac perfecto vndiq; vtpote opere proximo autori primo, anima autem intellectualis supereſt in orbe principali supremo parium perfectionum quot nacta extitit in infimo. Quia causa eadẽ omnitenens ibi indiminutã seruat. Quare homo illic non existit tantum intellectiuus, sed etiam sensitiuus, neque ideo habet vim sentiendi, vltra intelligendi potentiam, vt sit aptus generationi, sed quoniam in eo statu ambæ istæ perfectiones sunt oportunæ. Et si huic aliquis subdat quòd anima in orbe superno fuit sensitiua in potẽtia, in regione autem generationis facta est sensitiua in actu, quoniam sensus est vis receptiua sensibilis, dicimus id esse falsum. Siquidem in orbe illo superno non est aliquid



aliquid sensitiuum in potentia, vt conuenerũt in hoc archisophi Babyloniæ, contrarium nanque absurdum foret. Et quòd animæ potentia actuetur hic inferius, cùm descendendo potius ignobilescat, vt quæ fiat aliquo modo corruptibilis. Cui accedit quòd si anima in regione intellectuali non sentiret, quanam ratione discerneret sensibilia ab aliis insensibilibus.

*Caput quartum, quod sit homo quidam simplex, quidam autem compositus, & quid sit vterque ac quòd homo simplex quidam supernus, quidam infimus.*

EXposituri statum hominis intellectibilis narremus qualis sit homo sensibilis, quem cùm impossibile sit perfecte cognoscere, quo modo contingit intelligere illum orbis superni, & forte cogitatio hic prouehens dictat hũc hominem esse illum, statuentes igitur exordiũ probationis quærimus an homo sensibilis sit idolum animæ particularis vltra illud idolum animæ vniuersalis, per quod homo est animal, ánve anima vniuersalis sit homo, anima vero particularis quæ operatur in corpore non sit homo. Et sic homo sit animal rationale, non aliquid compositum ex anima & corpore, neque ipsa anima coniuncta cuidam corpori: quare cùm definiatur homo inferior quòd est compositus ex anima rationali & corpore, impossibile est hunc hominem esse similem illi superno, quem vocamus intellectualem, formalémque. Ideo quoque talis definitio non erit omnino vera, sed tamen vti-

similis, quia non caret principio essentiali hominis, videlicet forma, per quam est ens. Quod cùm sit, ea definitio nondum est hominis veri, simplicis, formalisque, sed compositi, oportet autem compositum definiri nõ solum per formam, sed etiam & per materiam, simplex vero definiri per solam formam satis est, & sic homo verus definiendus est per formam tantum per quam est homo, quæ est inseparabilis & necessaria, vt dicatur, homo est animal rationale, vbi animal ponitur pro vita, quę nõ inest absq; anima infundente. Totus homo autem diuiditur in corpus & animã quæ est forma. Vnde non euitatur quin homo proprius aut sit anima intellectiua, aut sit opus eius. Et si detur primum, sequeretur quòd homo foret anima intellectiua, ingressa etiam corpus præterhumanum, hoc autem est falsum. Siquidem non contingit animam esse sub hoc nomine, nisi cùm fuerit in corpore humano, quali nũc inest, quod cùm sit ita quid vetat hominem dici semel, compositum quoddam ex anima & corpore, iterum autem animal rationale, seu rationem, id est opus animæ rationalis, impossibile enim est tale opus fieri ab alio agente. Nanque (vt rationes agentes in granis seminariis) arguunt ea singula non esse sine animabus singulis propriis, ac vice versa animæ in eiusdem granis arguunt rationes agentes vitam conineſie est, neq; mirum cùm hæ sint operæ animarum vegetatricium, sic autem etiam animæ sensuales illustriores: manifestioréque & adhuc rationales se habent, quòd illis tanto potius insunt huiusmodi rationes agentes vitam, quare anima rationalis antequam insit corpori)



corpori (secundum illam definitionem formalem) fuit homo proprius, cùm autem inextiterit corpori, formauit simulacrum alterius hominis, videlicet sensibilis, quale pro viribus aptauit ad similitudinem hominis veri, vt qui fingit figuram corporis humani, pro facultate imitatur illum, & sicut huiusmodi effigies est similitudo quidem hominis, sed ignobilior, quoniam non habet conditiones hominis, scilicet vitam, non enim eius vim progrediendi neque aliam potentiam, sic iste homo sensibilis, cuius forma est anima rationalis imperfecta, est exemplar illius hominis primi diuini & veri, & anima quidem conata est adsimilare lumine hominem homini vero, quoniam indidit illi rationes hominis primarij, sed imperfectas vtpote paucas, particularésque. Hominem etenim primario insunt potentes sensus illustréque & perspicui, longe magis quàm huic qui existit figura illius.

### *Caput quintum, qualem oportet esse hominem infimum ad speculandum supernum.*

OPortet quòd vir speculaturus hominem ipsum primarium ac verum sit probitate magna ac dignitate insignitus, quódque habeat sensus potentes ne offuscentur, quando ab homine superno exoriuntur radij illustres in eos, siquidem homo primarius ac verus est lumen clarum, in illóque existunt cunctæ rationes humanæ insignes. Atque is est homo ille quem Plato definiuit, nisi quòd adiecit definitioni præscriptæ, dicens, homo est animal rationale, id est, vita seu anima rationalis, cui

seruit corpus opus proprium, huic nanq; animę corpus quidem seruit primo, animę autem diuinæ nobili secundo, videlicet per mediam animam sensualem, quam comitatur rationalis, quæ dat vitam potiorem, neq; ob id descendendo ex orbe superno, ad infimum sed infundendo: quoniam anima rationalis non delabitur ex illo intellectuali in hunc, sed coniungitur isti animæ quę pendet ab ea. Idcirco etiam ratio huius hominis quāquam sit imperfecta, tamen sublimata per ortum ab illa excelsa, vnionémque cum eadem fiet validior, hac de causa, dixerunt nonnulli quòd animus particularis est pars animi vniuersalis.

*Caput sextum, quod in orbe superno sunt etiam sensus, sed meliores.*

SI quærat quidem quonam modo contigit animam sensitiuam existentem cum sensibus nobilioribus in regione superiore, dein existere in infima & ignobili. Dicemus quòd sensus in excelso orbe inexistens substantiæ intellectuali nobili est dispar sensui huius ignobili, propterea quòd illic est altior, siquidem vnius sensus excedit alterum, sicut vnum sensibile aliud: vnde quoque sensus hominis infimi pendet à sensu hominis superni, coniungitúrque illi & ob id etiam hic homo acquirit sensum ab illo, vt hic ignis iungitur ipsi alto, profluitq; ab illo. Porro sensus etiam inest animæ ibidem existenti, quoniam sunt illic corpora vniuersalia, vt hic particularia. Atque anima sentit illa superiora, sicut homo ista inferiora, qui est secūdarius, vtpote simulacrum primarij: homo item hic corporalis magis sentit,



tit, ille vero spiritalis magis intelligit. Cui primario cùm insint rationes agentes, adhuc immittit lumen suum homini secundario: atque etiam tertio mundi infimi. Quod cùm sit, homini corporeo inest operatio vtriusque prioris, cuius est figura. Idem enim agit aliquod opus hominis rationalis, atque aliquod intellectualis, licet vtrunque imperfectum ac minus, quandoquidem est simulacrum, alterius etiam simulacri. Iam igitur probatum quòd homo primarius sentit altiore sensu quàm infimus, & quòd superiora nō suscipiunt influxum ab inferioribus, sed vice versa inferiora à superioribus, siquidem pendent ab eis cùm sequantur eadem in qualitatibus subsimilia, quare hic homo sumit robur à superno: & quanquam etiā sentiat non tamen pariter vt ille, qui sentit pure, vtpote altiora. Illic nanque visus prospicit vniuersalia, hic vero particularia propter imbecillitatem. Ille amplius extat validior, quoniam incidit in obiecta illustriora & insigniora, quàm corporeus existens imperfectus, vt qui intuetur ignobilia & minima, quæ sunt idola illorum superiorum, quare huiusmodi homo intellectualis est robustus, & habet sensum qualem diximus.

*Caput septimum, quod in orbe superno sunt etiam formæ brutorum.*

SI quispiam quærat (cùm iam dictum sit q, sensus in nobis infimus procedit ab excelso) quid dicendum in cæteris animalibus, quónam modo videlicet Deus illa produxerit? an cogitauerit primo formam equi, aliorúmque brutorum, & deinde produxerit in hoc orbe

sensibili,non autem in intellectuali ? Respondemus quòd antea probauimus rationibus sufficturis demonstrando , Deum creasse omnia absque consultatione. Siquidem prius mundũ sublimen,imposuitque illi sine cogitatione omnes formas perfectas & puras,vtpote productas cũ essentiis propriis citra accidentia,postea vero creauit adhuc hunc sensibilem , vt simulacrum tãtum illius incorruptibilis. Quod cùm ita sit, quãdo creauit equum aliúdve brutum in orbe superno(in quo puro ac perfecto collocauit omnes species animalium altiori modo)non creauit bruta illic tantum,sed etiã hic infima,alioquin eius vis creandi defectum pateretur : hoc autem non est,quoniam nulla virtus potest extendi ad omnia,nisi prima potentissima omnium creatrixque aliarum, quæ nec defertur ad locum , nec clauditur loco, cùm sit infinita , quando autem obiiciat aliquis quòd animalia rationalia existunt in orbe intellectuali cùm sint nobilia:sed quis possit opinari quòd multitudo brutorum irrationalium etiam ibidem sit & maxime ignobilium. Respondebimus rationem huius esse q̃ autor primus est vnus omnino,essentiaque illius,quæ est eadem cum existentia , vt pluries diximus , creauit mundum intellectualem vnum, sed quoniam dedecet quòd vnitas creati sit æqualis vnitati creatoris,nec enim sunt eadem,cùm ita sit,creatum primum deinde creat plura, siquidem est posterius creante quod est vnum omnino, nec enim est prius neq; etiam æquale,quare non est quoq; æqualiter vnum, igitur plura, vnitas enim immediate repugnat pluralitati , quoniam vnum est perfectum , & plura



plura sunt imperfecta, quod si subditur pluralitati,existit adminus duplum,omne autem vnum ex duobus impossibile est quod sit vnum absolutum, quanto autẽ minus cõtingit quòd duo sint vnum, vt eorum singulum. Inuenies nanque in dualitate primo motum ac quietẽ, &quamuis insit ei intellectus,non tamen is est ille vnus abstractissimus,à quo procedunt omnes alij,& per quem omnia intelliguntur , sed est plurificatus vt multi alij intellectus, quorũ Anima est magis plurificata, quæ inter eos existit,non vt vna,separata , sed vt animæ omnes, vtpote in quo constat potentia intelligendi animabus singulis, quoniam sola hæc est perfecta & cum ex animabus vna,videlicet rationalis sit in orbe superno,neque etiam ambigitur quin reliquæ existant ibidem,& cum tales sint illic immateriales,quòd eorum animalia quoque sint immaterialia . Quare probatum quod mundus excelsus habet formas plurimas animalium omnium.

### *Caput octauum. Solutio obiectionum quarundam & quæstionis vnius.*

SI quidam obiiciat dicens quòd possibile quidem est collocari animalia nobilia in mundo nobili , sed animalia ignobilia impossibile est : qualia sunt irrationabilia , quoniam si animal rationale est nobile , igitur animal irrationabile existit ignobile ,quòd si sit autẽ nobile in loco nobili ignobile nõ est ibidem , sed in ignobili quonam modo . n. cõtiget quòd in intellectu existat , q̃ nõ sit in-

tellectualis. Dico autem intellectus mundum supernum, quia is totus est intellectiuus, siquidem in eo, & ab eo sunt intellectus. Respondemus præmittentes exemplum, quòd sicut homo infimus non est persimilis superno, quoniã ille non cogitat, sed est prior cogitante, sic etiam bruta hic existentia non sunt persimilia illis sublimibus quæ sunt valde nobiliora. Et si subderet aliquis, animal rationale nobile hic cogitat, alia autẽ non cogitant, quare igitur hæc omnia sunt ibi in intellectu. Dicimus quòd intellectus illic est varius. Siquidem humanus est supra brutalem, quare etiam nihil ambiguum quòd cogitatio hominis differat à cogitatione bruti, inueniũt nanque cogitationes etiam brutorum plures rationales, quando cogitatiua est intellectus suus pro brutis singulis, perquam discernunt sensu comprehensa. Sed enim cogitatiua hominis rem sensu perceptam porrigit intellectui, qui confirmans admittet eam, incõfirmans autem abiicier. Et quandoque flexus ad sensum confirmabit, regressũsque iterum ad se ruminat secum pluries, donec rem veri manifestam crediderit. Quod si adhuc aliquis quærat, cur cùm sint brutorum vtrorumq; operationes cogitatiuæ, non sunt æquales? Item cur si rationalitas est causa cogitationis humanæ non vtique homines sunt æqualiter cogitatiui. Dicemus sciendum esse quòd differentia cogitatiuarum inter se, item etiam intellectiuum prouenit ob motus vitæ vtriusque differentes. Iccirco animalia superna & infima fuerunt diuersa, cogitatiuæque ac intellectus eorum diuersi. Siquidem illa sunt perspicaciora istis,



istis, humanus intellectus nanque est propinquior intellectibus primis. propterea quoque existit lucidior aliis. Intellectus nanque quidã est primus vt diuinus supernusq;, quidã secundus vt rationalis humanúsque infimus, quidã tertius vt irrationalis & brutalis etiam infimus, qualis est cogitatiua per distãtiam ab illo intellectu dignissimo. Animal & enim rationale hic dictum est etiam illic rationale. Atque animal hic brutum nominatum illic quoque habet intellectum, siquidem cogitatiua equi secũdarij ibidẽ est intellectus. Impossibile existit enim quòd quis intelligat equum nisi cogitatiua equi primarij sit intellectus, intellectus namque & res intellecta sunt idem, quare intellectus solum intelligit intellectuale. ac vt vita particularis non est sine vita absoluta, sic etiam intellectus particularis non existit sine intellectu absoluto, sed est ab illo, igitur etiam asserimus quòd nullorum brutorum intellectus existit absque intellectu absoluto. Intellectus autem absolutus quando inextiterit homini, factus est particularis altérque à seipso, quando item inextiterit equo, factus est tum particularis tum diuersus ab humano: atq; ita in reliquis animalibus, quoties nanq; intellectus descendit, toties fit ignobilis, sicque potentia vitalis quanto magis informatur, tanto magis infirmatur. Ex qua fit opus obscurũ & ignobile animal. Cui quando ingenium extet imbecille, intellectus compensans facit membra valida ad æquipotentiam, vt, verbi gratia canibus quos pro defectu vitæ sic aliquatenus perficit. Siquidem oportet vnumquodque animal consequi aliquid perfectionem ab intel-

lectu virifico. quòd si quispiam huic obiiciat adducens quòd inueniuntur aliqua bruta imperfecta: impotentiáque repellere noxia. Respondemus quòd talia sunt pauca.

*Caput nonum. Quod omnis forma naturalis huius mundi habet similem, sed nobiliorem in orbe superno.*

PRæterea animalia sunt ordinata & subinde perfecta pro capacitate: siquidem habẽt intellectus & vitas ab intellectu primario secundum conditionem. Non enim vt diximus) conuenit quòd creatum sit vnum absolutum, & par autori. quate etiam proculdubio oportet vt sit vnum compositum ex pluribus. Impossibile autẽ est quòd sit ex pluribus similibus, alioquin alterum illorum foret otiosum. quãdo sufficeret vnũ, vnde sequitur vt creatũ constet ex dissimilibus, ac seorsum existẽtibus singulis, secundum formas proprias. Dignitas enim formarum existit secundum nobilitatem similium animalium subalternorum, quare necessium est quod gradus animalium sint duo inæquales, quorum singulis ex consequẽti inest vis sentiua, qualis competit, sic autem quoq; iste orbis infimus constat ex differentibus rebus. quarum vna est dignior altera, & vnaquæq; est fere mundus vnus cui inest dignitas conueniens. quare iis existẽtibus reuersi colligimus tandem quòd omnis forma naturalis huius mundi habet similem in illo superno sed nobiliorem. Siquidem hic pendet à materia. Ibi autem minime, ac ista rursus est simulacrum illius. Eapropter inibi extat cælũ, ignis, aër, aqua, & terra, & quæ insunt vt plantæ:



tæ. Et si quærat quispiam si plantæ sint in orbe superno ac etiam terra, aër, aqua, & ignis, quonam modo talia sunt inibi? Non enim euitatur quin aut sint viuida: aut non. Si nanque non sint viuida, cur hæc indigẽt illis? & si sint viuida, Quonã modo sint talia? Dicemus quòd plantæ etiam inibi sunt viuidæ: quoniam hic viuunt. Siquidem plantæ inest ratio agens vitam nobilior supra animam propriam, quę est materialis: cum planta hic sit materialis, & cõuenientius est quòd alia ratio insit plantæ supernæ: primariæ: & nobiliori, quoniam hæc ratio inferior est ab aliqua alia. Rationes nanq; istæ existentes sunt plures particulaéque, particulare autem est ab vniuersali. quare huiusmodi planta composita omnino est ramus illius generalis. Vnde etiam si hæc planta sit viuida, quanto magis illa superna, quæ est primaria & vera.

*Caput decimum. Quod terra infima est particeps vitæ, ac tanto magis superna.*

VTrum terra superno orbi sit viuida, discere possimus, cum hanc infimam speculati fuerimus. quoniam hæc est idolum & figura illius. Huic enim terræ quędam vita inest, & ratio agens vitam, cuius argumentum est forma eiusdem variabilis: siquidem ipsa crescit & adsimilat augetque montes, qui sunt naturæ terrestres, in medio quoque montiũ huiusmodi meatus plurimi existunt & cauernæ, riuiq; & alia quædam per animam, quæ tales efficit formas, atque huiusmodi ratio formatrix terræ: operansque intus assimilat secundum naturã subteragentem, sibi arborem, atque arbori

ramum excisum, quare iis colligemus quòd ratio animæ inest terræ, licet sit naturæ seruilis quando quidem impossibile est eam non viuere, & agere opera tam mirabilia, si autem exercet opera vitę habet quoque vitam proculdubio. Quod si hæc terra sensibilis viuit, quanto magis illa primaria. Hæc enim est secundaria exortáque ab illa.

*Caput vndecimum. Qualis sit status entium orbis superni.*

Asserimus pariter quod omnia entia mundi superni sunt illustria vt pote in luce excelsa: idcirco quoque vnumquódque eorum conspicit omnia alia per essentiam suam: ac in essentia alterius. Quapropter etiá sum ibidem cuncta in singulis & in omnibus, & lux quæ exorta est in illis, existit infinita, ideo etiá illorum quodlibet est maximum (maiestate cuius potentia est infinita) & purum, ac vice versa (vt verbi gratia) sol illic est omnis stella & omnis stella est sol etiam, sed quę excellit supra alias, vocatur sol, quæ verò non excellit, nominatur stella, atque ita quodlibet eorum conspicitur in altero coexistẽti. & vniuersum videtur in vnico, vnicumque in vniuersо ibi quidem est motus, sed occultus: quia non principiatus, neq; terminatus, nec est aliud à mobili, sed est ipsummet mobile. Atq; ibi est quies perfecta neq; illa describitur per morũ. Nec. n. continet motum. Ibidem quoq; sensus existit absolutus, siquidem nõ supereſt aliquid sensu imperceptibile. Atque etiam vnumquodq; ibi existẽs est firmum, etiã terra. Nec enim existit, qualia huiusmodi sunt infima, ac est quidem





superna substantia similis infimæ congeneri, sed excellit gradu, neque verò adhuc est quisquam locus superior in quo existat, quoniam subiicit sibi eum, & exaltatur supra eundem, similiter autẽ intellectus & cæli visibiles ibi se habent, & lumẽ syderum ac lux eius superior. In spheris nanque vnum quódq; eorũ locatur extra alterũ, existítq; in parte sola nõ in toto, non sic partes cælorũ spiritalium quarũ vnaquæq; est pars & totum, quando etenim videris partem perspicies totum, & cum videris totum perspicies partem, visus namque latus in vnam partem propter subtilitatem, ac celeritatem penetrat omnia, vt verbi gratia, siquis circunspiciens terram introspiciat omnia intima, speculatio itẽ mundi superni non fatigat intellectũ neq; saturitate fastidióve, afficit siquidem nullum patitur defectũ ac speculatur inibi non tantum intuetur partem vnicam, sed omnes quæ sunt optimæ, quibusque lætatur. Si nanque aliter conspiceret tantum partem vnicam, illa neq; foret optima neq; lętifica. Essentiæ prętereа illic existẽtes sunt incorruptibiles & indeficientes: neq; vt solet alia conspiciens, istas amittit desiderium cõspiciendi, sed quanto magis speculatur, tanto magis desiderat & admiratur, neq; intuendo lassatur, verũ subinde plus roboratur. Substantiis quoq; inibi existẽtibus nõ inest vita laboriosa afflictuosá ve &d. n. suauis. Siquidẽ sunt purę ac immateriatę.

*Caput duodecimum. A quo creata sunt entia orbis superni, & quale sit verbum diuinum.*

Huiusmodi item entia orbis superni fuerunt creata ab illo verbo primario, quod

quod est Substantia princeps. Neque vero ita quòd ipsa essentia prius: posterius autem eius intellectio perducta sit, velut in substantiis secundariis: sed n. ambæ simul cõcreatæ sunt, nãq; intellectio suimet est ipse intellectus. Addo inde quòd intellectus intelligit se seipsum primo, secũdo autem intellectionem sui propriã: vt planeta Iouialis reflectitur ad substantiam suã inter cœlestia quæ & terrestria sunt simulacra & figuræ impressiæ à supernis. Iccirco illa sunt disposita qualitatibus admirandis, quibus non penetrant nisi viri fœlicissimi: conati multũ contemplari talia. Præcipue autem verbum sapientiæ diuinæ exiſtit. Potentissimum omnium vnum maiestatem eius vtpote principis & virtutem: quisnam comprendere valet? ac intueri veram essentiam eiusdem in quo verbo omnia sunt conspicabilia: & à quo potestas creandi ducitur. Hoc enim verbum est virtus actũsque princeps: proximus succedenti creato primo quod dein est causa vna omnium aliarum creaturarum intellectibilium: videlicet immediate: pérque istas medias sensibilium qualium vtrarúmque omnes continentur in intellectu agente creato illo primo: súntq; opera illi proportionata: ipsæ autem intellectus agẽs est opus autori supremo proportionatum in quem intellectum adhuc vniuersaliorẽ speculando conuersus sublimatur: & fit causa vniuersalis procreans omnia alia subsequenter digesta entia.

*Caput tertiumdecimum. Quomodo orbis supernus intelligatur à nobis: qualisque sit scientia intellectus agemus.*

ET



ET nemo quidem valet introspicere orbem supernum, nisi qui intellectu prævalẽte sedauit sensus. quíq; assidua mẽtis speculatione est scius, nõ per rationes exẽplares, signáq; indicatiua more dialecticorum. Nos autẽ ita minime enitimur speculari pulchritudinẽ illam luculentã: quia sensus superdominatur nobis: neq; credendo admittimus nisi corporalia entia, vnde etiã opinamur quòd nõ discamus nisi deducendo cõclusiones ex principiis pluribus suppositis. Quod tamen nõ est verum in omni disciplina etiam hic habita: quoniã principia euidẽtia discũtur absq; quòd ex aliis deductione probentur: sunt. n. ipsa prima: quãto magis igitur superiora intelliguntur nõ ex principiis cõclusa. Verum inibi absolute perspicitur veritas omnino absq; errore & fallacia: siquidẽ nõ per mediũ: quoniã quomodo sint talia simplicia nõ admiscetur illis quicquã alienum accidentariúmq;, quale contingit terrestribus quæ non vere perspiciũtur. Qui ergo hæsitat quòd mundus supernus sit talis, qualem descripsimus, auersus est ab illo: quando autem aliqui nostrum adepti simus victoriam animæ: manifestamus eum ita se habere. Ac iccirco rursus dicimus quòd rex Babyloniæ conspicatus mẽte orbem illum: dein memor retulit: inibi non esse aliquid in aliquo, neque explicuit quomodo id fit: dimittens narrationem cœptam: ad quam absoluendam exordium sit. Quod omnia fiunt per aliquam scientiam acquisitam aut congenitam: & quòd scientia acquisita imitatur naturam: quatenus scius dirigitur ad assimilandum naturæ aliquid. Scientia autẽ cõgenita connaturalisque non est multiplex: sed

vnica: quòd si talis insit intellectui agenti: primatiq; per se inest: nec potest eam ex alia prius discendo acquisitam fuisse. Siquis autem quærat vnde huiusmodi dignitas inest huic intellectui prænominato. Dicimus quòd à natura eius propria: illícque sistentes non progrediemur ad aliam rationẽ. etenim si quis neget scientiam intellectus agentis esse illi connaturalem. Redarguẽtes dicimus quòd alioquin si intellectus acquisiuisset scientiam suam: aut per aliam altiorem didicisset, aut per essentiam propriam, quod est impossibile: neque enim intellectus agens est factus. Talis essentiæ à verbo diuino, vt sit scientia sua: vt verbum ipsum. Scientia enim intellectus agentis est qualitas in eo, non substantia: scientia namque vera est substantia scientis: ac substantia vera est scientia sua: atque hæc sciẽtia vera inest ipsi substantiæ primæ à seipsa: iccirco quoque nulla substãtia carens scientia tali est substantia vera: & consequenter est substãtia particularis.

*Caput quartumdecimum. Quod entium supernorum vnum non est nobilius essentialiter altero: & propter quid Aegyptii vsi sunt literis Hieroglyphis.*

INter entia mundi superni nullum est nobilius substantialiter altero: sed omnia sunt illic secundum formam optimam: sicut formæ inexistentes animo architecti effectrices sunt pares, quæ differunt ab effectis: verbi gratia figuris parieti inscriptis: iccirco etiam huiusmodi formas supernas vocarunt prisci exemplares, quales



quales Plato narrauit esse substãtias essentiásve inferiorum. Sapientésq; Babylonij & Ægyptij acumine mentis introspexerunt intellectualis mundi species complexi scientia aliunde tradita: vel ex seipsis inuenta: quam etiam professione ipsa sibi vendicarunt. Siquidem enarraturi aliquid vtebantur doctrina intellectuaria, non autem humanaria: vt nonnulli alii, qui consulentes eos adhuc non sibi visi satis firmiter discere ex sententiis locutione reditis: conceptus animorum acceptos scribebãt (vti oculata fide legimus) in lapides per figuras: idem in omnibus scientiis artibúsque facientes: quos locabant in templis tanquam paginas perlegendas talesque aderãt prolibri eis vtensiles: quod fecerunt vt indicarent quòd intellectus agens immaterialis creauit omnia secundum propriam essentiæ cuiuslibet rationem similitudinémque: quale optimum fuit pulcherrimúmque documentum: per quod vtinam etiam indicaretur qua ratione attigerunt formas illas mirandas & absconditas: sic enim illorum secundum essentiam laude dignius, qualis conditio paucis viris contingit.

*Caput quintumdecimũ. Quod cur essentia supernа sint facta talia non est quærendum: & quod Deus creando non vtitur cogitatione.*

QVoniam scientia Ægyptiorum de supernis rebus sit admiranda: quanto magis igitur sapientia principis creantis huiusmodi substantias in supremo orbe. neque explorandum propter quid entia ista fuerunt

producta talia: quoniam ipsa existunt summæ rationes dignitate: essentiæq; meræ: quas plures Deus creauit absque cogitatione. Neque pulchritudo inferiorũ est absoluta: quoniam hæc facta sunt ab agente respiciente rationes illas perpetuas prænarratas quæ processerunt ab autore primo præter cogitatum alterius rationis pulchritudinis. Etenim quis non admiretur virtutem essentiæ in illo ente nobilissimo & supremo: quod creauit omnia alia absque consultatione, ac secundum essentiam suam: cuiusque principalitas est ratio rationũ: neque ob id essentia ipsa indiget respectu exploratorio talium, nanque externæ pulchritudinis. Siquidem sua sibi satis est principalitas, quod imitatu etiam maiorum dicimus: qui concorditer asseruerunt hunc mundum fuisse factum non à seipso neque secundum accidens, sed ab architecto sapientissimo nobilissimoque: & abstracto ab omni ratione creata. Rursus tamen nobis quærendum in fabrica huius mundi an agens præcogitauerit in seipso cuncta agenda. an item cogitauerit singula: creando primo terram orbis mediam: secundo aquam superiorem: tertio aerem altiorem aqua: quarto ignem sublimiorem aere: quinto dein vero cœlos continentes omnia: sexto postea plãtas & animalia diuersa specie: tamen inanimante conuenientia: constituendo membra exteriora & interiora per modo conuenientia operationibus. Imprimis igitur si formæ rerum mundi cogitatæ fuissent singulæ à diuina mente ad opera recte facienda: Deus creasset vnam earum post alteram vt exemplarem.



exemplarem. Non id autem conuenit autori sapientissimo & substantiæ nobilissimæ supra alias: neque secundo contingit dicere quod Deus præcogitarit in seipso res creandas, postea vero creauerit: sic enim res cogitatæ, aut sunt extra ipsum aut in ipso: & si fuerint extra ipsum igitur extiterunt priusquam creata sint: quod si fuerint in ipso igitur non indiget illarum præcogitatione: siquidem ipsæ se habentes ita sunt principia. Creauit item Deus rationem cogitatiuæ: neque præcogitauit, alioquin foret processus in infinitum: quod est falsum. Amplius artifex præcogitans opus intentum ad imitationem præcogitati: facit illud per instrumenta: at supremus conditor facturus aliquid non imitatur creaturam vllam: exemplarem: sed creat formam ipsam nouam imitabilem absque alia: neque vtitur ad id creatura instantia: non enim quicquam externum iuuat eum: sed ex virtute propria facit ipsum. Quare probatum quod Deus cuius nomen exaltetur: creauit vniuersum absque consultatione seu cogitatione. Atque improbata est soliditas sermonis aduersariorum. Creauit autem Deus primo substantiam vnicam: videlicet intellectum agentem: cui infudit lumen fulgens omnium creaturarum præcellentissimum: qui intellectus agens proximus est illi huiusmodi lumine potẽtia & simplicitate: per que istum medium creatus est orbis supernus constans ex intelligentiis & animabus. Per quem postea nouata sunt inferiora sensibilia contenta subsimiliaque, nisi quod entia orbis superni sunt pura: perfecta & incommixta:

alioquin non forent perpetua si essent resolubilia & coniuncta formæ primordiali vsque ad postremam. Hylæ enim formatur primo forma communi: postea recipit elementarem: deinde alias succedentes: vnde nemo potest subterspicere illam vtpote formis pluribus occultisque ac insensibilibus circumiudutam.

* * *

FINIS.

Universidade de Coimbra
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca